A VESZPRÉMI PÜSPÖKSÉG

RÓMAI OKLEVÉLTÁRA.

BÁRÓ HORNIG KÁROLY VESZPRÉMI PÜSPÖK MEGBÍZÁSÁBÓL

KÖZREBOCSÁTJA

A RÓMAI MAGYAR TÖRTÉNETI INTÉZET.

I. KÖTET.

1103—1276.

BUDAPEST.

1896.



M. Tört.
Dv.
669

MONUMENTA ROMANA

EPISCOPATUS VESPRIMIENSIS.

MUNIFICENTIA CAROLI L. B. HORNIG EPISCOPI VESPRIMIENSIS

EDITA

A COLLEGIO HISTORICORUM HUNGARORUM ROMANO.

TOMUS I.

1103—1276.

BUDAPESTINI.

1896.

351622

MAGYAR AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA
50778



FRANKLIN-TÁRSULAT NYOMDÁJA.

MAGYAR AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA

GUILELMI FRAKNÓI

PROLEGOMENA AD MONUMENTA ROMANA EPISCOPATUS VESPRIMIENSIS.

PROLEGOMENA.

Lætissima Hungariæ, millennem regni constituti celebrantis festivitas, acriori ac umquam æstu animos oculosque in hanc diuturnam mille annorum intercapedinem nunc convertit. Comitatus et civitates, academiæ et instituta, sodalitates et privati quique certatim concurrunt, ut glorioso, illustrandæ antiquitatis negotio, manus sociatas admoveant.

Inter hos æmulationis popularis fluctus adeo ferventes, minime sane spectatricem otiosam decet hærere Ecclesiam Catholicam; utpote quæ in parto hoc asiatica virtute regno, sive condendo, sive conservando, præcipuas semper partes obtinuit.

Itaque Ecclesiæ Vesprimiensis hoc tempore antistes *Carolus e L., Baronibus Hornig*, his temporum usus adjunctis, monumentorum, res gestas sedis suæ exhibentium editionem, hac collectione pragmatum auspicandam decrevit.

Et profecto, ex s. sedibus Hungariæ vix unam invenies, quæ, uti Vesprimiensis, tot gaudeat titulis, ut vetustissimæ ætatis suæ venerandam imaginem, hoc præsertim solemni tempore, macte fidenterque patefaciat.

Institutio ejus, cunabulis christianæ religionis in Hungaria coæva; ditio inde a Stephano usque ad tyrannidem Turcicam, majorem partem archidiœceseos nunc Strigoniensis, Albaregalensem vero omnem complexa, fines per illos regni tractus protulerat, ubi frequentissimus populus hungarus domicilium collocavit; Episcopis ejus sacerdotibusque obtigit provincia sane ardua: ut inter Hungaros oræ illius, tenacissimos alioquin avitæ superstitionis, inducerent lares christianos, familiaresque redderent.

Ipsa civitas Vesprimii jure merito gloriatur non solum de curia regia mœnibus suis olim inclusa, verum etiam de uberrimis culturæ patriæ fontibus, ibidem scaturientibus. Huc S. Stephanus et ejus uxor coloniam duxere monialium græci ritus, eo quidem consilio: ut procerum hungarorum filias placitis moribusque christiano dignis imbuerent, una in humanitate politiore Byzantinis tam familiari, urbanitatis item ornamentis,

artificiorumque muliebrium elegantia perpolirent.[1] Hic sedem fixit prima Hungariæ academia, tantumque floruit, ut Ladislaus IV. (1276.) parem Parisiensi declaraverit.[2]

Ambitus porro diœceseos plurimos velut focos comprehendebat, in quibus radii rerum civilium colligebantur. Talis erat Alba Regia, ubi comitia diu celebrata, reges in æde s. capitulari, imposito sibi diademate regnum capessebant atque defuncti suprema quiete donabantur. Hic sepulchra St. Stephani ac Emerici popularibus turmatim pie huc confluentibus refrigerium perfundebant; aeque ac Insula Leporum, vita et miraculis b. Margarethæ collustrata. Alterum velut centrum Budæ arx constituit, regni sæc. XII caput sedesque regia. Hic accedit Visegradium, Coronæ, pretiosissimi hujus patrii ornamenti tunc receptaculum, Alba Regia huc translatum; locus dein palatiorum splendidis molibus adeo fulgens, ut a peregrinantibus externis sæc. XV. ceu paradisus quidam terrestris celebraretur.

Hinc non est mirum: reges beneficiis ecclesiasticis ac singulari favore sedem Vesprimiensem velut obruisse. Intra fines eiusdem plus quam centum monasteria Deo famulabantur.

Talis ac tanta rerum amplitudo, natura jam suapte id effecit: ut sedes hæc, post unam Strigoniensem, longe frequentiori, præ ceteris diœcesibus Hungariæ, cum S. Sede Romana commercio et necessitudine, esset conjuncta.

Monumenta vero hinc exorta, instrumenta nimirum publica hodiedum residua, hac pragmatum collectione exhibebimus.

Consultius siquidem duximus: documenta hæc Romana sane numerosa, seorsim a monimentis patriis sedem Vesprimiensem illustrantibus, proprio velut agmine edere: ut hoc pacto illius cum S. Sede conjunctionis et penitiorem rationem et varias pro tempore vicissitudines distinctius cognoscamus.

Ceteroquin monumenta hæc Romana non solum ad hanc necessitudinem manifestandam facient; verum etiam diœceseos ipsius historiæ, institutionibus ejus vitæque intimæ, lucem copiosius hæc affundent, quam, ipsa sæpe documenta patria. Præter alia id unum exemplo sit: ius coronandi reginam Episcopo Vesprimiensi competere, munusque coronam ipsam custo-

[1] V. Ipolyi eppi. Minora opera. IV. 30.
[2] Fejér. Codex diplom. V. II. 347.

diendi, præposito Albaregalensi antiquitus fuisse proprium, primum quidem luculenterque ex instrumentis pontificiis aa. 1198 et 1216 evincitur.[1]

* * *

Tabularium pontificium, cujus imprimis erat conservare instrumenta negotiorum S. Sedem inter ac Vesprimiensem tractatorum, inter varia temporum discrimina urbem Romam sedemque apostolicam perturbantia, proh dolor sæpius vastationi ac direptioni fuit obnoxium. Sic accidit, quod monumenta Hungariam spectantia ex S. Stephani ævo plane nulla, ex sæculis vero XI et XII perpauca habeat residua. Uberiorem horum copiam solummodo inde a sæculi XIII. initio nobis suppeditat.

Rationem illam, qua tabularii Vaticani apparatum litterarium, procedente tempore auctum suspicimus, manifeste Regestorum Pontificiorum incrementa ostendunt.[2] Sic e. gr. ad finem sæculi XII. quinque tomi, ex sæc. XIII: 55, ex XIV° jam 582 sunt superstites. Adeoque Regesta, sæculo XIII priora interiisse deprehendimus fere omnia; a s. XIII° plura conservata quidem, sed lacunis crebris interrupta. Tomus hic ipse noster, in monumentis publicatis 34 instrumenta pontificia commemorat, tabularia vero nostra patria plane 69 talia referunt, quorum in residuis Regestorum codicibus, nullum vestigium invenias.

Siquidem ecclesiarum in Hungaria tabularia, utut jacturam æque multoties perpessa, non omnia tamen penitus interierunt. Qua in re diœcesi Vesprimiensi fortuna sane faustissima arriserat.

Diœceses ævi Arpadiani, (numero 14) pleræque: archiepiscopatus Colocensis et Bacsiensis, episcopatus item Agriensis, Varadinensis, Csanadiensis, Quinqueecclesiensis, Transylvana, Sirmiensis et Bosniensis, omnimodam tabulariorum suorum jacturam fecerunt; Nitriensis et Jauriensis vix fragmenta quædam servarunt. Igitur præter Vesprimiensem, Strigoniensis Archiepiscopatus et episcopatus Zagrabiensis, secundi ejusdem fati sunt participes; ut tabularia horum ac Capitulorum sibi adnexorum, inde a s. XII. instrumentorum re numeroque ampliorem copiam contineant.

Tabularia Capitulorum Albaregalensis, Budensis et Dömösiensis, æque

[1] Ex documentis sub nn. VI et XXXVIII.

[2] Lectoribus in arte diplomatica minus versatis, heic loci innuimus, nomine regestarum venire libros, in quibus litteræ a S. Sede emanatæ per extensum describuntur.

ac abbatiarum præpositurarum aliorumque monasteriorum, per ditionem Vesprimiensis Episcopatus frequentissimorum: ad unum omnia trississimo exitii fato succubuerunt. Unum monialium in Insula Leporum claustrum fragmenta quædam monumentorum suorum a communi ruina eripuit, quæ dein, sublato per Josephum II. ordine, tabulario Cameræ regiæ inserta sunt.[1]

Meliori sorte monasterium familiæ Benedictinæ ad S. Martini gaudebat. Illud nimirum, utpote decimarum Somogyiensium ditioni Vesprimiensi obnoxiarum dominium, Ecclesiarumque ibidem jus patronatus exercens, continua cum Sede Vesprimiensi institutisque ejusdem ecclesiasticis, negotiorum societate conjunctum, hinc inde litibus etiam conflictans, Pontificum Romanorum intercessiones ac latas sæpe sententias provocavit. Instrumenta proinde pontificia in his causis et controversiis edita, tabularium S. Montis Pannoniæ haud pauca comprehendit.

Hoc in tomo monumenta deprompsimus:

Ex tabulario Vaticano	111
Ex Vesprimiensi	17
Ex Strigoniensi	4
Ex S. Martini cœnobii	37
Ex regnicolari	11
Ex libris denique typo excusis	19,

quorum exempla prima inveniri non poterant.

Nam hæc «*Monumenta Romana episcopatus Vesprimiensis*» instrumenta jam edita æque ac nondum publicata complectuntur. Edita vero cum exemplaribus suis rite collata exhibent.[2]

Attamen omnium horum documentorum editionem per extensum, haud opportunam fore censuimus, præ oculis præsertim habentes: quod bullæ pontificiæ identidem recurrentes ac diffusas quasdam dicendi formulas passim comprehendant, quæ ad argumentum intelligendum et usurpandum parum conferant; adeoque in recentiorum collectionibus ut plurimum

[1] Nunc partem aliquam tabularii — ut aiunt — regnicolaris constituit.

[2] Heic cum laude commemorationem facimus D. Nicolai Pallay e clero Vesprimiensi, qui in monumentis hujus tomi describendis et inter se conferendis, potiores sibi partes vindicavit.

ommitti soleant. Hinc documenta pro momento suo jam longiora, jam abbreviata et in epitomen coarctata producemus.[1]

Corpus hocce monumentorum, dioecesim Vesprimiensem antiquis suis finibus sitam considerat; adeoque Budam, Albamregiam, Insulam S. Margarethæ, Dömösium intra terminos ejusdem recenset. Pari ratione, omnes ecclesiæ religiosaque instituta, ditione hac vetusta olim comprehensæ: sive immunes fuerint a jure sedis episcopalis, sive eidem obnoxiæ, hac in collectione locum habebunt. Quin et illa proferemus instrumenta pontificia, quæ olim abbatibus, præpositis etc. monasteriorum, finibus Ecclesiæ Vesprimiensis circumscriptorum, missa sunt; etiamsi de causa dicœcesin ipsam spectante minime tractaverint. Ratio vero amplitudinis hujus sufficiens illa nobis præfulsit: quod, quum hæc instituta — præter abbatiam Pilisiensem — collectione monumentorum suorum careant; hoc nostrum corpus diplomatarium ideo quoque plenius cumulatiusque perficiendum esse videbatur.

I.

S. Stephanus in disponendis episcopalibus sedibus, modum Ecclesiæ antiquitus traditum observans, in colonias imprimis Romanas in Pannoniæ oris olim florentes, principiisque christianis perfusas, dein in propugnacula Slavorum jam christianorum per Hungariam passim constituta, animum intendebat. Sic trans Danubium Jaurinum (Arrabona) et Quinqueecclesiæ (Sopianæ) romana fuere municipia, Strigonium vero et Vesprimium castra a Slavis posita.[2]

Accepta antiquitus opinio, institutionem episcopatus Vesprimiensis, uxori S. Stephani, Gisellæ reginæ adscribit. Episcopus Hartvicius, qui protoregis nostri Sanctissimi res gestas ineunte s. XII conscripsit, refert:

[1] Omissa tribus punctulis . . . innuimus. Quum jam in ipso genuino diplomate lacunæ vel omissa quædam occurrunt, sive propter textum vetustate corruptum, hujusmodi partes hiantes, lineola — notamus. Defectus prior præsertim in nominibus propriis locum habet, quum hæc sæpissime omittantur. Ejusmodi lacunas, erutis ope monumentorum nominibus hinc inde supplevimus, nominaque ipsa parenthesi conclusimus. Idem tenebimus in locis documentorum, opera nostra redintegratis.

[2] Præfationis hujus limites excederet agere de originibus Vesprimii (argumentum hoc fusius tractatur in «Historia Ecclesiæ Hung.,» auctoribus Lányi-Knauz I. 305—307) Juvat tamen attingere nominis Vesprim interpretationem recentissimam, teste Miklosichio, antiquitatum Slavicarum sane peritissimo. Idiomate igitur vetere-sclavico Vispryam «altum» denotasse. (Slavische Ortsnamen. Denkschrift der Wiener Akademie XIII. 259)

«sacram episcopatus Vesprimiensis ædem a fundamentis extructam atque apparatu auri argentive ad cultum divinum necessario, vestibusque omnigenis splendidissime adornatam» a Gisella fuisse.[1] Bartholomæus vero episcopus Vesprimiensis a. 1232 ad recuperandum ecclesiæ suæ prædium violenta manu ereptum litem movens asseruit: illud ecclesiæ Vesprimiensi a prima fundatrice regina Gisella fuisse donatum.[2] Regina item Elisabetha a. 1346. in litteris ad pontificem missis refert: episcopatum hunc a regina Hungariæ fundatam esse.[3]

Superest in transcripto quodam a. 1295 exarato, diploma S. Stephani, indicio temporis destitutum, quod quadamtenus litterarum episcopatus Vesprimiensis fundationalium vice habetur: denotat enim ditionem et præcipua loca jurisdictioni Vesprimiensi subjecta atque præsulum privilegia sancit.[4] Pragma tamen illud nullam reginæ mentionem facit, eamque in erigendo hoc episcopatu partes cepisse nequaquam innuit.

Provincia a S. protorege præsulibus Vesprimiensibus commissa, Strigonio ad meridiem exiens, dexteram Danubii ripam ad insulæ Raczkeviensis fines usque extremos complectitur; dein ad regni partes, provinciæ (comitatui) Jaurinensi orientali adjacentes, tractum item lacus Balaton universum, sese extendit; orientem versus, cis Dravum fluvium, Somogyiensis agri terminos, hinc meridionalem plagam usque ad Dravi ripas,[5] proinde provincias Pilis, Albam, Vesprim, Somogy et Zala, ambitu suo dimensa est.[6]

Primum sedis antistitem *Stephanum*, sancti protoregis litteræ fundationales commemorant. Exinde series præsulum lacuna interrumpitur usque ad 29. Aprilis a. 1082, quo episcopus *Joannes* regem S. Ladislaum adiens, confirmationem bonorum episcopalium sollicitavit. Instrumento hac de causa redacto occurrit nomen *Mathæi* episcopi, qui ecclesiam Vesprimiensem fundo quodam dotavit; attamen haud innuitur, cuinam diœcesi præsul fuerit addictus? quumque nomini ejus non affigitur tessera «*quondam*»,

[1] Cap. X.

[2] Wenzel: Novum corpus documentor. Arpadiens. XI. 250.

[3] Theiner I. 712. — Regina Agnes 1290 et rex Sigismundus 1425. litteris suis affirmant: jus patronatus episcopatus Vesprimiensis ad reginam pertinere. V. Lányi-Knauz. I. 307.

[4] Hoc instrumentum S. Stephano, utpote authenticum, ipse ejusdem censor exactissimus quoque, JOANNES KARÁTSONYI vindicat, «Sz. István király oklevelei» (Diplomata S. Stephani regis.) 56. 75.

[5] Pauler: «Historia Hung.» I: 53.

[6] De diœceseos distributione ejusque institutis ecclesiasticis agemus in præfationibus tomi II. et III. ubi et tabulam geographicam illius e medio ævo proponemus.

sane supponendum est, eum tunc adhuc in vivis egisse, adeoque alii cuidam dicœcesi fuisse præpositum; utut minime obstat et illa conjectura: illum interim in aliam sedem fuisse translatum.[1]

Episcopus Joannes in alio quoque collectionis nostræ monumento (1084—1088) rursus apparet, quo ceu benefactor sui capituli laudatur, eidem beneficia quædam ecclesiastica elargitus.[2]

Episcoporum subsequentium seriem, e sæculis, XI. exeunte, et XII. plenam certamque vix possumus contexere. In monumentis nostris hi enumerantur:

1091—1093 *Almarus*[3]
1094 *Cosmas*[4]
1102—1113 *Mathæus*[5]
1131 *Nana*[6]
Inter a. 1132—1134 *Martinus*, postea archiepiscopus Strigoniensis[7]
1135—1136 *Petrus* I.[8]
ante 1146 *Paulus* I.[9]
1171 *Benedictus*[10]
1181—1186 *Joannes* II.[11]
1188—1199 *Joannes* III.[12]

Jamque præsulum horum omnium tam res gestas sacras ac profanas, quam commercium cum S. Sede intercedens, monumenta nostra altissimo tegunt silentio.

Monumenta pontificia, quæ ecclesiam Hungariæ attinent, e sæculis XI. et XII. pauca admodum sunt residua. Quod quidem non soli acerbo

---

[1] Fejér I. 448—452.
[2] Num. III.
[3] Fejér I. 469. WENZEL I. 38, VI, 70.
[4] In documento a. 1134 iisdem accensetur, qui tempore instituti primum episcopatus Zagrabiensis sedes sacras occuparunt. KNAUZ annum 1094 determinat. V. Monumenta Ecclesiæ Strigoniensis I. 66.
[5] WENZEL I. 44. 45. Fejér II. 58, VII, IV. 59.
[6] FEJÉR IX. VII. 632. Instrumentum anni tessera caret. Annum Fejér defixit, KNAUZ vero approbat. I. 58.
[7] Nomen ejus in diplomate quodam a. 1146 tantummodo occurrit, quo Furko quidam significat in testamento tunc condito, se episcopis Vesprimiensibus Mathæo, Nanæ, Martino, Petro et Paulo, famulatum olim præstitisse. WENZEL I. 58.
[8] WENZEL I. 51, 54, 58, KNAUZ I. 65.
[9] Nomen ejus solummodo in pragmate sub n. 7.
[10] FEJÉR IX. VII. 632.
[11] FEJÉR VI. II. 413. WENZEL I. 76, XI. 48; KNAUZ I. 114.
[12] KNAUZ I. 114, 118, 127. WENZEL VI. 198. Corpus Monum. nostrum n. X.

fato, tabularia Romana Hungaricaque vexanti et vastanti tribuendum esse videtur.

Jurisdictionis quidem in sede Romana fulgentis, et auctoritas et extensio eadem semper olim, ac posterius vigebat. Attamen, quum priori tempore vim a centro removentem (decentralisationem recentiores vocitant) potius exercuerit, quatenus pontifices potestatis suæ ampliores partes in metropolitas quoque devolvebant; interea sæculo XIII. exeunte, Innocentius P. III. cursum rerum tractandarum, ad centrum strictius retorquere conatus est, quam eamdem et successores viam prosecuti sunt.

Et licet Innocentii P. III gravitas personæ adhærens, ingenii celsitudo, voluntatisque inflexum robur, hujus mutatæ jurium conversionis potissimum inaugurator præstesque fuerit: nihilominus æquo modo fatendum, hæc sua consilia, utpote genio temporis illius dominanti maxime consona, maturam velut jam segetem severiori disciplinæ, paratamquæ deprehendisse.

Dum pontificium, exantlato per integrum sæculum cum imperatoribus Germaniæ bello, triumphum agens, novum virium suarum incrementum accepisset: novas interim in copiis Ss. Dominici ac Francisci auxiliariis, suppetias quoque sibi accersivit.

In reliquis vero Europæ regnis, oppositorum commodorum acerrima pugna inter se digladiantibus, auctoritas sacra et profana imminui, religio et firmitas judiciorum infringi, omne jus fasque permisceri. Sic e. gr. domi nostræ tunc Emericum regem inter fratremque ejus Andream intestina discidia, turbæ, funestæ ubique morum strages, regnante mox ipso jam Andrea II. archiepiscoporum Strigoniensis et Colocensis æmulæ de potestate altercationes, Gertrudis reginæ violenta cædes etc.

Igitur, quemadmodum Europæ ex cunctis partibus ita ex Hungaria quoque tunc principes et præsules, proceres et religiosi ordines, sponte omnino propria (quin ullum Romæ tentatum in eos reperiamus impulsum) atque in dies frequentiores ad caput Ecclesiæ, fideliumque omnium patrem confugiunt, persuasum sibi habentes: quod si in ejusdem justitia ab omni partium studio libera spem reposuissent, lætissimam hanc ipsis affulgere, ut ejus auctoritate, juribus commodisque suis tutelam, institutis item operibusque firmitatem inconcussam essent conciliaturi.

Idipsum historia Ecclesiæ Vesprimiensis deprædicat, sedente præsertim episcopo *Roberto*, qui Innocentio III. altero hujus regiminis dimidio coævus extitit.

II.

In venerando episcoporum Vesprimiensium s. XIII. ordine, ob gravissima rerum a se gestarum momenta, *Robertus* longe eminet, qui diœcesin ab a. 1209—1226 gubernavit, dum ad sedem Strigoniensem eveheretur. Recentiores origine Leodiensem Belgam dicunt;[1] quo tamen argumento fulti, haud nobis constat. Nomen ejus, in monumentis hinc inde Rupert et Rudbert[2], extraneum genus spirare videtur. Ubi curriculum litterarum absolverit, quove fato in patriam nostram sit deductus, documenta non declarant. Primum a. 1207 in conspectum venit et quidem tam sacra, quam profana dignitate insignitus; præpositum enim Albaregalensem agit, cancellariumqe regium. Geminum hunc honoris gradum usque ad a. 1209 tenuit.[3]

Quum defuncto episcopo *Kalenda*, sedes Vesprimiensis vacaret (1209)[4] Capitulum hoc eodem anno Robertum in episcopum elegit,[5] regia sane commendatione negotium promovente, quum in hosce regios cancellarios et vicecancellarios, Capitulorum suffragia præ ceteris libentius dirigerentur. Robertus obtenta quamprimum Metropolitæ sanctione, in præsulem mox inunctus, a munere cancellarii sese abdicavit, suffecto in ejus locum Thoma præposito Albensi neocreato. Sedem deinde sine mora capessivit. (n. XXIV.)

Regio favore et fiducia intima porro quoque potitus, ab eodem, exeunte a. 1211 Romam ad Innocentium R. III. gravissima hac legatione missus est: ut pactum inter archipræsules Strigoniensem et Colocensem de jure praxique regem coronandi, a pontifice ratum habendum, atque in Transylvania pro Saxonum colonia novum episcopatum Cibinii constituendum sollicitaret. Ast regem Andream II. spes, quam de Roberti eximia negotia tractandi dexteritate conceperat, binis adminus hisce in causis,

---

[1] Róka 75. — Knauz I. 275.

[2] A. 1813 inter canonicos Strigonienses occurrit nomen Roberti (Knauz I. 128) Ast tempus hoc præmaturum pro nostro Roberto foret. Knauz fieri potuisse putat: «Robertum Anglicum» regestrorum papalium corruptorum a. 1199 reum, eumdem fuisse cum Roberto episcopo (I. 257) Hanc tamen conjecturam nulla plane argumenta suadere possunt.

[3] Fejér III. I. 44., III. II. 470; Wenzel I. 98. VI. 314, 325, 333; XI. 95.

[4] Kalenda (Kalanda) 1199—1209 diœcesim gubernavit. Fejér II. 365 III. I. 82. Wenzel I. 98., VI. 300—334., XI. 84—102. Corpus nostr. XIII. XXIII.

[5] Electus eppus vocatur in binis a. 1209 instrumentis. Fejér III. I. 89., III. II. 472.

destituit. Pontifex pactum hoc archipræsulum, opponente se Capituli Strigoniensis protestatione, non probavit; episcopatus vero Transylvaniensis divisionem, ad intercessionem episcopi, pari ratione denegavit.[1]

Robertus interea Romæ, propriæ quoque sedis causam agitabat, simultates nimirum sibi cum abbate S. Martini obvenientes.

Monasterio videlicet S. Martini, donante S. Stephano, decimas Somogyienses, ditione Vesprimiensis episcopatus comprehensas, possidendi jus competebat; episcopus contra Vesprimiensis jurisdictionem in hanc quoque provinciam sibi vindicabat. Labente tempore abbates S. Martini parochias in comitatu Somogyiensi sitas, a jurisdictione episcopali eximere satagebant. Idcirco Robertus, jurium ecclesiæ suæ acerrimus custos et vindex, fortiter sese opposuit; quid ?. quod dominandi habendique cupiditate accensus, etiam decimas Somogyienses sibi arrogaverit! Ad dirimendam igitur hanc controversiam, ambæ partes sedem apostolicam appellabant; Uriasque ipse abbas S. Martini ad tuenda monasterii sui commoda Romam ibat, ibidem fundationales S. Stephani litteras in apographo regis Andreæ II., atque instrumentum Paschalis P. II. privilegia abbatiæ hujus sanciens, producturus.

Pontifex monasterii jus ad decimas confirmavit; jurisdictionem vero episcopatus in parochias Somogyienses restituit. (XXVIII.)

Robertus in Hungariam redux, non obstante legatione regia irrita, penitiorem cum Curia regia necessitudinem illibatam sibi conservavit. Post cædem enim reginæ Gertrudis, fratrem hujus natu minorem, Bertoldum archiepiscopum Colocensem tunc peregre abeuntem, nutu regio ad fines usque regni est comitatus; non quasi venerationis cujusdam gratia, sed ad tutandum exosum huncce præsulem. (XXIX.)

Hinc iure concludimus: Robertum ex parte occisæ reginæ, Bertoldique archiepiscopi stetisse; adeoque Joanni archiepiscopo Strigoniensi, Bertoldi adversario quoque contrarium fuisse. Et profecto perpetuæ hos duos altercationes dividebant. Neque sane mirum; quum ansæ controversiarum abunde sese obtulerint, a quo Buda in primariam regni urbem

[1] Litteras papales hac in quæstione 12 febr. 1212 regi datas (a. XXVII) in aliis collectionibus 12-o Febr. 1211 signatas conspicimus. Attamen, quum Innocentius P. III. 22. Febr. 1198 sit coronatus, anni quoque regiminis inde computandi veniunt; adeoque signatura: «secundo idus Februarii pontificatus nostri anno quartodecimo» incidit in 12. Febr. a. 1212. Andreas II. quoque a. 1214 datis ad pontificem litteris, de scripto supralaudato fatetur, se illud «*anno antepraeterito*» accepisse, quod rursus annum 1212 indicat.

sedemque regiam evecta, archiepiscopus etiam Strigoniensis diutius ibidem commoraretur.

Haud igitur evitari potuit, quin antistes regni primus, domusque regiæ moderator sacer, alioquin ministerio suo Budæ quoque defungeretur, ac sæpius hoc pacto oculos episcopi Vesprimiensis — utpote loci ordinarii — offenderet.[1]

Præterea Joannes archiepiscopus gravius plane Roberto vulnus inflixit. Quum Andreas II. a. 1215 alteras cum Jolantha, Petri Cortenacii (Courtenay) ducis filia nuptias inivisset, episcopus Vesprimiensis, avito privilegio innixus, jus reginam coronandi sibi asseruit. Archiepiscopus contra Strigoniensis, jure regem coronandi sibi proprio, tamquam titulo colorato usus, etiam reginæ imponendi diadema facultatem præripere voluit. Andreas II., ne animum Joannis iterum alienum ab se redderet, votis ejusdem deferens, reginæ inaugurandæ potestatem ipsi concesserat.[2]

Quantopere Joannes episcopo Vesprimiensi Roberto adversaretur, luculento facinore hoc manifestavit. Innocentius P. III. nimirum, litis Joannem inter abbatemque S. Martini agitatæ judicaturam potestate delegata, episcopo Vesprimiensi attribuit. Joannes interim hanc difficultatem obtendit: quod, cum Robertus excommunicationis vinculo obstrictus, sedis apostolicæ vices gerere nequeat, semet ante tribunal ejus sistere nullo modo possit.[3]

Quonam fundamento hæc sustentata sit accusatio: e superstitibus documentis erui non potest. Unum hoc constat: Robertum necesse duxisse bullam sibi procurare pontificiam, qua cautum esset: ne ex agendi ratione archipræsulis Strigoniensis, notam excommunicationis sibi inurentis, quidquam detrimenti sive ipse, sive ecclesia sua in futurum patiantur.[4]

Bullæ hujus expediendæ gratia, ipse Robertus per se tractaturus, iterata iam vice Romam venit currente anno 1215 atque synodo Lateranensi, 11° Nov. 1216 per Innocentium P. III. auspicatæ interfuit. E clero Hungariæ etiam Joannes archiepiscopus et Urias, abbas S. Martini adfuere.

Illi igitur ipsi præsules, quos in patria discordiæ fere perpetuæ separarunt, in urbe æterna obviam sibi facti sunt. In hac sempiternæ veritatis

[1] Hac de re dipl. XXXVIII infra tractandum agit.
[2] Id. dipl. n. XXXVIII. habent.
[3] Instrum. num. XXXII. refert.
[4] Hujus bullæ, proh dolor, nonnisi epitome reliqua est sub. n. XXXVII.

quiete, tanti dein pontificis universaeque ecclesiæ cum illo congregatæ, aura velut cœlesti, spiritus pacis et reconciliationis eosdem perfundens ac demulcens, geminis pacti seu fœderis inter se vinculis conjunxit.

Unum episcopus Robertus cum Joanne archiepiscopo pepigit et quidem his sancitum conditionibus: Quum regina simul cum rege sit coronanda, episcopus Vesprimiensis s. chrismate illam inungito atque diedema capiti imponito. Quum regina sola sit inauguranda, præsens archiepiscopus Strigoniensis ungito, Vesprimiensis coronato. Archiepiscopus Budæ vel Dömösii sacris quemquam initiaturus, jus fasque ab episcopo Vesprimiensi ad hoc petito ac nonnisi sibi subjectis manus imponito. Archiepiscopus utrisque in locis oleum — si lubet — consecrato, sed sacerdotes Vesprimienses oleum s. ab illo non accipito. Pueros Budenses chrismate confirmationis tantum episcopus Vesprimiensis signato. Archiepiscopus Capitulo Budensi, consentiente solum episcopo, ius dicito. Archiepiscopus Strigoniensis a jurisdictione in ecclesiam Segesdiensem sese abdicato. Jurisdictio in abbatias et præposituras patronatui regio obnoxias, lege hucusque vigente exercetur.[1] (n. XXXVIII.)

Alterum pactum, Robertum inter abbatemque S. Martini initum hasce præfigit conditiones: Decimæ Somogyienses in possessione abbatis sunto. Sumptus s. ædibus reparandis abbatia erogato. Titulo expensarum visitationis canonicæ, abbatia episcopo, recurrente novo anno decem marcas argenti solvito. Jurisdictio in ecclesias ab abbatia fundatas, episcopo integra imminutaque servatur.[2]

Synodi Lateranensis præcipuum decretum: nova expeditionis cruce signatæ erat instauratio.

Certe Robertus potissimum auctor fuit Andreæ II. regi, ut is synodi placitis morem gerens, votumque jamdudum conceptum soluturus, a. 1217 ad loca sancta copias tandem duxerit. Quo quidem in negotio urgendo, ardens Roberti studium, justos fere limites excesserat. Quum enim rex itinere ad oras maritimas incœpto, Vesprimii hospes in curia ejus moraretur, ad sumptus expeditionis comparandos, regi (etsi cum cautela compensandi damni) pretiosissimos ecclesiæ suæ thesauros tradidit. Inter alia — uti documenta narrant — coronam reginæ Giselæ ex auro puris-

[1] Hocce pactum Honorius P. III. a. 1220 ratum habuit. V. sub n. LVIII.
[2] XXXIV.

simo confectam, lapillisque generosis distinctam. Hanc Andreas rex postea trium pagorum donatione resarcivit.[1]

Robertus ipse bello hoc sacro non interfuit. Probabile est ipsum rege volente ideo remansisse, ut jurium ejus commodorumque custodem ageret. Quales autem partes in illis turbis civilibus ceperit, quæ regnum susdeque verterunt, altissimosque fluctus in ejiciendo Joanne archiepiscopo, rerum tunc præstite exeruerunt: non pervenit ad nostram memoriam.

Haud tamen multum a vero discesserit conjectura: genium illum pacis et charitatis, qui mentem ejus Romæ pervaserat, non diu ipsi dominatum esse, sed locum dedisse invidiæ ac simultati, qua Uriam abbatem S. Martini in loca sancta peregrinantem non minus, quam etiam Joannem archiepiscopum insectatus est.

Vix namque Urias Spalati navem conscenderat: cum jam monasterium S. Martini Romæ contra Robertum litem intendere cogebatur: quod is ecclesias monasterii Somogyienses «injustis postulatis oneret ac vexet», monachos persequatur, subditosque suos, cum abbatiæ decimas solvere detrectent, ad officium hocce implendum nequaquam constringat. Usu rerum exploratum jam ipsis esse: jura monasterii pacto convento illo anni 1215 minime in tuto collocari; missis adeoque Romam legatis rogare: ut rescindatur. Protestari præterea conventus S. Martini nomine: se huic pacto numquam aquievisse, nec posse umquam aquiescere: quod privilegia ordinis infringat atque injuncto sibi pensandarum quotannis decem marcarum velut vectigali: «monasterium liberum ac exemtum in servitutem dejiciat». Pontifex his postulatis non statim quidem plene satisfecit, sed Robertum quoque ad Sedem s. vocavit, a. 1218 ineunte Novembri; quum causam ipse sit decisurus. (n. XLVII.)

Robertus non comparuit Romæ, atque ne causa tractaretur, industria sua effecit. Pactum igitur incusatum interim vim suam pristinam retinuit.[2] Ipse utique multum apud Honorium III. auctoritate valuit; quemadmodum ex negotiis sane gravibus intricatisque, Roberto demandatis, luculenter evincitur. Sic e. gr. commissum ipsi erat negotium, persuadendi Andreæ II° regi; ut thesauros ab ipso detentos, reginæ Emerici regis viduæ redderet; Equitibus item Ordinis Teutonici terram Burciam ipsis ereptam, restitueret; præpositum denique Orodiensem, beneficio

[1] Fejér VIII. I. 209.
[2] 1231. Gregorius P. IX. confirmavit. V. n. XCVIII.

privatum et patria extorrem, ad capessendam præposituram revocaret. Scripto quodam pontificio constat: Robertum hac saltem provincia posteriore, cum laude perfunctum esse. (LVII. LXV—LXVIII. LXXXIX.) Quumque Pontifex a. 1220 nova expeditione cruciata instruenda occuparetur, illius in Hungaria conscriptionem Roberto commisit, delegata ipsi plena vicariaque potestate.[1] Eodem anno Spalatum eum misit, ad lustrandam archiepiscopi electionem, ad eumque, si debitis instructum qualitatibus viderit, confirmandum etiam atque inaugurandum. In litteris Capitulo datis asserit: se de Roberto «indubitatam fiduciam obtinere.» Episcopus Vesprimiensis reapse Spalatum venit, electionem probavit et neocreatum præsulem, prius quidem sacerdotis, dein ordine etiam episcopali initiavit. (LIII. LXIV.)

Interea, dum hic amico olim suo Guncello, — equiti quondam S. Joannis in claustro Albensi — obsequia charissima hæc præstitisset: mox alia munitus potestate pontificia, ad vexandum Joannem adversarium suum abusus est.

Siquidem, quum Bartholomæus — utut ætatem ac scientiam a s. legibus postulatam nondum adeptus — a Capitulo Quinqueeclesiensi (1220) in episcopum eligeretur, et etiam confirmationem a Joanne archiepiscopo Strigoniensi obtineret; Pontifex utrumque a s. ministerio et beneficio suspendit atque sententiæ hujus fulminationem aeque, ac fructuum archiepiscopatus administrationem, episcopis Jaurinensi et Vesprimiensi demandavit. (LIV. LV.)

Inter vicissitudines illas civiles, quæ post reditum Andreæ II. ab expeditione cruce signata, regnum perturbarunt, atque in discordia regis cum filio Bela, animisque procerum novas res molientibus, fomitem et incrementum ceperunt, publicæ saluti perniciosissimum: Roberto episcopo provincia sane gravissima obtigit. Hanc quidem monumenta, quæ præsto sunt, haud penitius declarant; verumtamen, lucem aliquam hisce tenebris, litteræ pontificis ad regem missæ affundunt, quibus in memoriam eidem revocat: Robertum semper exaltationi auctoritatique regiæ intentum fuisse atque «in dissidiorum cum filio compositione, regi sane honestissima, neminem præ illo ferventius desudasse»[2] Probabilius igitur habeamus,

[1] «Vices nostras — ita scribit — in hac parte tibi duximus committendas.» (LII.)

[2] Litteræ hæ de 13. Mart. 1226 sub n. LXXXV. Vocula ibidem occurens: «olim» innuit: pontificem discidia antiquiora præ oculis habuisse.

oportet: in altercatione regis cum filio Bela, una cum Stephano episcopo Zagrabiensi[1] Belæ familiarissimo, Robertum fuisse pacis deprecatorem, auctoremque regi Andreæ; ut procerum votis utique justis deferret; adeoque Robertum, gloriæ ex condenda *aurea bulla* refulgentis, etiam participem extitisse!

Ast, quamvis servitia sua inter dissidentes patrem et filium æquali utrimque lance dispensaret, ambobus tamen macte restitit, quum post initam pacem, facinus quoddam legibus ecclesiæ ac bonis moribus contrarium perpetrassent.

Andreas II. a. 1218 filio suo Belæ matrimonio vix jungens Mariam Theodori Lascaris filiam, paucos jam post annos divortium inter eos tentavit, hoc usus titulo, quod Bela minorennis nupserit; adeoque et pontificem sollicitavit ad vinculum hoc dirimendum, et filio persuasit, ut conjugem dimitteret. Hæc tamen regis studia, Robertus tantum abfuit, ut promoverit, ut potius Mariæ reginæ partes secutus, temerariæ huic solutioni totis viribus sese oposuit, atque etiam — sicut Bela ipse postea Romam detulit — omnibus facinoris hujus patronis, acerrimum bellum indixerat.[2]

Quumque opera ejus irrita cecidisset, una cum reliquis regni præsulibus pontificem interpellavit, velit ipse, supremæ auctoritatis suæ momentum contra refractarios fulminare. (LXX.)

Pontificis hortatu Bela quidem recepit uxorem, ast hac indulgentia tantam patris in se convertit indignationem: ut vitæ periculum in Austriam fugiendo prævertere cogeretur. Inter eos vero, quibus pontifex causam Belæ commendatam esse voluit, Robertus præcipuum locum obtinuit.

Litteris ad eum datis, summis laudibus ejus agendi modum celebrat rogatque impense: ut Belæ opere consilioque subveniat atque demum post procellas tranquillitatem, post nubila serenitatem accersere conetur. (LXXII.)

Pax Andream inter ac Belam a. 1225 Græcii redintegrata est, et quidem episcopo Nitriensi intercessore.[3] Siquidem Robertus, huic muneri alioquin aptissimus, tunc Romæ egit; ubi, eum, documentis testantibus a. 1225 11 et 29 Ianuarii et 15 Septembris commorantem cernimus

---

[1] Hunc meminit instrumentum quoddam Belæ IV. regis WENZEL XI. 165.
[2] «Intrepide in faciem eorumdem iusticie amore resistens». LXI.
[3] FEJÉR III. II. 9.

(LXXV—LXXVII—LXXX.)[1] Ast monumenta causas hujus itineris non declarant. Vix possumus dubitare; quin ab ipso rege, discidii, tunc obversantis causa, fuerit ad papam delegatus, pacisque Græcensis auctor, eiusdem meriti ac episcopus Nitriensis, jure sit habendus.

Romæ moratus Robertus, Capitulo suo commodum sat amplum procuravit. Canonicis nempe suis egestate pressis opem ferre, iam dudum cordi habuit.[2] A. 1221 a pontifice potestatem obtinuit, ut Capitulo, aut beneficia ecclesiastica conferre, aut fructuum episcopalium partem elargiri sibi liceret. Generosi sane animi indicium edidit, quum posteriorem opitulandi rationem adhibens, beneficium proprium episcopale, centum marcarum argenti summa utique gravissima, Capitulo suo quotannis eroganda, onerare minime dubitaverit. (LXIII.)

Mox (1225) nova facultate instructus est: ut sacellorum (capellarum) in diœcesi sitorum beneficia in Capitulum transferantur. Qua quidem ita usus est, ut etiam de sacerdotibus his oratoriis servientibus abunde prospiceret. (LXXVII. et LXXXI.)

Ast inter hæc clarissima civilis fortitudinis, generosi ferventisque animi testimonia, indolem quoque violentam et acerbam identidem exeruit. Roma nimirum redux cum monasterio S. Martini novas agitans tricas, eius milites sacrarium quoddam monasterii S. Martini in agro Somogyiensi, incendio vastare, monachosque ibidem degentes spoliare haud vererentur. (XCI.)

Talia ac tanta facinora explicare videntur rem istam, sane mirabilem, cur in electionibus archiepiscoporum sedium Strigoniensis et Colocensis nulla plane Roberti habita sit ratio. Sic e. gr. exeunte anno 1223 mortuo Joanne archiepiscopo, Robertus nec quidem nominabatur, sed Thomas Agriensis episcopus ad primum regni subsellium sacrum, tollebatur. Illo tamen, rursus paucos post menses extincto, suffragia Capituli, inter episcopos Csanadiensem et Nitriensem, atque electione hac a pontifice reprobata, inter Csanadiensem iterum et Archidiaconum quendam, discidebant.

Pontifex hanc quoque electionem rescindens, Capitulum appellavit: ut quosdam canonicos plena auctoritate instructos Romam mitteret, secum de provisione sedis archiepiscopalis consilia inituros. Post illorum adven-

[1] Ex monumentis LXVII. et LXVIII. conjicere possemus, Robertum iam 1223 11 Apr. Romæ legatione regia functum esse.

[2] «Qui erant paupertate gravati.» Ita effatur instrumentum pontificium, verba Roberti repetens. LXIII.

tum, Honorius III. — ut in bullis declarat — persuasum sibi habuit: haud secus votis Capituli regisque se satisfactorum, quam si supremo suo jure usus, episcopum Vesprimiensem in cathedram Strigoniensem transferat. Quod quidem 13 Martii 1226 reapse executus est.

Hoc suum consilium regi et Capitulo Strigoniensi declarans, de Roberto encomia splendidissima celebravit: «ipsum Deo et hominibus summopere acceptum, vita moribusque exemplaribus ornatum, exaltationis patriæ regisque studiosissimum, adeoque præ ceteris dignum esse, qui sedi Hungariæ principi præficiatur.» [1]

Successor ejus in sede Vesprimiensi *Bartholomæus*, quem præpositum [2] collegæ canonici antistitem sibi imposuerunt, funestis his temporum adjunctis mox occasionem nactus est prodeundi in scenam historicam.

Quum enim a. 1233. mandante Gregorio P. IX., Jacobus episcopus Prænestinus, periculum faceret in restauranda regni pace admodum perturbata, regi item auctor esse vellet: ad ecclesiæ patriæque jura honore debito habenda atque ad pacem cum filio conciliandam, in consilia arcana, sylvis Bereghiensibus celebrata, episcopum Vesprimiensem canonicumque quemdam Strigoniensem vice sua delegavit, atque eorum opera usus est in expediendo suo, magni momenti diplomate de 20 Augusti. [3]

Mox Bela IV. throno potitus ad recuperanda bona castris regiis propria, a. 1236 in diversas regni plagas commissarios arbitrosve delegans, grave hoc negotium per provincias Zala ac Somogy, Bartholomæo episcopo Vesprimiensi imposuit. [4]

Interea, dum abbas S. Martini hoc etiam tempore, cum Capitulis Vesprimiensi et Albensi, episcopo item Zagrabiensi, duce Colomanno, et abbate Pilisiensi, cum clero denique Archidiaconatus Somogyiensis perpetuas rixas tricasque de posterioris hujus provinciæ decimis sereret: episcopus Bartholomæus id unum intendebat, ut pactum conventum a. 1215 ictum religiose servaretur, utpote bis jam a Gregorio P. IX. confirmatum. [5]

Abbas Urias a. 1233. Bartholomæum episcopum coram legato pontificio in ius vocavit eo, quod in finibus parochiæ Köröshegy, patronatui

---

[1] LXXXIV—LXXXVI.

[2] Instrumentum a. 1222 præpositum Vesprimiensem exhibet. WENZEL XI. 170.

[3] KNAUZ Litteræ Andreæ II. privilegiales. 50.

[4] WENZEL VIII. 21.

[5] Documenta Gregorii P. IX et legati ejus in Hungaria, in negotio hoc edita LXXXVII., LXXXVIII., XC., XCIII., XCIV., XCVI.. XCVII., XCX., C., CII., CIV., CVII., CXXVII.

abbatiæ obnoxiæ, in pago nimirum Sámson sacellum erexerit. Ad hæc episcopus pacis amore delinitus concessit: ut abbatia in sacellum eadem, quæ in parochiam matrem, exercere jura valeat. (CV.)

Litem graviorem eidem intulit abbas Kopornacensis, conquestus Romæ de exactionibus episcopi, monasterio emunctis; de hospitio item diuturno, numeroso cum comitatu ibidem violenter exercito, quod tantam monasterio rerum temporalium jacturam impingat, ut monachis, vix quo sustententur, residuum relinquat. Denique Bartholomæum episcopum in abbatiam, quum antistes ejus Romam accusandi gratia proficisceretur, ecclesiasticas etiam censuras fulminasse atque ad abbatem capiendum, armatos viros immisisse.

Pontifex abbates Zalavariensem, Tihanyiensem et Szekszardiensem delegavit, ut quæstione instituta, querelisque rite probatis, episcopum ad forum Romanum vocarent. (CXXI.) Causa examinata et convicta, abbates isti episcopo litteras citatorias reapse miserunt.

Bartholomæus vicaria potestate Sebastianum canonicum Vesprimiensem Romam ire iussit, ubi etiam abbas Kapornacensis præsto fuit. Pontifex Stephanum purpuratum causæ auditorem designavit; qui dein dissidentes conciliavit. (CXXIV.)[1]

Curæ pastorali deinde intentus Bartholomæus a. 1240 in valle Vesprimiensi virginibus S. Dominici aedem collocavit, (LXX.) quæ tria post lustra Margaretham filiam regis incolam habuit.

III.

De electione sive Bartholomæi, seu prædecessorum ejus, nulla supersunt monumenta pontificia. Hoc enim tempore episcopos a Capitulo electos confirmandi jus metropolitæ exercebant; adeoque talis causa, nisi hinc inde per viam appellationis, Romam non pervenit. Id ipsum reapse accidit post mortem Bartholomæi episcopi, ineunte anno 1244 subsecutam.

Capitulum hac etiam vice e familia sua, *Zelandum* nimirum præpositum, in hoc fastigium elevavit. Tessera «*magistri*» nomini

[1] Pontifex pactum sancivit, sed pacis hujus instrumentum in regestrum codice desideratur.

ejus præfixa, eruditionem in litteris haud communem insinuat. Præterea nobili genere — utpote gente Kaplony editus — commendabatur.[1] Capitulum tamen in ejusdem electione, tritam antiquitus viam deserens, Belæ IV. regis nec præviam approbationem, nec subsequam confirmationem expetivit. Rex igitur de electione certior factus, archiepiscopo Strigoniensi significat, se causæ rescissionem Romæ postulaturum esse. His non obstantibus Stephanus de Vancsa electionem confirmavit.

Rex interim revera s. Sedem interpellavit. Quæstione proposita gravius inculcat: more regni antiquo iam et pacifice semper vigente, regiam in eligendis præsulibus confirmationem expetendam esse; qua quidem juris norma neglecta, canonici Vesprimienses, illum ut assensum præberet, rogare detrectaverunt; quamvis id facile præstare potuissent. Culpam ipsum in archiepiscopum quoque transtulit, graviter eum reprehendens: quod societate cum reliquis episcopis facta, regia jura ac privilegia pro arbitrio infringere consueverit. (CXLI.)

Rex igitur Zelandum episcopum Vesprimiensem non agnovit. In instrumentis, die 15. Junii 1244 et 26. Aprili 1245 signatis episcopatum porro vacantem declaravit.[2]

Pontifex vero 28. Februarii 1245. archiepiscopo Colocensi, abbatibus item Pilisiensi et S. Gotthardi commisit: ut propositione hac regia rite examinata, de causa ad ipsum referant. (CXLI.) De hac tamen inquisitione et pontificis responso, documenta non referunt.

Zelandus interim perstitit in sede Vesprimiensi et hoc eodem titulo etiam in regiis litteris, inde a medio Decembri a. 1245 occurrit.[3]

Ast Bela IV., quamvis Zelandum episcopum agnoverit, indignationem tamen suam in eum sat graviter manifestavit. Episcopatus jura fructusque et ipse in alios contulit, et aliis etiam, ut eosdem pro lubitu occuparent, indulserat. Ipse vero episcopus usque ad vitæ terminum ad jura sua recuperenda incassum laboravit;[4] utut sæpius ad s. Sedem confugerit. (CXLIV., CXLVI., CL.)

Ast tristissima huius simultatis sequela: cleri Vesprimiensis curati, aperta in episcopum seditio fuit.

Conflictus, quoad iurisdictionem atque facinora violentiæ, sæpe hoc

[1] Corpus monum. Hung. VI. 30.
[2] WENZEL VII. 156. — XI. 340.
[3] FEJÉR IV. I. 388.
[4] Id ipse rex enucleatius narrat in suo documento a. 1269. FEJÉR IV. III. 497.

tempore fervebant non solum in diœcesibus Hungariæ, sed in cæteris quoque Europæ regnis. Causa tamen quam hic offendimus, singularis prorsus et inaudita hæc erat, quod universus diœceseos clerus parochialis episcopo et archidiaconis propriis sese opponeret.

Origo et ansa exulcerationis animorum in oneribus temporalibus clero, æquo rigidius impositis, repetenda est. Primum quidem, ex beneficiis sacellorum per Robertum capitulo adnexorum, clerus, fructuum dimidiam partem pendere est obstrictus. Deinde episcopus et archidiaconus, parochias specie legitima lustrantes ibique hospitio diuturno hærentes, clerum variis sumptibus et præmiis solvendis, vexaverunt.

Clerus Vesprimiensis hæc onera non tam æquo animo portavit, quam aliarum diœcesium. Signum, ad hoc excutiendum jugum, sacerdotes extollebant patronatui abbatiæ Zalavariensis obnoxii. Hi nimirum, recusata episcopi jurisdictione, se totum quantum abbatis potestati subjecerunt. Quumque episcopo id nequaquam probaretur: Blasius abbas sub autumno a. 1252 in synodo Strigonii eumdem in jus vocaverat. Zelandus extemplo surgens, regulis juris canonici innixus, abbatis parochorumque agendi modum, utpote legibus contrarium, reprehendit. Abbatem tamen haud improvisum invenit. Ex provincia Zala undecim parochos secum accersitos, in synodi conspectum admitti postulavit. His itaque ingredientibus, præses synodi, archiepiscopus Strigoniensis hanc quæstionem ingessit: velint jureiurando profiteri, num jurisdictioni episcopi, an vero abbatis se obnoxios esse censeant? Ad hæc tum pro se, tum sacerdotum absentium vice uno ore declararunt: «ex sanctorum regum institutione, ab antiquis temporibus» parochos ad patronatum abbatiæ pertinentes, semper jurisdictioni abbatis, non vero episcopi, fuisse subjectos; præterea abbatem quotannis congressum cum iisdem celebrare eosque salutari doctrina instruere consuevisse; dum episcopus eos et socios variis exactionibus injustis vexare opprimereque nunquam desisteret.

Archiepiscopus dein litteras SS. Stephani et Ladislai regum fundationales, ab abbate productas examini subjiciens, decrevit: parochos, uti hucusque, ita in posterum quoque «debitam obedientiam et obsequia, abbati præstare oportere»; episcopo vero nullum jus amplius competere: eosdem molestandi seu onerandi. Una mandavit: ut sententia lata per omnes parochiarum ecclesias, promulgaretur.[1]

[1] Fejér IV. II. 153.

Sententia hæc palam facta, fatalem istam vim exeruit: ut cœpta commotio totum diœceseos ambitum pervaderet, spemque excitaret fore: ut queruli Romæ non minus, quam Strigonii patulas faventesque sibi aures nanciscantur.

Earum, quæ hinc exortæ sunt vicissitudinum imaginem lineis clarioribus reddere haud possumus; quum bina documenta in tabulario Vesprimiensi conservata, nonnisi momenta quædam agitatæ jam causæ intermedia, nobis referant; initio ejusdem exituque in obscuro relictis.

Id unum certum est: universum clerum curatum denegasse debitam præsuli suo obedientiam, pensionesque de jure ipsi impositas non solvisse. Attamen non constat: num ipse clerus diœcesanus, an episcopus Romæ litem in hac causa moverit?

Innocentius P. IV. causæ cognitionem Stephano de Vancsa commisit, qui cardinalis episcopus Prænestinus creatus, abdicans sese archiepiscopatui Strigoniensi, in curiam pontificiam haud ita pridem transmigravit. Hic primum causam pacifice componere tentaverat.

Deinde constituit, ut arbitri utrimque electi ac plena potestate instructi, tam de fructibus oratoriorum inter capitulum ac sacerdotes curatos æqua lance distribuendis, quam de visitationibus episcopi et archidiaconi, novam aliquam regulam statuerent; clerus vero interea ad obedientiam episcopo et archidiacono debitam, revertatur. Hæc ultimo Aprilis 1253 gesta sunt.[1]

Ast hoc decretum cardinalis effectu caruit. Interim enim episcopus et Capitulum, bullam a pontifice sibi procurarunt, qua Lupus præpositus Albensis, custos jurium bonorumque eorum constitutus est. Hic igitur jus potestatemque habere ratus, se ad episcopum Capitulumque sibi commissum, omni qua poterat ope vindicandum accinxit. Delegavit imprimis abbates: Petrovaradinum (Belæ fontis), S. Gotthardi et Zircziensem, ut in agitata hac causa sententiam depromerent. Hi dein episcopo et Capitulo, nec non clero Vesprimiensi ad 19 Novembrem Albaeregiæ diem dixerunt.

Die constituto Zelandus episcopus, Capituli Vesprimiensis præpositus, archidiaconi et canonici, tribus illis abbatibus copiam sui dederunt. Clerus duos tantum nuntios misit. Hi, antequam arbitri litteras papæ in causa controversa emanatas perlegissent, contra quæstionis huius instaurationem intercesserunt et appellationem suam scriptotenus proposuerunt, qua «uni-

[1] Documentum hocce in codice quodam sæc. XV., post tomum hunc typis jam expressum invenimus, adeoque uti supplementum sub n. CCI. producemus.

versi diœceseos Vesprimiensis sacerdotes» seipsos, patronos, ecclesias et beneficia, S. Sedis patrocinio commendantes, tres hosce abbates, iudices legitimos esse renuunt: quod diploma pontificium, cui niterentur, inscio plane pontifice, fraude suppositum spuriumque esse censeant, denuo inculcantes: ad causam dirimendam arbitros utrimque delegari oportere.

Sacerdotes hi duo, interposita hac declaratione, abierunt.

Arbitri deinde, habita cum episcopo et Capitulo consultatione, sepositaque cleri appellatione, clero ad 3 Decembrem novum diem indixerant. Præterea nonnullis monachis mandarunt, velint persuadere refractariis his sacerdotibus, ut in obedientiam erga antistitem suum redeant, et officio archidiaconis et Capitulo præstando satisfaciant. (CLXIII.)

Quid vero postea factum sit, documenta, quod sane dolendum, nihil plane referunt.[1]

Feliciore sorte usus est Zelandi successor *Paulus* e prosapia Széchyana ortus, qui 1262—1275 ad s. puppim ecclesiæ Vesprimiensis sedit. Jam antea majores honoris gradus tenuit; ab a. 1256 præposituram Posoniensem, ab a. 1259 priori hac retenta, Albensem etiam possederat, cui etiam dignitatem vicecancellarii regii adjunxit.

Episcopus electus, plurimis regiæ benevolentiæ speciminibus cumulabatur. Horum præcipuum diploma erat a. 1269 exaratum, in quo rex affectu velut leniore afflatus, dolere se confitetur, quod ob Zelandi electionem ira excandescens, gravibus episcopatum Vesprimiensem injuriis affecerit, quibus ipse satisfacturus episcopatum in amissorum fructuum juriumque possessionem restituit, unaque confirmat episcoporum Vesprimiensium privilegium coronandi reginam, cancellariique penes ipsam officio, cum pensione annua quingentarum marcarum arg. perfungendi.[2]

Belæ successor, Stephanus V. suam in Paulum episcopum fiduciam luculento argumento indicaturus, eum ad pacis cum Ottocaro rege Bohemiæ negotium, cum aliis legatis deputavit 1271.[3] Stephano defuncto atque Ladislao IV minorenni regnum capessente, Paulus cancellarii officium, tunc temporis solito gravius gessit atque, dum vitam ageret, retinuit.

---

[1] Clerus Vesprimiensis 1483 curavit per Sigismundum regem confirmari diploma Bela IV a. 1255 editum, quo causa Capitulum inter ac clerum controversa ita dirimitur: ut decimarum quadrans, bifariam inter capitulum et parochos dividatur. Ast forum regium a. 1482 diploma hoc adulterinum declaravit. WENZEL II. 255.

[2] Fejér IV. III. 495—502.

[3] Fejér V. I. 113.

Munus hoc sane spectatissimum et formidandum tam ipsum, quam ecclesiam ejus ab omni impetu tutum reddidit; proinde auctoritatem s. Sedis nec ipse contra alios, nec alii adversus eum implorarunt. Hinc mirum non est, quod corpus hoc monumentorum ipso regnante pauca admodum producere possit documenta Romana.

Unum tamen præsto est argumentum, quod evincit: ipsum etiam Romæ summæ auctoritatis virum habitum fuisse.

Quum nempe Ordinis S. Pauli in Hungaria orti primus institutor Eusebius, canonicus Strigoniensis, supplex Pontificem pro ordinis, secundum regulam S. Augustini confirmatione adivisset, is Paulo episcopo commisit, velit indagare: utrum facultates religiosorum temporales, cum vitæ tenore ad normam S. Augustini instaurando componi queant, nec ne? Paulus maturum post examen cognovit: eosdem non adeo bonis hujus sæculi abundare; proinde potestate s. Sedis, ea ratione ordinem confirmavit: «ut membra ejus, ceu *eremitae*, approbata in societate simul viventes, Deo famulari valeant». (CLXXXVIII. et CC.)

IV.

Inter instituta ecclesiastica, per amplissimum diœcesis Vesprimiensis tractum sita, principem locum occupavit *Capitulum Albense*, alioquin intimo nexu cum s. Sede conjunctum. Siquidem jam sæc. XII. regibus ipsis petentibus, ab omni archiepiscopali et episcopali jure exemptum soli s. Sedi erat obnoxium (II.) Hinc consequens erat, ut electus a Capitulo et a rege approbatus præpositus, confirmationem Roma obtineret. Sic e. gr. adest nobis bulla Honorii III. a. 1217. qua præpositum Korardum, a Capitulo, accedente regis Andreæ II. approbatione electum confirmat. (XLIII.)

De successorum ejus confirmatione bullæ pontificiæ non sunt superstites.

A. 1232. magister *Michael* cancellarius regius sede præpositi potitus est.[1] Hic tamen in geminis Capituli documentis a. 1237. nominatus, ea adjecta clausula notatur: «præposito ab administratione suspenso».[2]

[1] WENZEL: VI. 511. XI. 233.
[2] WENZEL: VII. 43—46.

Censura ista a s. Sede inflicta est, sed quam ob causam, haud liquet. Michæl præpositus ipse Romam petiit, sententiæ in se latæ abrogationem sollicitaturus. Res prospere ei contigit, atque inde redux scripta pontificia ipsum rehabilitantia secum tulit. (CXIX—CXX.)

Michæl attamen mox novam in se tempestatem concitavit. Ineunte a. 1240 Capitulum Albense Romæ eum gravissimorum criminum accusavit. Eum beneficia capituli venalia proponere: bona ejusdem abalienare; violentiæ, crudelitatis lasciviæque insignis infamiæ flagitia perpetrare. Gregorius P. IX. abbatem Pilisiensem, canonicum custodem Budensem, et præpositum Vesprimiensem causæ examinandæ præposuit. Decretum hoc 29. Martii 1240 fulminatum est.

Antequam tamen sententia lata esset, Michæle interea vel defuncto, vel sponte sese abdicante, præpositura jam vacavit. Tunc capitulum prima anni 1240 parte, *Benedictum* regium cancellarium, facultate ad id a rege et archiepiscopo Strigoniensi, more consueto impertita, elegit.[6]

Ast electionem Romæ nonnisi initio a. 1241. significavit. Tunc Gregorius P. IX. legato suo in Hungaria, Joanni de Civitella partes commisit, hanc electionem, si legitima fuerit et Benedictus qualitatibus a jure præscriptis gaudeat, confirmandi. (CXXXII.) Benedictus confirmationem adeptus est.

Lapsu vero temporis pontificibus visum est poscere, ut electus præpositus, ad sollicitandam confirmationem, ipse in eorum conspectum veniret. A. 1263 Bela IV. rex precibus instat apud Urbanum IV. ut electo *Lupo* præposito, quatuor mensium dilationem concedat. (CLXXXII.) Ipse tamen Lupus, cancellarii alioquin munere functus, iter ne tunc quidem aggressus est. Tribus post annis pontifex gratiam itineris romani omnimodam, Lupo concesserat; atque archiepiscopum Strigoniensem et episcopum Zagrabiensem potestate eumdem confirmandi instruxerat. (CXCIII.)

V.

Minorum beneficiorum collatio, quam pontifices sæc. XIV. sibi totam reservarunt, sæculo XIII. juris erat episcopalis; præmissa utique præsentatione per patronum facta.

Pontifices excepto uno alterove casu, rarissime huic negotio se interposuere. Corpus monumentorum nostrum sex dumtaxat decreta hujusmodi

continet. Sic e. gr. Innocentius P. IV. a. 1252. commisit archiepiscopo Colocensi, ut sacerdotem Vesprimiensem Michælem, sibi a præposito equitum S. Joannis in Hungaria, commendatum, beneficio capitulari quodam donari curaret; a. 1253. interpellat archidiaconum Somogviensem: velit capellanum episcopi Placentini, natione italum, in obtinendo aliquo capitulari beneficio in Hungaria adjuvare. Urbanus IV. a. 1264. filio cujusdam civis Strigoniensis nondum adulto in capitulo Albensi, Aegidio vero sacerdoti Jaurinensi, in capitulo Budensi, beneficium confert canonici. Idem potestatem facit Stephano cardinali de Vancsa: ut beneficia, per Timothei archidiaconi Zaladiensis electionem in episcopum Zagrabiensem, vacantia conferre valeat. (CLV., CLXI., CLXXVI., CLXXXV., CLXXXIX.)

Verumtamen pontifices jam antiquioribus temporibus jus sibi supremum in universa beneficia ecclesiastica vindicarunt.

In Hungaria certe, jus omne, sive conferendi beneficia, sive præsentandi per patronum, a sede Romana ceu fonte quodam derivatum, passim credebatur; prout tres supplices libelli clare id testantur. Primum præpositus Albensis a. 1198. Innocentio P. III. offert, jus ad conferendum munus canonici custodis Albensis, sibi dari efflagitans. In reliquis duobus (a. 1209 et 1265) confirmatio pontificia petitur, qua regi postliminio concedatur, jura patronatus in duabus parochiis Vesprimiensibus, in alium quemdam transferre posse; idem pro alio quodam patrono privato rogatur. (VII., XXIV—CXCI.)

Quumque legibus ecclesiæ cautum sit, ne uni eidemque plura beneficia cumulatim conferrentur, beneficiarii, talis prærogativæ cupidi, pontificem relaxandæ legis hujus gratia, supplices adierunt. Collectio hæc nostra, quatuor hujusmodi litteras dispensatorias continet. (CXXXIX.—CLIX.—CLXII.—CLXXXIII.)

Simili ratione sibi pontifices excipiebant auctoritatem præstandi veniam legis, qua thoro illegitimo nati, a s. ordinibus arcerentur. Sic a. 1241. magister Germanus, clericus Vesprimiensis ipse Gregorium P. IX. adivit, qui dein episcopo Vesprimiensi commisit, ut supplicanti hanc solutionem a legali impedimento, dummodo vitæ ejus honestas hanc gratiam mereatur, concedere possit. (CXXXIV.)

Quam late vero auctoritas ac potestas s. Sedis patuerit, clare ostendunt libelli supplices, quos ipsi reges, regumque nutu privati quique pontifici obtulissent. Plures ejusmodi supra jam attulimus; sequentes præterea adjungere juvabit.

Andreas II. a. 1221 potestatem sibi fieri rogat, ut Visegradii, sede patronatui ejus obnoxia, in locum monachorum græcorum, filios S. Benedicti accersat. (LXII.) Bela IV. a. 1256. petit claustri monialium Insulæ Leporum immunitatem a jurisdictione episcopi loci, atque etiam archiepiscopi Strigoniensis; ita ut proxime et soli curiæ Romanæ sit obnoxium. (CLXVI.)

Maria item regina a. 1259. copiam petit condendi claustrum et ædem sacram ordini S. Dominici donandam. (CLXVIII.) Quum vero anno eodem Bela IV. comitatum Pilisiensem uxori reginæ dono tulerit, ambo donationem hanc a pontifice ratam habendam esse rogabant. (CLXXVII.)

Episcopus Vesprimiensis a. 1216. sollicitat pontificem: ut abbatiam a monachis desertam, ex donatione regis, Ordini Equitum S. Joannis collatam sanctione sua suprema, muniat. (XLI.)

Præpositus et capitulum Ecclesiæ Albensis a. 1250 referunt: semet a domorum in suburbio Albensi sitarum et vectigalium possessione abdicasse quidem, sed violenta Belæ IV. comminatione adactos; rogant igitur veniam: hanc abdicationem ipsis vi extortam, rescindendi. (CLIII.)

Omnes supradictæ petitiones Romæ felicem optatumque effectum nactæ sunt.

Inter monumenta vero hujus Corporis, tam voluminis productioris, quam pretii historici habita ratione, principem sane locum merito occupant: *acta*, quæ deputati Innocentii P. V., in Insula Leporum diœcesis Vesprimiensis finibus comprehensa, causam b. Margarethæ cœlitum albo inserendæ, tractantes, in scriptis redegerunt.

De his jam penitius illustrandis, nobis agendum erit.

INQUISITIO SUPER VITA ET MIRACULIS BEATAE MARGARETHAE VIRGINIS, BELAE IV. REGIS FILIAE.

(1276.)

I.

Regum Hungariæ primæva stirps, quemadmodum jure merito gloriatur firmum in regno suo Ecclesiæ catholicæ posuisse fundamentum, eamque eximiis dotibus ac prærogativis cumulasse: ita haud minorem laudem sibi vindicat in sancta adeo propagine, qua nationi sibi subditæ, patronos in cœlis, in via vero vitæ duces et exempla imitatione exprimenda, abunde suppeditaverat.

Reipublicæ christianæ rectorem sanctissimum, lilium cœlestis amoris igne consumptum, heroem denique crucis fortissimum, trium harum virtutum imagines plane absolutas, in SS. Stephano, Emerico et Ladislao admirabundi suspicimus.

Mox currente jam sæculo XIII. in tenerioribus quoque stirpis Arpadianæ ramis, sexu inquam muliebri, flores præclaræ sanctitatis emicuere. Ut adeo vel in unius Belæ III. prosapia sex piissimas filias et nepotes, Ecclesia «*sanctarum*» aut «*beatarum*» sertis coronaverit.[1] Sed inter sanctas illas Arpadianæ domus fœminas una extitit b. Margaretha, Belæ IV. filia natu minima, quæ vitam in Hungaria totam transigens, sepulchrum

---

1 **Bela III.**

Hungariæ rex.

Andreas II. Hungariæ rex.		Constantia Ottocari Bohemiæ regis uxor.
		S. Agnes.
Bela IV. Hungariæ rex.	S. Elisabetha Thüringiæ.	B. Jolantha Petri Aragonensis uxor.
S. Kunigunda Boleslai Cracoviensis Ducis uxor.	B. Jolantha Boleslai Calisiensis Ducis uxor.	B. Margaretha V.

quoque in patrio solo obtinuit, illudque ægrorum miserorumque eo confluentium veluti salutis portum consecravit. Ut adeo hocce lilium, vitam vigoremque e sacrata Ecclesiæ Hungaricæ tellure traxisse atque virtutum suarum flores ad radios solis Pannonici explicuisse, merito dixeris. Hinc mirum non est, quod memoriam ejus, claritas quædam e triplici: pietatis religiosæ, laudis item patriæ ac dulcedinis cujusdam sexum maxime teneriorem decorantis, foco velut erumpens atque longo sex sæculorum tractu numquam obfuscata, gloriosam reddiderit.

Et sane tota ejus indoles omnisque vitæ tenor illam præ se ferebant formam: ut eximiæ suæ pulchritudinis illecebris, coævorum æque ac posterorum admirationem raperet.

Domus regia tunc e patria Tartaris profligata exulans, inter mille fugæ miserias, prolem hunc, velut angelum solatii e cœlo lapsum, susceperat. Nondum natam parentes, religiosæ vitæ jam in antecessum devoventes, hoc sacramento eandem cœlo velut restituerunt; utque hujus voti quamprimum damnarentur, æstu quodam impatiente urgebantur. Puellam igitur vix quadrimulam claustro virginum S. Dominici Vesprimiensi addicunt. Mox etiam novi monasterii fundamenta jaciunt prope Budam regni caput, loco tamen a mundana turba remoto. Insula est Danubii, olim «*leporum*» dicta, sæculo vero XIII. B. V. Mariæ nomini dicata; dum rege jam Mathia Corvino, ab incola hac sua clarissima, Margarethæ tesseram, hodie dum usurpatam obtineret.[1] Instructis igitur ædibus (1252) huc virgo 10 annorum transmigravit, comites secum ducens plures monasterio Vesprimiensi moniales, quæ fere omnes illustri loco natæ eandem, velut stellæ serenam lunam cinxere minores. In his duobus claustris, adeoque in ambitu diœceseos Vesprimiensis, omnis ejus vita defluxit.

Hic itaque, a primis unguiculis, pietatis fervore, puritatis candore, abjectione sui, pœnitentiæ rigore, facilitate morum et obsequendi omnibus promptitudine, terrenorum contemptu atque desiderio cœli, socias omnes longe superabat. Laceris induta vestibus ne vermiculis quidem corpus ejus obsidentibus liberari patiebatur; vilissimos domus labores, curamque ægrorum nauseam sane moventium in deliciis suis ponebat, solidam diei noctisque partem precibus piisque commentationibus tribuebat, quin sæpius viribus plane exhaustis seminecis specie corruens in strato templi

[1] Teste Eppo Ranzano, regis Neapolitani apud Mathiam legato, in opere: «Epitome rerum Hungaricarum» (V. Schwandtneri «Scriptores rerum Hungaricarum» Tom. I.).

jacebat. Ingeniosa quadam dexteritate inventorum sese cruciandi instrumentorum multiplex velut armamentarium sibi componebat; atque dum hæc secreto sæviens in se exerceret, socias insuper precibus importunis sollicitabat, ut innocens corpusculum verberibus cruentarent. Dum tamen corpore humi serperet, inopia doloribusque fere opprimeretur: mente interea ad thronum Numinis elevata, cœlestibusque perfusa deliciis, in opulenta pacis quiete, assiduo volitabat. Insuper e cœlo, tamquam supernis ditata donis in terram descendens, tanta charismatum fulgebat copia: ut sociæ ejus stupenda quædam in ea a teneris inde annis signa animadverterent, miraque patrandi potestatem eidem tribuerent. Comminiscuntur vultum luce quadam cœlesti irradiatum, caput flammis coronatum, corpus a terra sublatum, solem precibus ejus repente nubibus dissipatis conspicuum, Danubium exundantem et alveo rursus relapsum; alii consilia mentibus recondita ipsi revelata, futura præcognita, ægros ipsius nutu sanitati restitutos fuisse contendunt.

Sane asceseos illius mysticæque doctrinæ spiritum, quem ineunte sæculo XIII. SS. Franciscus de Assisi et Dominicus pristino vigori restituerunt, in Margaretha nostra, corpus velut induisse conspicimus, dignumque, qui industria singulari et pietate, posterorum quoque mentes exerceat, profitemur.

Fausto siquidem fato nobis concessum est: ut indolem eximiæ hujus Virginis vitamque intimam, proximam item ejus familiam, auramque velut domesticam, in qua spiritum traxerit, penitissime ac tamquam in pictura quadam vividissimis coloribus efformata, cognosceremus.

Quemadmodum enim ruptis nebularum aggeribus, per patentes veluti rimas, regio sese oculis nostris offert clare spectanda: ita monasteriorum Vesprimiensis et Insulæ Leporum nobis panduntur abdita quæque, monumentorum superstitum radiis illustrata; quamquam res medii ævi quamplurimæ, altissimis sepultæ tenebris circumquaque latitent, vix vel ne vix quidem opera historica in lucem eruendæ.

Siquidem claritas illa, quæ circumfulsit viventem, memoriam quoque ejus per cursum sæculorum porro comitari videtur: tam perspicua nobis de hac b. Virgine suppetunt documenta, quæ reliquas gentis nostræ legendas et codices chronicos tam ubertate rerum, quam nativo suo colore longe superant, atque viva velut illius imaginis specula exhibendo, nunc quoque antiquum vigorem quemdam et calorem in præsens usque tempus refundunt.

Quod quidem de utrisque Beatæ nostræ legendis, latina æque ac hungarica tenendum est.

I. Ordo S. Dominici, b. Margaretham summum sibi decus reputans, elapsis ab obitu vix septuaginta annis, sollicite curavit, ut descriptionem ejus vitæ, ad incrementum pietatis et alumnis suis et externis proponeret. Præpositus ordini Romanus id munus pensumque clarissimo socio commisit P. Garino gallo;[1] qui collectis jam per varias cœtus sui academias doctoris palmis, tunc temporis (1338) legatum ordinis ad curiam Pontificis Avenione egerat. Hic sane amplissimam ibi nactus est occasionem: ut e fontibus fide dignissimis, actis nimirum disquisitionis de Margaretha sanctis accensenda institutæ, pleno — ut aiunt — ore hauriret. Opus ab ipso concinnatum, sive rerum copiam, sive partium aptam elegantemque juncturam, sive doctrinæ sanctioris sublimitatem, sive denique styli ornamenta spectes, inter hagiographias illius ævi palmare utique censendum est.

Bifariam dispescitur: pars prior Margarethæ vitam atque mira ab ea superstite adhuc patrata 60 capitibus complectitur; altera vero cœlestia beneficia, ipsius intercessioni post obitum adscripta 70 capitibus enumerat.

Opus hoc quatuor codicibus membranaceis, sæc. XVI. et XV. exaratis ad nos pervenit, quorum exemplum unum in bibliotheca nationali Neapolitana, — alterum in principum Chigi ædibus Romæ, tertium in Bibliotheca d'Arsenal dicta Parisiis conservatur; quartum olim in monasterio SS. Joannis et Pauli Venetiis recondebatur. Codicis Neapolitani exemplatum a Leopoldo Óvári transcriptum, — Ferdinandus Knauz prologo doctisque annotationibus illustratum a. 1868. publici juris fecit.[2]

Dum tamen codices isti auctoris nomen occultant, summarium quoddam, ex opere genuino ad usum — uti videtur — publicum excerptum et ex codice sæc. XIV. in Collegio Soc. J. Paderbornensi reposito,[3] jam

---

[1] In opere: «Scriptores Ord. Prædicatorum» (Parisiis 1719) «frater Garinus vel Gvarinus de Giaco (Guy l'Évèque) gallus» celebratur ejusque vita penitius describitur. Sufficiat interim memorasse eum postea gubernacula ordinis capivisse.

[2] «Sion Hungarica» (Magyar Sion) 1867 & 1868; forma vero separata sub titulo: «Legenda S. Margarethæ Neapolitana» (Strigonii 1868) in f. 8, pag. 195. Codicem Venetum exeunte priore sæculo Ignatius e Comitibus Batthyány, Eppus Transylvaniæ curavit desceribi, qui dein una cum collectione manuscripta ejusdem in bibliotheca eppali Albæ Juliæ repositus est. Codex Chigiorum Romanus «F. XIV. 94» signum, Parisinus numerum 1072. portat.

[3] V. Surius: «De probatis SS. historiis» I. 744—750. Et a. 1643. Acta SS. Januarii II. pp. 906—909. Codex Paderb. in bibliotheca regia Bruxelliis servatur (7503—18) «Catalogus Codicum Hagiographicorum Bibl. regiæ Bruxellens. Ediderunt Hagiographi Bollandiani Bruxellis 1889. II. 84.

a. 1576 majori collectioni «*Acta Sanctorum*» insertum, nobis conservavit.[1]

II. Præter Magistrum Garinum alius quoque auctor e familia S. Dominici conscripsit vitam b. Margarethæ. Is magister Joannes fuit, de cujus tamen ætate ac natione non constat. Exemplar operis ejusdem latinum ad nos non pervenit sed, translatio tantum germanica, quam socius ejus Georgius Valter altero sæculi XV. spatio concinnavit, cuius manuscriptum synchronum bibliotheca Monacensis regia conservavit. Tredecim absolvitur capitibus; decem res gestas Margarethæ, tria ejus miracula 42 enarrant.[2]

III. Præ his autem operibus — utut summe æstimandis — majoris nobis momenti ac pretii monumentum præbet: «*Legenda b. Margarethae*» hungarico idiomate concinnata; cujus unicum exemplar, ineunte sæc. XVI. (verosimilius a. 1510.) per Leam de Ráska virginem hungaram in monasterio insulae leporum Budae Deo dicatam exaratum, in bibliotheca Musæi Hungarici nationalis pie asservatur, atque antiquioris cujusdam codicis apographon habetur. Quæstio tamen, quonam tempore sit compositum hocce opusculum, qualique idiomate princeps exemplum, hungaricone an latino scriptum: litterarum patriæ peritissimos hucusque tenet ancipites.

Codex superstes mancus est, utpote initio et fine carens. Partes ha-

[1] Codex Paderb. hoc titulo insignitur: «Legenda exscripta de rotulis seu diffusis dictis testium juratorum coram prædictis inquisitoribus a sede apostolica super hoc datis, compendiose et quasi per puncta extracta est anno domini 1340 in curia Romana Avenionis per fratrem Garinum ord. prædicatorum magistrum in theologia, de mandato fratris Hugonis magistri XVI. ejusdem ordinis». Eo usque opus hocce solum Garino tribuebant. Ast sententia hæc internis jam notis sibi contradicere videtur. Absonum enim est: socium ordinis S. Dominici adeo insignem, supremo plane præside mandante, Virginis hujus, summæque cœtus sui gloriæ vitam, opusculo vix 6 foliorum jejuno sane et justo angustiore, levi brevique — ut aiunt — manu constrinxisse: dum alius quispiam longe digniore forma hanc eamdem materiam pertractavisset. Præterea, amborum inter se collatorum operum velut oculos ferit affinitas. Eædem prorsus sententiæ phrases ac loquendi formulæ in utrisque codicibus occurrunt: quin harum similes in actis, unde ambo velut ex fonte hauserant, deprehendi possint. Quum denique nemo sanus contenderit fieri potuisse: ut opus, rerum ubertate et forma longe præstantius ab inferiore et minore quidquam mutuo velut emendicasset, planum est, hocce brevius synopsin esse majoris operis.

[2] Manuscripti signatura est: Cod. germ. 750. Forma in 4. Post legendam S. Elisabethæ, a pag. 109—143. Margarethæ complectitur. Ita vero præfatur: «Hyr hebt sich an dy Vorred von dem Leben, seligen Wandlung Verschidung und Wunderzeychen der heyligen Junkfr. Margarethe eins Königes Tochter von Üngern, der war sanct Elsbethen Pruder. Aber dise heylige Junkfr ist gewesen Prediger Ordens bey der Stat Ofen in dem Claster, das man nennet Sanct Margarethen Inseln. Das hat zu latein geschriben Pruder Johannes, ein Meister desselben Ordens, und deutsch gemachet Pruder Jorg Valder des Ordens». Heic loci grates refero Domino F. Keinz, custodi bibliothecæ Monacensis regiæ, qui codicis exemplatum atque notitiam auctori operis benigne procuravit.

bet duas, titulo nullo distinctas; prima vitam Beatæ enarrat; altera recenset miracula: «quæ Dominus Deus omnipotens intuitu meritorum Dominæ S. Margarethæ, in ejus vita et morte et post mortem patrare dignatus est.» His accedunt geminæ appendices. Prior exhibet testimonia accolarum claustri Insulæ leporum (1276.), quæ in judiciali de canonisatione Beatæ examine, pontificii commissarii exceperunt; altera vero depositas in ulteriori disquisitione (1271—1276.) testium exterorum fide dignas narrationes comprehensura, mox codice, in primi jam testis interrogatione vix incœpta, — infausta quadam sorte mutilato, — interrumpitur. Hunc codicem primo Georgius Pray e Soc. J. (1770.) novissime vero mandante Academia litteraria Hungarica, Georgius Volf typis mandavere.[1]

Auctor hujus legendæ hungaricæ eodem ex fonte argumentum deprompsit, qui latino interpreti patuit; e testimoniis nimirum, quæ in causa de Margarethæ canonisatione a pontificiis judicibus instituta, edebantur. Monumenta, quibus hæc testium effata comprehunduntur, hucusque latuerunt, et hoc in volunime prima vice in lucem prodeunt.

Antequam tamen hunc actorum commentarium lectori benevolo panderemus, de inquistionis serie pauca delibanda esse videbantur.

II.

Primis Ecclesiæ sæculis, singulis Episcopis per ambitum diœceseos suæ jus competebat martyribus et confessoribus decernendi cœlitum honores religionisque obsequia. Ast jam inde a sæculo IV. passim accidit, ut præsules Summi Pontificis assensum hac in re expeterent atque hoc pacto illius, causam decernentis auctoritatem, qua late patuit ecclesia, agnoscerent atque suncirent.[2]

Lapsu temporis Pontifices summum sanctos consecrandi jus sibi vindicarunt, illudque ab ineunte jam sæc. XII. singulare ac proprium sedi apostolicæ reservarunt. Abhinc viro quopiam vel fœmina sanctitatis fama defunctis patratisque eorum interventu miraculis, regni illius princeps,

[1] In collectione «Nyelvemléktár» T. VIII. (Budapestini 1881.) pp. 1—86.

[2] Praxin Ecclesiae in SS. Canonisatione, Card. Lambertini, postea Benedictus P. XIV. sequenti opere describebat: «De servorum Dei beatificatione et sanctorum canonisatione» Bononiæ 1738. quinque voliminibus.

episcopi vel proceres, solum ac proximum adierunt precibus Pontificem: ut præambulam canonisationi quæstionem (processum) institueret.

Tunc Pontifex in antecessum nonnullorum regni illius præsulum expetebat relationes: utrum causa hæc illis movenda probaretur? Sententiis illorum faventibus, binos ternosve designavit arbitros, qui quotquot præsto haberent virtutum Sancti, miraculorumque ipsi adscriptorum testes, interposito jurejurando, audirent atque testimoniorum acta, notario publico exarata ad S. Sedem deponerent. Hic jam causam ita instructam deputati e Collegio purpuratorum patrum cognoscebant, quorum quidem actio cautelæ exquisitissimæ rigorique strictissimo subjecta erat. Hi sæpe sæpius acta non plane ad amussim redacta vel dubia, iterum perscrutanda novisque testimoniis supplenda remiserunt. Sic factum est, ut causa quandoque per decennia, quin etiam per plura sæcula protraheretur atque hinc inde effectu optato plane careret.[1]

Quandonam vero causæ canonisationis dandum esset initium, nulla lege definiebatur. Occurrebat passim, id vix anno ab obitu Sancti cujusdam, jam locum habuisse.[2] Ut exemplum nobis gratissimum afferamus, S. Elisabetha Hungariæ, a. 1231. defuncta jam a. 1235., quarto igitur post mortem anno Sanctorum catalogo, a Gregorio P. IX. adscripta est.

Prompta igitur conjectura ac læta spes affulsit fore, ut fratris quoque ejus filia Margaretha nostra, pari gloria sit decoranda.

Dum enim in vivis ageret, virtutibus eximiis non solum summam sociabus ingessit admirationem, verum firmissimam quoque persuasionem, eam gratia miraculorum instructam esse. Mox plura viginti stupenda facta enarrari, quæ vivens patravisset.

Fidem eamdem et vicinos monachos de ipsa concepisse. Inter hos Marcellus præses provinciæ S. Dominici Hungaricæ, qui restitutam miro modo fratri cuidam religioso sanitatem, precibus Margarethæ in acceptis referebat.[3]

Quumque Virgo hæc sacra a. 1270. 18. Januarii temporalem vitam cum æterna commutavisset,[4] Philippus Archieppus Strigoniensis sic plo-

---

[1] Lambertini I. 49, 52, 78, 116. II. 20, 399, 511.

[2] Lambert. II. 561.

[3] Legenda Neopolit. p. I. cap. 51.

[4] Legenda Gvarini mortem ejus ad a. 1270., hungarica vero ad a. 1271. statuit. Plures antiquiorum scriptorum, et recentissime Knauz posteriori sententiæ suffragantur. Aestate a. 1276. testes interrogati: quot ante annos defuncta fuerit? uno ore reponebant: «ante septem» adeoque Gvarini fidem confirmabant.

rantes sorores consolatus est: «Nolite flere super filiam hanc æterni regis, sed gaudete potius, quia ipsam perpetuæ jam hæreditatis mercedem accepisse conspicimus». Siquidem, teste legenda hungarica, sublato a mortua velo «videbat faciem ejus splendescere.» [1]

Nondum exangue corpus tumulo tegebatur, quum jam ægroti undequaque ejus opem implorabant.[2] Mox turmatim incipit miserorum et languentium peregrinatio ad sepulchrum ejus gloriosum, quorum plurimi recuperata valetudine læti redierunt.[3]

Hujusmodi mira sanatio primo die mortis ejus anniversario contigit (1271. 18. Januarii) præsente rege Stephano V. qui tunc ad exuvias gloriosæ sororis suæ piam peregrinationem instituit.[4] Hoc faustissimo omine, procul dubio, excitabantur præsentes episcopi et proceres, ut vota de Margarethæ canonisatione conciperent et rex ipse eamdem a S. Sede postularet.

Legatos proinde rex ad Gregorium P. X. misit: «Supplex orans (verba sunt legendæ Hungaricæ) ut quum Dominus Deus misericors, in gratiam Venerabilis Sanctæ hujus Virginis ac intuitu meritorum ejus tot magna patrasset miracula, neque omnino indigne ejus auxilium inter alios Sanctos imploraretur: dignetur Sanctissima Paternitas illam sanctis adnumerare.» [5]

Pontifex regiis votis sine mora obsecundaturus actionem canonicam mox instituit. Non constat tamen, quibusnam præviam relationem ad se mittendam imposuerit. Probabile videtur Pauli quoque Eppi Vesprimiensis, utpote ordinarii, sententiam exquisivisse. Responso et quidem opportuno — ut videtur — mox accepto, causæ indagationem quamprimum jussit

---

[1] Collectio «Nyelvemléktár» VIII. 35.

[2] V. Legendam Neapol. II. cap. 5.

[3] Legenda Hung. commemorat: «Post obitum ejus, anno et quinque mensibus elapsis clarescere cœpit miraculis editis, quum a. 1272. 13. Junii, fer. III. post octavam Pentecostes Benedicti cuparii Vaciensis facta est curatio» (p. 49.). Hæc tamen relatio, utut speciem exactæ chronotaxis præ se ferat, attamen secum ipsa pugnare deprehenditur. Refert enim Benedictum istum cuparium tunc demum se ad sepulchrum Beatæ transferri curavisse, quum: «magna ejus prodigia audivisset». Quodsi igitur fama prius jam patratorum ab eadem miraculorum allectus eam adiverit, sanatio ejus primum miraculum esse haud potuit. Insuper mensis ab obitu decimus septimus, junius erat anni 1271., non vero 1272-i; postremo feria III-a octavam Pentecostes nequaquam in 13-um Junii incidit, sive annum 1271. sive 1272. computaveris.

[4] Legenda Hung. 60.

[5] L. cit. 43. Innocentius P. V. in bulla a. 1276. inferius afferenda meminit libelli illius supplicis, quem rex Stephanus ad Gregorium X. direxit, cujusque argumentum ad verbum legenda nostra retulit. Ast bulla hæc de legatis missis nullam mentionem facit.

institui. Deputati ab eo fuere: Philippus archieppus Strigoniensis, Philippus eppus Vaciensis et abbas Ord. Cistercii Zirciensis. Mandati autem hujus mentio nonnisi serius in documento quodam occurrit, quin tempus, sive illius editi, sive disquisitionis inchoatæ indicetur. Hoc tamen temporis momentum ex actis quæstionis posterioris (1276.) accuratissime possumus eruere. Ex his tabulis siquidem patet Candidam s. virginem testatam esse: se graviter adeo decumbentem, ut medici spem jam salutis deponerent — quadam die in somno a tribus sanctis visitatam fuisse, qui ab eadem interrogati, cur venissent? responderunt, se coram Philippo archieppo de b. Margaretha testimonium edere velle. Ad se reversa visum hunc cœlestem sociabus narrat, rursumque ab illis edocetur Philippum archipræsulem reipsa in claustro nunc commorari testesque in causa Margarethæ excipere.

Ab arbitris quæstioni deputatis exaudita postmodum soror Candida asseveravit: se quinque ante annos die S. Margarethæ festo, igitur 13. Julii 1271. ægre decubuisse; sanctos vero istos octavo post die, i. e. 21. Julii in somno sibi apparuisse; quinto dein die salvam omnino se surrexisse atque Philippum Archieppum testificandi gratia adivisse. Hinc pronum est Philippum Archieppum cum collegis a. 1271. intra dies 13—21. Julii in insula leporum egisse.[1]

Hujus inquisitionis tria nobis insuper præsto sunt indicia.

Appendix quædam legendæ Hungaricæ subnexa, cui titulus sic habet: «Hic incipiunt magnificorum dominorum et venerabilium patrum atque communium fidelium testimonia», codici eo consilio adjungitur, ut prioris quæstionis de Margarethæ canonisatione instructæ testificationes, succinte enumeraret. Dolendum sane, nonnisi fragmenta, primi hujus testium examinis dumtaxat initium abbreviatum comprehendentia, superesse. Primus, qui teste fungitur, Philippus ipse archipræsul est, qui sermonem suum de sepultura B. Margarethæ orditur.[2]

Appendix hæc mutilata ne nomina quidem istorum «magnificorum dominorum, venerabilium patrum ac communium fidelium» coram Philippo laudato testificantium, prodit.

---

[1] In tabulis causæ a. 1276. testificatione XXX. agitur de somnio Candidæ; quod quidem ambæ legendæ (hungarica p. 43, neapolitana p. 126) referunt, sed de morbi tempore neutra injicit mentionem.

[2] L. cit. 86.

Nullum quidem obversatur dubium: quin moniales insulæ leporum omnes in causam vocatæ fuerint: ast ex tabulis a. 1276. etiam constat non omnes comparuisse vocatas. Virgo e. gr. Alinca confessa est se verecundia fuisse prohibitam, quominus facie velo nudata Philippum dominosque præsules coram adivisset.[1]

Legenda Hung. narrat Philippum «antequam testificationes de sancta vita Dominæ Margarethæ absolvisset, mortuum esse».

Bulla quoque pontificia in causa inquisitionis a. 1276. data meminit, archieppum Strigoniensem, antequam deputatorum collegium coronidem negotio s. imposuisset, e vivis ereptum esse. Tempus tamen mortis exacte determinari nequit; id solum nobis constat eum vel postremis a. 1272. vel primis a. 1273-i diebus fato decesisse.[2]

Igitur examen causæ medio Julio 1271. inchoatum nondum post sesqui annum absolvebatur.

Talis vero causæ prorogatio tunc temporis non fuit plane insolita. Sic e. gr. Ludovico IX. Galliæ rege 1270. mortuo, Gregorius P. X. inquisitionem a. 1273. jussit institui, actaque 1276. mense Januario nondum Romæ deponebantur.[3]

Philippum archieppum antevertit obitu suo Stephanus V. rex, qui mense Julio 1272. in claustri insulæ leporum templo, ad latus benedictæ sororis suæ Margarethæ supremam quietis ac refrigerii sedem obtinuit.

Hæc tamen geminæ mortis vicissitudo cursum negotii hujus pii haud adeo diu retardavit. Gregorius enim P. X. Philippo Lodomerium episcopum Varadinensem suffecit, qui accitis mox duobus collegis causam strenue prosecutus est. Istius autem redintegratæ commisionis res gestas unum dumtaxat documentum historicum testatur. Legenda nimirum Hungarica, postquam referret Veteris-Budæ puerum quemdam scholarem, sub ruderibus collapsæ cujusdam domus ceu mortuum erutum ac precibus familiarium B. Margarethæ commendatum illico revixisse, adjungit: puerum redivivum præsentatum esse: «Episcopis Vaciensi et Varadinensi, nec non

[1] V. Tabularium a. 1276. testification. XXXVI. De hac re loquuntur codex Hung. pag. 42 ex vero Neapolitanus p. 119.

[2] Ultimo nomen ejus occurrit in diplomate 14. Dec. 1272. exarato. V. KNAUZ: Monumenta Ecclesiæ Strigoniensis I. 615.

[3] Notices et documents publiés par la Société de l'histoire de France (Paris 1884.) 155.

abbati ordinis S. Bernardi, deputatis a papa, ut de sanctitate S. Dominæ Margarethæ cognoscerent».[1]

Testes vero, qui prodigii hujus adjuncta proponebant, interpellati: quando hoc contigisset? uno ore reposuerunt: tres ante annos, i. e. æstate anni 1273. Hinc planum est: testificationem hanc coram arbitris deputatis, post æstatem 1273. solummodo fieri potuisse.

Collegium deputatorum negotio finito, relationem tabulasque Gregorio P. X. exhibuit. Tunc causa pro more agitari cœpta, — ut tamen cursu celeriore procederet — a nemine urgebatur. Siquidem eo tempore, Ladislao IV. rege nondum adulto, Hungaria intestinis motibus tantopere concutiebatur: ut turbarum fluctus prælatorum ac procerum reipublicæ gubernacula tenentium attentionem a negotio canonisationis abstraherent. Ast æstate exeunte a. 1275. eventus quidam mirificus causæ languenti novum incrementum dedit. Rex tredecim annorum puer tunc in insula leporum commoratus, gravi repente morbo tentatus est. Medicorum clarissimorum ars et industria omnis incassum cecidere. Quum tamen velum b. Margarethæ in claustro religiose asservatum capiti regis imponeretur, statim melius se habere, signa sanationis manifesta edere, et post hebdomadam valens vegetusque surgere.

Vix dubitari potest: quominus rex grati animi tesseram amitæ sospitatrici significaturus, legatos tunc Romam ad causam canonisationis maturandam et promovendam miserit; una Rudolfum Habsburgensem regem Germaniæ fœdere sibi junctum, hac in re intercessorem appellavit. Litteræ hujus commendatitiæ ad Pontificem adhuc supersunt.[2]

Quum legati Hungariæ litteris Rudolfi regis commendati Romam exeunte anno 1275. pervenerunt, Gregorius P. X. morti vicinus, eamdem sequentis anni Januario 10. oppetiit. Sed decem post dies successor ei suffectus est Innocentius P. V. alumnus et ipse ordinis S. Dominici, cui claustrum monialium insulæ leporum quoque subjectum erat. Pontifex neocreatus certe proprio jam studio accensus, causam Margarethæ promo-

[1] Legenda Hung. p. 58. refert: «Petronellam virginem coram reverendis patribus eppis, papæ commissariis testimonium præstitisse» (p. 40). Sed ex hoc loco minime evincitur: num superstite adhuc Philippo archieppo, an jam mortuo hæc confessio judicialis facta sit?

[2] Litteras temporis indicio carentes edidit: BODMANNUS: «Codex epistolaris Rudolfi I. regis 102. WENCZEL: Diplomata ævi Arpadiani IV: 166.Editores hanc epistolam ad ann. 1278. ad tempus ergo serius refigunt. Ast ex argumento ipso probabilius concludimus, eam ante inquisitionem a. 1276. scriptam esse. Cæterum jam anno 1275 exeunte, principes hos duos fœderis necessitudo conjunxit; adeoque etiam intercessio supra laudata tunc temporis fieri potuit.

turus erat. Ipsa sane naturali necessitudine impulsus illud præprimis in votis habuit, ut cœtum proprium, qui nondum Sancta gloriabatur filia, parem constitueret Ordini Seraphico, cui tunc jam S. Clara lucem affudit admirabilem. Verumtamen judicis æquitatem ab omni partium studio alienam, anxie conservavit.

Sine dubio jam Cardinalis amplam nactus est occasionem acta de Margaretha penitius inspicendi. Persuasum igitur sibi erat acta et relationes ab arbitris deputatis missas non stricta adeo forma esse conceptas, ut firmum canonisationi fundamentum sternerent. Tales utique defectus in tabulis eo missis, in curia Romana sæpius deprehensi sunt. Sic e. gr. a. 1224. acta in causa Guilielmi eppi Eboracensis conscripta ideo rejecta sunt, quod testium narrationes summarie tantum, et non per extensum — ut aiunt — nec ad verbum complexa essent. Idem attigit fatum tabulas in causa Hildegardis redactas, quum sanationes miras sine personarum et locorum nominibus, temporisque indiciis retulissent.[1]

De nævis in actis Margarethæ obversantibus, Innocentius P. V. ita summatim loquitur: ut inde eorum naturam clare haud perspexerimus. Certum est tamen eos tanti momenti fuisse, ut Pontifex novam omnino disquisitionem testiumque interrogationem instituendam esse existimaverit. Quæstionem vero hanc dirimendam, relicto prædecessoris sui more, non jam præsulibus Hungaris commiserat. Ex geminis his ejusdem actibus pronum est conjicere quædam ad causam illustrandam facientia: inprimis eos, qui hucusque negotium tractavissent, pietatis patriæ ac admirationis sensu abreptos, haud illa, quæ arbitrum decet, severitate atque consilii defæcati claritate rem agere potuisse; deinde Pontificem, ulteriorem deposuisse spem fore, ut hanc recte judicandi facultatem in præsulibus Hungaris inveniat.

Idcirco decrevit ad novam quæstionem ex propria curia mittendos esse arbitros. Qua quidem e sententia id etiam commodi proventurum sperabat: ut et disquisitio citius executioni mandetur, et actorum tam argumentum quam forma omni sint exceptione superiores; proinde totum negotium ad optatum tandem finem celerius perducatur.

Animi in consulendo prorsus liberi, judicisque æquissimi indicium vel eo declaravit: quod deputatos in Hungariam mittendos non S. Dominici

[1] Lambertini III. 511.

viros, hujus causæ quodammodo participes elegerit. Sacerdotes sæculares placuit designare. Unus *Ubertus Bianchi*[1] fuit capellanus pontificius et canonicus Placentinus; alter *La Corre* jurisprudentiæ doctor et canonicus Veronensis. Hi in aula pontificia ecclesiasticoque ordine præcipuos gradus haud occuparunt, illorum que nec prius, nec posterius in documentis historicis alia præter hanc, occurrit mentio. Pontifex a. 1276. 14. Maii in regia Laterana ipsis bullam — ut aiunt creditivam expedivit. Regulam juris ab iisdem observandam, usus curiæ exactissimus, presse præscripsit. Bulla præprimis injungit: ut testium effata «plene, verbotenus et dilucide» conscribere curent.

Quæstiones præcipuæ testibus proponendæ, bulla propria, 25. Maii edita, comprehendebantur. Sunt vero hujusmodi: «Unde hoc, quod enarrat, testis resciverit? Eventus ab eodem relatus, quonam mense ac die, quibusque præsentibus contigerit? Prodigiosa sanatio, cujusnam invocatione, hæc item invocatio vero quibusnam conceptis verbis facta fuerit? Curatorum tali modo, quod sit nomen ac ubinam habitationis locus? Num testis personam mirabiliter sanatam antea noverit? quodsi noverit, quot ante sanationem diebus illam ægre decumbentem viderit? et facta sanatione quamdiu saluam sospitemque?»[2]

Ex his interrogandi formulis patet: momentum summum in declarandis miris sanationibus esse positum.

Jam nunc deputati Pontificis sine ulla mora ad iter Hungaricum sese accinxerunt atque ad negotium expediendum Budam, ad insulam leporum venerunt.

Catharina Somogyi monialis narrat in testificatione sua, se per undecim menses, ab 8. Sept. 1275. usque ad 13. Julii 1276. graviter decubuisse. Sub hoc tempus percepit legatos Papæ in via versus Hungariam versari, ad quæstionem de canonisatione Margarethæ redintegrandam. Voto simul se obstrinxit: velle se jam nunc testificationem suam in prima inquisitione ab se denegatam, sponte sua deponere.[3]

Hinc planum est: deputatos pontificios jam longe ante 13. Julii 1276. in insula leporum esse expectatos, eorumque adventum prævie indicatum.

---

[1] In litteris mandatoriis occurrens nomen Blancus italico Bianchi convenit.

[2] Binas has bullas sub. num. CXCVII-ad feremus.

[3] In actis testificatio XXXIII. quam etiam legenda latina exhibet. p. 129.

Verosimile est; ante eorum in Hungariam adventum, factam fuisse per omnia regni templa ex ambone disquisitionis hujus promulgationem, atque interpellationem ad Christi fideles, ut quotquot vitæ Margarethæ miraculorumque ipsa interveniente patratorum notitiam haberent, legatis ad testificandum se sistant.

Unus e testibus fatetur hanc promulgationem se Quinqueecclesiis percepisse quidem, ipsum tamen — utut Margarethæ precibus e gravi morbo ereptum — ob negotia domestica tunc non adivisse commissarios pontificios; postea vero, cum morbus denuo recruduisset, sine mora iter ad insulam leporum accelerasse.[1]

Arbitri pontificii ad testimonia excipienda 23. Julii sese accinxerunt. Jam tunc fama ipsis, haud dubie innotuerat de obitu Innocentii P. V. qui eum post quinque mensium et duorum dierum perbreve regnum eripuit (22. Junii). Non tamen hoc fato sive in causa instauranda retardabantur, sive in eadem promovenda, fatis romanæ sedis successivis: electione nimirum Hadriani V., (12. Julii) ejusque celeri morte (a. 1276. 17. Aug.) nec non creatione Joannis P. XXI. (13. Sept.) impediebantur.

Tempus inchoatæ testificationis — ut supra vidimus — exploratum habemus; non tamen constat nobis, quando finis eidem sit impositus.

Documentum siquidem, quod legati de peracta quæstione ad Joannem P. XXI. exarabant, mutilum ad nos pervenit atque indicio temporis etiam caret. Refertur ibidem: testificationes a Bertholdo Bosant notario publico in acta relatas, sigillisque deputatorum munitas, Romam esse missas[2] exemplatum eorum autem in insula leporum remansisse.[3]

III.

Tabulæ Romam delatæ, sede apostolica interim ineunte sæc. XIV. Avenionem migrante, eandem huc quoque comitatæ sunt atque Garino supra laudato, ad legendam Margarethæ 1340. conscribendam, argumen-

[1] Legenda Neapol. (165). Testificationis acta, unde hæc legenda rem deprompsit, proh dolor manca sunt (88). Hoc ipsum quod hic refertur factum, ibidem desideratur.

[2] Pragma hoc sub. num. CXCI. retulimus.

[3] In legenda hung. narratur commissarios pontificios, quæstione finita, hanc «fideliter conscripsisse, Papæ misisse nobisque reliquisse descriptam, uti recte videtis, legendam» 43.

tum subministrarunt quidem, ast ex eo tempore nullum earum vestigium apparet.

Quum 1640. viri ordinis Dominicani hungari causam Margarethæ albo sanctorum inserendæ, tractu quatuor sæculorum — prout videbimus — interruptam, rursus instaurarent: P. Antonium Sartorium Romam deputarunt, ut ibidem potissimum ad eruenda legatorum acta curam adhiberet; qui tunc quidem pro virili sua tabularia Romana et Avenionensia pervolutavit, ast operam perdidit.[1]

Auctor hujus operis quoque iterata vice Romana tabularia incassum perscrutatus est.

Tabularum exemplatum ab arbitris pontificiis in insula leporum relictum, auctor legendæ hungaricæ in suam rem convertebat.

SS. virgines ex insula leporum a Turcis in fugam actæ 1541. Varadinum se prius receperunt, mox Tyrnaviæ, hinc demum Posonii in claustro S. Claræ sedem figentes, pretiosum hoc monumentum una cum reliquiis sacris librisque suis secum tulerunt. Quumque ultima e filiabus S. Dominici 1637. fatis cesisset, pios hosce thesauros Clarissæ hæreditario jure acceperunt.

Emericus Losy archipræsul Strigoniensis 26. Febr. 1641. claustrum S. Claræ Posonii invisens, canonisationis Margarethæ restaurandæ causa, sepulchrum ejusdem ossibus virgineis consecratum, aperiendum curavit. Tunc ss. exuviis appositus codex antiquus repertus est, qui acta a. 1276. comprehendebat. Archiepiscopus ipse ante omnes alios, hoc monumentum clarissimum, quantum — fatente ipso — antiqua et vetustate oblitterata scriptura permiserit, sollicite perlegit; deinde a viris ecclesiasticis, litterarum antiquarum peritis descriptum et a notario publico probatum exemplar Romam misit.[2]

Verumtamen haud meminit: utrum codex in tumba iterum repositus, an vero in tabulario archiepiscopali insertus fuerit; nec alii hujus rei comminiscuntur. Ex eo jam tempore et sarcophagus ossibus sacris clarus et ipse codex penitus evanuere, ac omnis labor in iisdem requirendis incassum cecidit.

---

[1] Ipse P. Sartorius hæc refert in scripto memorali, quod in tabulario ordinis Domin. primario Romæ conservatur.

[2] Hæc sanctio notarialis 5. Apr. 1641. Tyrnaviæ signata est. Exemplatum ceu transsumptum documento archiepiscopi insertum est. In præfatione inventio codicis enarratur.

Exemplatus codex a p. Sartorio Romam quidem est allatus, attamen, quum causa canonisationis identidem interrupta, monumentum istud haud usui tunc esse potuerit, interim sibi reservavit atque 1647. Roma discedens in tabulario Congregationis SS. Rituum deposuit.[1]

Exemplar hocce, currente sæculo XVIII. bis ut apographon descriptum est. Unum ordo S. Dominici curavit atque 11. Apr. 1729. publica auctoritate signatum (in 4° pag. 258.) tabulario Romano inseruit, hodieque servat.

Alterum transcriptum (in fol. pag. 160.) circa 1780. Ignatius e comitibus Batthyanyi, magni nominis episcopus Transylvaniensis sibi comparavit, quum de restauranda Margarethæ causa acturus, in colligendis ejus reliquiis vitæque monumentis operam navaret.[2]

Annotationes quædam in codice doctissimi episcopi manu propria factæ insinuare videntur, eum de cripto hoc edendo cogitasse. Ast propositum hoc caruit effectu. Mortuo eo, amplissima manuscriptorum collectio, una cum hoc codice, in bibliotheca Alba-Juliensi episcopali a se condita deponebatur. Heic igitur codex ultra sæculi intercapidenem delituit: dum auctor hujus operis anno 1880. animum in illum intenderit. Editio tamen ejusdem moram ideo passa est, quod prius conferre illum cum primo exemplari vel certe cum exemplato a. 1641. operæ pretium videretur.

Abhinc per sesqui decennium auctor idem sæpius tentavit deprehendere sive in Hungaria primas causæ tabulas, sive Romæ descriptionem illam 1641. jure publico consignatam.

Conatus tamen ejusdem incassum ceciderunt omnes! Nihil igitur superesse aliud videbatur, quam ut acta e manuscripto Batthyanyiano edantur; quum collatione cum exemplato anni 1739. facta, constet, veram pressamque descriptionis authenticæ anno 1641. factæ imaginem præ se ferre.

Ast hic illa quoque animum pulsat quæstio: utrum exemplatum anni 1641. acta in sarcophago Posoniensi inventa, fideliter referat?

---

[1] Ipse hoc in suo commentario refert.

[2] Quandonam cujusque usus ministerio codicem aquisiverit, non constat. Emericus Daniel, e clero Transylvaniæ, ab episcopo monumentis hungaricis in Italia conquirendis deputatus, Romæ hæc 4. Maii 1785. ad eum scripsit: «Abbas Aurelianus de Angelis mihi adfirmat, ante plures annos integrum processum (sc. canonisationis b. Marg.) a se Excellentiæ vestræ missum fuisse.»

Hoc unum residuum est indicium causæ, quod Rss. D. Canonicus Beke in litteris Batthyanyisanis invenire potuit.

Justa siquidem obversatur dubitatio: num scriptores, quibus archiepiscopus Losy exemplatum perficiendum commisit, in interpretatione manuscripti sæc. XIII., difficultates legendi sane gravissimas, superare valuerint? Attamen examen exemplatorum accuratius institutum, nonnullam, eamque sufficientem videtur præbere certitudinem. Occurrunt nimirum in actis sat crebro verba italica et etiam latina obsoleta, quæ scribis Posoniensibus utique incognita, ad amussim tamen reddita deprehenduntur. Hinc concludere juvat, eosdem textui reliquo etiam latino, alioquin planiori, anxia satis cura et fidelitate inhæsisse. Raro e contra inveniuntur partes ejusmodi, in quibus manifesta vitia, vel confusa quædam scribendi ratio, genuinum sensum depravare videntur. Quod quidem potius evagatæ scribentium menti ac manui præcipiti tribuendum censemus, quam legendi imperitiæ. Majorem difficultatem nonnisi nomina quædam personarum locorumque hungarica creant, utplurimum mendose descripta. In hujus tamen culpæ insimulationem probabiliter notarii actorum a. 1276. itali vocandi sunt, utpote linguæ hungaricæ ignari. Siquidem legendæ tam latina quam hungarica, quarum auctores ex actis 1276. et Avenione, et in insula leporum hauserant, pari modo scatent hujusmodi nominibus propriis, mendose descriptis. Quod tamen magis dolendum, actorum exemplar nobis præjacens, graviori adhuc defectu laborat.

Illius nimirum utraque apographa tum romanum, tum albajuliense, binis in locis testificationes mancas in exordio exhibent; undecim vero locis, testimoniorum in fine subsequens testimonium initio, mutilata deprehenduntur.

Jam archiepiscopus Losy, acta in tumulo reperta perlegens, hiatus hosce animadvertit, eorumque causam in quadam incuria, sive in custodiendo, sive in usurpatione codicis admissa, reposuit.[1]

Descriptores quoque a. 1641. ubicumque in testimoniis intermissis lacunas quasdam deprehendissent, sive in corpore, sive in marginibus adnotarunt: hic «folium quoddam abesse».[2]

Jure tamen merito quæri potest: utrum omnibus his locis mancis, unicum dumtaxat folium atque testificationum dumtaxat harum mutila-

[1] «In corpore eiusdem libri, plurimæ hinc inde paginæ, vel custodia, vel tractatione minus cauta, prout sensus interruptus proderet, desiderarentur.»

[2] «Hic folium deest». — «Hic folium deest, sequens vero incipit sic». — «Hic folium deest, ita et finis depositionis huius testis; sicut etiam ea de causa desideratur initium et continuatio depositionis alterius testis» etc.

tarum jam exordium, jamque finis, desiderentur? An non etiam plura folia, cum pluribus item testimoniis, periise censenda sint?

Tam archiepiscopus, quam etiam P. Sartorius clare distincteque asseverant: acta in sepulchro inventa, formam libri cujusdam præsetulisse.[1]

Hinc pronum est deducere: codicem in sepulchro positum haud fuisse idem unumque cum exemplato Romam misso, i. e. ejusdem — ut vulgo dicitur — duplicatum.[2]

Scriptores nimirum medii ævi tabulas publicas, etiamsi amplissimam testium depositionem comprehendissent, minime tamen in formam libri redegerunt, sed ad documentorum normam concinnaverunt. Adeoque plura chartæ vel membranæ folia, unum sub altero consuerunt aut agglutinaverunt, quæ dein in continuam longamque plurium pedum seriem coaluerant et in scapum convoluta (ideo rotuli dicta) conservabantur. Talem formam exhibent actorum in canonisatione S. Ludovici Galliarum regis exaratorum fragmenta, in tabulario Vaticano recondita. Tale fuit sane exemplar princeps actorum in insula leporum conscriptorum (1276.) quo Avenione Garinus postmodum usus est.[3]

Exemplata vero actorum synchrona, jam in libri formam redegerunt; quemadmodum videre est in apographo, ex actis canonisationis S. Thomæ Aquinatis eodem tempore transumpto et in tabulariis Congregationis SS. Rituum servato. Hæc omnia codici etiam nostro, quem utpote actorum exemplatum et in insula lep. relictum in sepulchro dein Margarethæ invenerunt, tuto applicari possunt. Quamquam dubio haud levi tenemur: quominus hunc ipsum codicem, pro simplici quodam tabularum 1276. confectarum apographo habeamus?

---

[1] Verba archiepiscopis hæc sunt: «Invenimus ad latus dictarum reliquiarum librum quemdam manu scriptum, vetustissimæ scripturæ... Nos hunc... librum videntes, tractantes, volventes», P. Sartorius vero: «Inventus est unus liber antiquissimus et vix legibilis scripturæ».

[2] Huic consectario suffragatur discrepans illa ratio, quæ in disponendis documentis publicis utriusque hujus actorum exemplati usurpatur. Quum enim in codice sepulchrali depositionem testium præcedant et binæ Innocentii P. V. bullæ ad commissarios datæ, nec non eorumdem relatio ad Joannem XXII., in actis interea Romam missis, geminæ hæ bullæ in relatione deputatorum comprehenduntur (quemadmodum in relatione codici Paderborniano inserta et infra sub n. CXCIX. producta cernitur). Quin et ipsæ hæ binæ relationes diversum inter se argumentum (textum) exhibent. In actis e. gr. Romam missis refertur, commissarios pontificios curasse, ut acta a notario Bosant signarentur, eorum autem apographum in insula leporum ab iisdem relictum esse; quæ annotatio in exemplari insulæ leporum non occurrit, utpote quam ibidem minime censuerint esse apponendam.

[3] In fronte enim illius summarii, quod ex legenda Guarini excerptum est, clare notatur: se «*de rotulis seu diffusis dictis testium*» hausisse.

Dum enim in actis, depositio testium, ordine chronologico una post alteram succedit, juxta seriem testium arbitris sese sistentium: in codice illo insulæ leporum e contra, — ut infra distinctius videbimus, — testes non jam temporis ordine sese excipiunt, sed turmatim quasi certa industria collecti, adstant.

Nulli igitur dubitationi dandus est locus: quin manuscriptum illud a. 1670. in sepulchro repertum, formam libri habuerit foliisque membraneis compactum fuerit.

Codicum manuscriptorum ea fere olim fuit componendi ratio, quæ nunc in libris typo excusis obtinet; ut nimirum uni laminæ membraneæ bifariam inflexæ, plura eodem modo complicata insererentur, atque juxta eorum numerum «*ternionis, quaternionis vel quinternionis*» nominibus n signita hæc strata membranea, invicem compingerentur.

Hinc presse jam stricteque sequitur: lacunas in codice insulæ leporum hiantes minime ad singularia tantum constringi limitarique posse folia; sed jure supponendum: laminam membraneam talem inflexam integram, adeoque folia minimum bina periisse, vel certe plura etiam simul hujusmodi binaria.

Quod si vero causas hujus jacturæ indagaverimus, non quidem probabimus conjecturam: ac si codicis hujus folia, alioquin reliquiarum honore habita, violenta quadam manu fuissent erepta; sed potius supponimus: ea ita interiisse, ut errantibus huc illuc ss. virginibus, inter itineris varias vicissitudines, libro pedetentim laxato, jam unum, jam alterum, mox foliorum par, divulsum sit; antequam in tuto sepulchri receptaculo conderetur. Quid? quod ideo plane huc videtur esse repositum lacerum jam exemplar, ut ab ultiore interitu salvaretur.

Quousque vero hæ lacunæ sese extendant, quotque perierint folia: id sane conjicere quadamtenus, ex quantitate solummodo argumenti residui licebit. Hæc utique non sibi æquo modo semper constat; sed in exemplaris sæculi XVIII. ab uno usque septem folia fluctuat. Hinc concludendum esse videtur: quod passim quaternionis extrema folia, primum videlicet et ultimum, reliquis interioribus salvis, interiverint; jam vice versa quaternionis hujus primum ac ultimum folia remanserint, involutis 4—6 foliis pereuntibus. Hinc inde totum quaternionem periisse fatemur.

His non obstantibus, codex iste, quamvis forma mancus et sensu nutans, monumentum tamen nobis exhibet summopere æstimandum. Si enim volumen et copiam rerum spectas, omnia nostra monumenta historica

ss. XI. XII. et XIII. (e. gr. Commentarium Notarii Anonymi Belæ regis, Magistrorum item Rogeri et Simonis de Kéza, nec non Regesta Varadiensia) longe excedit. Argumentum vero ejus, gentis hungaræ conditionem religiosam et civilem in sæculo XIII. conspicua quadam claritate illustrat. Plus centum testes, genere, ætate sexuque diversi nobis repræsentantur; percipimus velut auribus eorum fide dignas narrationes: quum nobis, quæcumque in insula leporum de Margaretha hac, blandissima regis nostri filia viderint, audiverintve, utpote illius magistræ, sociæ atque famulæ, ingenue et sine fuco exponunt; mox facta admiranda secum aliisque facta referunt: quum in morbis, periculis et calamitatibus ipsius opem haud incassum imploraverint.

Quumque in legendarum scribendi ratione, auctorum et coævorum nobis animus, omnisque vitæ spiritualis facies, velut in speculo panditur; atque ipsi cautissimo cernendi judicandique munere fungentes indagamus Virginis hujus gloriosæ, omnisque circa eam vitæ formam et imaginem: e contra in testificationum actis, ipsa nobis resplendet Margaretha ad vivum velut expressa ac fere rediviva; siquidem septimo post obitum ejus anno, illibata illius adhuc viget ac primo flore tam clara nitet memoria in insula leporum: ut sociæ, dicta ejus, vel illa ipsa, quæ in tenera ætate protulerit, ipsissimis verbis recitare valuerint.

Adeoque, quamvis jacturam sane deplorandam censeamus, acta in mutilata solummodo forma et in exemplato sæculi XVII. tantum ad nos esse derivata: gratulamur tamen jure merito nobis de fato faustissimo, quod fragmenta hæc pretiosissima vel sic imminuta nobis servaverit.

IV.

Testium, maximam partem fœminæ effecerunt, universim 65, quas inter 38 moniales insulæ leporum, 6 aliæ s. virgines, 6 e prima nobilitate, e plebe denique 10.

Inter 45 testes virilis sexus 5 sacerdotes, 5 religiosi e familia S. Dominici, optimates 2, nobiles 7, medicum 1, cives urbanos 3, 19 humilioris gradus reperimus; in tribus testificationibus mutilatis conditio civilis interrogatorum non liquet.

Mirum sane videbitur: regem ejusque domum, nec non præsules

et proceres, matronasque aulæ regiæ addictas in numero testium haud recenseri; quin illos quoque desiderari, qui miræ Ladislai regis sanationi interfuerint. Curia regia tunc temporis Budæ vel Albæ Regiæ sedem figebat;[1] proindeque nihil obstabat, quominus testificationi adesse e locis adeo vicinis potuerit. Ac certe, in disquisitione a. 1271—2. — teste legenda Hungarica — «magnificos dominos» duce ipso primate regni, præsentes fuisse constat. Nec multum ad extricandam hanc quæstionem juverit suppositio hæc alioquin gratuita: folia eadem ipsa, quæ testimonia primorum regni continuissent, fato nescio quo omnia periisse. Haud minus animum et alia pulsat quæstio: cur legendæ latina æque ac hungarica — etsi auctoribus tabulæ prorsus integræ præsto essent, minime tamen, sive testificationis procerum comminiscantur, sive quidquam ex eadem depromptum, innuant?

Itaque: testes hos patricii ordinis, in quæstione secundo instituta ne adfuisse quidem facile conjectaverimus. Quum vero rei sane singularis causam inquiramus, eam forsitan in personis deputatorum pontificiorum ponendam esse contendimus. Nec multum a vero abludere videtur, quum suspicemur: illo Innocentii P. V. consilio, prædecessoris sui regulæ plane contrario, quo rejectis præsulibus Hungaris, sacerdotes Romanos inferioris subsellii, causæ præposuit, curiam regiam et episcopos patrios suboffensos et, quominus interessent quæstioni quodammodo repulsos fuisse. Quamquam et alia spinosæ hujus quæstionis sese offert solutio haud minus probabilis. Mortuo nimirum Innocentio P. V. fatique ejus fama, inchoata vix disquisitione, per Hungariam quoque percrebscente, facile fieri potuit, præsules et proceres sibi persuasisse: legatorum — defuncto mandatore — extinctam jam esse facultatem, totamque quæstionem vi fineque suo carere.

His non obstantibus et etiam concesso, quod curiæ ordinisque ecclesiastici apices sese a testificatione sponte sua abstinuerint, fatendum tamen est: quamplurimos fuisse testes, quorum responsa perierunt. Ad constituendum horum numerum, argumento inservit tempus, quo hæc disquisitio duraverit.

Interrogatio testium 23. Julii sumpsit exordium, postremum vero, cujus responsa ad nos pervenerunt, 20. Octobris sese deputatis sistentem

[1] Caroli Ráth: De expeditionibus regum Hung. p. 36.

invenimus. Nihil tamen obstat: quominus testificationem ultra 20. Octobris prorogatam concedamus.

Interrogatio hæc, primis decem diebus, ne Dominicis quidem exceptis, sine interruptione currebat. Usque ad medium Augustum trium nonnisi dierum testificationes desideramus; altero vero dimidio undecim jam dies occurrunt nobis vacui. Septembris item prima parte, quinque tantum dies carere videntur testificantibus, altera vero mensis pars ne unum quidem exhibet. In Octobri tandem mense præter 12. et 20. diem, nullum plane reperimus testificatione notatum.

Nunc jam quæritur, num jure merito concludamus disquisitionem hanc a. 23. Julio usque ad 20. Octobris continenter fluxisse atque lacunas hasce in testificationibus hiantes fatali quodam tabularum interitu explicari posse?

Minime inficiamur fieri potuisse, quod ab initio interrogationes sine cessatione duraverint; quum testium pars magna sive in insula ipsa leporum, sive in vicinia habitans prompte ac facili negotio, turmatim velut confluxerit. Postea tamen testibus præsertim e provincia remotiore rarius et tardius adventantibus, a negotio hinc inde, moris injectis, cessandum erat. Hæc per se fieri posse concedimus: reipsa tamen ita facta negamus. En 12. Octobris Veteri-Budæ incolæ duo, 20 vero item duo e Dominicana familia quæstioni subjiciebantur. Quum tamen ad hosce accersendos, minime fuerit opus tam longa mora a 13. Septembris usque ad 12. Octobris et rursus a 12. Octobris usque ad 20. protrahenda.

His præmissis haud reprobari potest conjectura: partes tabularum, quibus testificationes dierum vacantium, comprehensæ fuerint, casu quodam periise. Quid? quod nonnullos testes, quorum responsa in amissis istis foliis redacta latitant, etiam nominetenus produxerimus.

Appendix legendario Hungarico subnexa — ut supra innuimus — testificationes monialium insulæ leporum coram arbitris pontificiis prolatas, compendiose enarrat [1] Trigintaseptem earum eadem prorsus serie sese excipiunt, qua in ipsis tabulis subsequuntur. Sed abhinc ambæ nominum series inter se divergunt. In Appendice sub n. XXXVIII—XL Aglentis, Ancilla et Petronilla moniales notantur; dum in actis loco

[1] Ista appendix in editione: «Magyar Nyelvemléktár» 13 foliis absolvitur; dum testificationes monialium ex actis ipsis opera typographica impressæ paginas 111 occupant.

XXXVIII. et XXXIX. bini ponuntur religiosi S. Dominici; n. autem XL. responsa Aglentis. — Ancillæ et Petronillæ omnino desunt.

Eodem modo, dum legenda hung. per decursum miraculorum post mortem Margarethæ patratorum expresse narrat «virum quemdam Martinum e provincia Posegana, e diuturno morbo ad sepulchrum Beatæ sanitati restitutum, hanc rem aptis testibus coram pontificiis arbitris confirmasse». Subjungit præterea cum Alberto bano e lepra precibus Margarethæ mundato, Annam Machoviensem ducissam, ad insulam leporum venisse atque interposito juramento de miraculo hoc testimonium edidisse, sociosque in testificando Nicolaum præpositum Sirmiensem ac Ompudum banum Bosniæ habuisse.[1] Item dum legenda latina referat uxorem Andronici Kátai binis suis prolibus stipatam coram legatis pontificiis comparuisse;[2] hæc interim omnia in actis nostris nequaquam occurrunt.

Præterea in legendis tam latina quam hungarica, longus texitur ordo mirabilium eventuum, quorum in superstitibus actorum partibus nulla plane fit mentio.

Hinc patet omnes has testificationes, quæ legendarum auctoribus argumentum in miraculis enarrandis suppeditaverunt, ad partes actorum perditas esse accensendas.

Igitur facta jam conjectura et proportione e testium numero in actis tam capiose allato, ut in 6 factis duo, in 8 factis tres, in tribus item factis quatuor, in uno plane 5 testes computentur: pronum erit concludere: quod in 24 miraculis supra recensitis, ast in actorum serie ommissis, adminus 50 testes adfuerint.

Notandum insuper: de nonnullis miraculis, quorum testificationes acta sanxerant, tot talesque circumstantias in utrisque legendis enarrari, quæ in confirmatis ibidem testimoniis reticentur, adeoque ut ex amissis haustæ sint, oportet.

V.

Testes in residuis actorum partibus recitati ad unum omnes Hungariæ fuere incolæ. Proinde scitu dignum videtur: quonam idiomate in testimoniis depositis, coram arbitris Romanis, usi sint? Certa in promptu est responsio.

---

[1] Pag. 62, 70. [2] Pag. 169.

E 110, qui in causam vocati sunt, duo tantummodo latine responderunt: Petrus nimirum sacerdos et Alexander de Kadarkaláz, qui publicis perfunctus legationibus expeditam et facile currentem latinam callebat elocutionem.[1]

Germanicum sermonem unica adhibuit domina Agnes, prætoris Budensis regii neptis.[2]

Reliqui omnes 107. hungarica lingua responderunt; quod quidem interpretum operam exigebat.

Nomina eorum in 26 locis actorum referuntur, uti sequitur:

Joannes, Capituli Veteris-Budensis canonicus cantor.

Cosmas, canonicus Vaciensis.

Petrus presbyter, equitum S. Joannis Veteri-Budæ prior.

Martinus, Præmonstratensium in insula leporum prior.

Andreas, prior eremitarum S. Pauli Budæ.

Martinus de Nitria, equitum S. Joannis, Veteri-Budæ scholasticus.

Dominicus, sacerdos in Ecclesia Veteri-Budensi equitum S. Joannis.

Paulus, presbyter.

Benedictus, presbyter Ordinis Præmonstratensis.

Nicolaus, Ecclesiæ capituli Veteris-Budensis clericus.

Artolus, Venetiis oriundus, incola Budæ.

Martinus, Rubini, civis Budensis.

Martinus incola suburbii Budæ.

Dominæ vero Agnetis germanice respondentis interpretes fuere:

Martinus prior Præmonstratensium in insula leporum.

Henricus, presbyter Præmonstratensis.

Joannes, origine Germanus, famulus unius e deputatis Romanis.

De Artolo et Martino Rubini acta indicant, illos hungaricas testificationes italice reddidisse; dum cæteri interpretes latino sermone usi sunt.

Annotationes de interpretum ministerio factæ nobis suggerunt, mercatores Italos in principe Hungariæ urbe considentes, linguam hungaricam tam propriam sibi reddidisse, ut non solum responsa hungarica in Italicum transferre, sed etiam quæstiones hungarice proponere potuerint; sacerdotes vero complures tam parum in litteris latinis versatos esse, ut coram deputatis S. Sedis hungarico solum idiomate uti cogerentur.[3]

---

[1] In fine testificationis additur: «Prædictus testis deposuit latinis verbis».

[2] In actis hoc innuitur.

[3] Post fassiones quatuor sacerdotum (nn. XCIX., C., CI.) interpretes eorum referuntur.

VI.

In disquirendis canonisationis quæstionibus, quoad testes examinandos, non eadem semper methodus observabatur. Sic e. gr. in perscrutandis S. Ludovici Galliarum regis miraculis, singula quæque miracula peculiari testium interrogationi subjiciebantur; dum e contra in quæstione S. Thomæ Aquinatis, testes simul omnia narrarunt, quæcumque illis de virtutibus et miraculis ejus innotuerunt. In insula leporum arbitri Pontificis, postremam hanc industriam adhibebant.

Quum testis se illis sisteret, jurejurando ad Sancta Dei evangelia sese obstrinxit: velle se de venerabilis memoriæ Virginis Margarethæ vita et conversatione et de patratis a Deo ipsa intercedente miraculis, tutam puramque veritatem edicere, sepositis odio, amore ac timore, nulla promissorum et precum, proprii item et alieni commodi vel damni habita ratione.

Tunc testis quæstionis generali formula sciscitatus: quidnam de Ven. memoriæ Virginis Margarethæ vita et conversatione sciret? incœpit narrare quidquid de Virgine Margaretha dicendum sibi necessarium videretur. Arbitri tamen mox eumdem interrumpendo, ipsi de enarratis factis interrogationes proponebant; quibus id partim intendebant cognoscere, quomodo testis ad notitiam rerum istarum pervenerit? partim integritati plenæque earum claritati consulere studebant. Testis dein datis ad has quæstiones responsis, arbitrisque ea probantibus, prosecutus est narrationem, novis utique immixtis quæstionibus passim interruptam. Quumque narrationem sponte sua prolatam absolvisset, deputati præterea proprio Marte novis tentabant eum interrogationibus, quæ ad vitam et miracula b. Margarethæ faciebant. Postremo, sequentes de more quæstiones monialibus ipsis proponebantur: Quot ante annos Margaretha sit defuncta? Quot annorum sit ipsa testis, quotque in claustro transegerit? utrum e condicto et prævie testis non sit ad ita testificandum inducta?

Testes vero e provincia accersiti ad quæstionem: quidnam de vita et conversatione Margarethæ noverint? de more responderunt: plane nihil! Tunc altera interrogatione sollicitati: utrum de miraculis ejus quæpiam proferre placeat? initium dederunt narrandi de miris ejusdem benefi-

ciis, sibi vel alii cuiquam collatis; narratione identidem percunctationibus arbitrorum solitis interrupta.

Hæ interpellationes, juxta indolem testium responsorumque argumentum, numero ac forma miram varietatem præseferebant. Sic e. gr. quum prima testis, Catharina claustri priorissa de vita Margarethæ religiosa disseruit, vicies sermonem ejus incidunt quæstiuncula: Undenam hæc sciat? Haud majoris momenti reliquæ quæstiones; e. gr. Quot annorum Margaretha fuit in claustrum translata? Quænam fuere moniales, quas Margaretha puella de significatione signi crucis interpellarat? quanam ætate cœpit orandi studio magis affici? Quænam præsentes aderant, quum virum religiosum rogaverat, ne discederet, vel Deum precibus fatigaverat: ut currus illius monachi fractus concideret? Quot annorum erat mortua?

En deputatos pontificios! judicis versatissimi ac religiosissimi induti formam, innumeris fere quæstionibus tentantes testes, præsertim quum de sanationibus miraculosis ageretur. Omnes nervos velut intendere videntur: ut de eventus miri loco et tempore (anno, mense, die et hora) præsentibusque personis, exaxtissima emungant responsa; quæ inter se collata solidum dein præbeant de fide digna narratione documentum.

Quum e. gr. Elisabetha sacra virgo, Stephani V. regis filia testimonium ederet, se præsente mulierem contractam in templum venisse, ad sepulchrum serpsisse atque sanam vegetamque inde surrexisse, hisce testem vellicant interrogationibus: Quænam præter eam facto huic interfuere? quonam corporis membro mulier illa contracta tabuerat? videritne illam ante sanationem? item post factam restitutionem? quot abhinc annis, quave diei hora sanatio hæc contigerit? num antea mulierem noverit? quod ei nomen? cujus filia? unde origine?

Per se patet deputatos non fuisse eo contentos: ut inter testium narrationes, de emergentibus interea dubiis clariora responsa peterent; verum de priorum quoque testificationum adjunctis, subsequentium testium fidem interpellaverunt. Tali consilio inducti, testes iteratis vicibus in causam vocaverunt, præsertim quum in subsequis testimoniis auctoritas illorum denuo appellaretur. Quod quidem præprimis de virginibus Deo dicatis in insula leporum obtinuit, quæ utique semper iisdem præsto erant, ut coram sisterentur.

Sic factum est, ut Margaretha monialis, regis Stephani V. viduæ neptis, quæ jam 25. Julii testimonio functa est, 30. Julii rursus vocaretur, novæ huic interrogationi responsura: Audivissetne b. Margaretham

coram moniali Stephania de suo martyrii desiderio locutam? (IV.) Cui quidem quæstioni ansam ipsa monialis Stephania dedit, quum eodem die (30. Julii) in sua testificatione fidem monialis Margarethæ appellaverit (XII.).

Die 11. Augusti Soror Elisabetha interpellabatur: Audivisset-ne prolatam a quapiam monialium sententiam: se tunc demum sanctitati Margarethæ fidem esse daturam; quum miracula facta cerneret? (V.) Frosia monialis nimirum 3. Augusti de hac re testificans Elisabetham testem auritam provocavit. (XV.)

Die item 11. Augusti Olympiades monialis sciscitabatur: num a sociabus audivisset: Margaretham in templo prostratam mortuæ similem fuisse inventam? (XIV.)

1. Septembris Elianam monialem interrogabant: num sibi cognitum sit Margaretham Vesprimii effusam nimborum vim repente provocasse? ut hoc pacto religiosum quemdam S. Dominici ad manendum in claustro adstringeret? (II.)

De hoc eodem facto 2. Septembris deputati Jolentam virginem quoque interpellabant (III.) Sororem vero Margaretham, ducis Massoviensis filiam: numquid audivisset b. Margaretham mortis suæ tempus prænuntiasse? (VI.)

3. Septembris quatuor moniales altera jam vice delegatos adire tenebantur. Quæstionem nimirum novam dirigebant ad Catharinam priorissam et Sororem Luciam de prodigiosa Sororis Margarethæ filiæ Marci de Somogy sanatione; ad monialem Catharinam de Sororis Agnetis, ad monialem Sabinam denique de monialis Luciæ curatione mirabili (X., XXXIII.).

Tertio una tantum monialis Margaretha regis Stephani V. neptis vocabatur in causam: ut de repentina inundatione precibus b. Margarethæ diffusa testificaretur (IV.).

Sponte sua secundo sistebat se arbitris Jolenta monialis, ut testimonium tres ante dies depositum corrigeret. Tunc enim narravit: fratres ordinis S. Dominici quoque præsentes fuisse, quum Agnes famula e puteo claustri extraheretur; jam vero sibi in mentem venisse: eosdem ibidem non adfuisse (III). Eodem modo, sponte propria Olympiades monialis advenit, ut testimonium binos ante dies a se datum, partibus quibusdam majoris momenti ampliaret (XIV.).

Non videtur nostri heic esse instituti, per actorum testimonia sive b. Margarethæ biographiam refingere, sive formam tractandi ab auctori-

bus legendarum adhibitam, per singula capita recensere. Utrumque sane hoc consilium arctos huius præfationis limites longe excederet.

Quantum vitæ ejus descriptionem attinet, testificationes 38 sociarum amplissimum per se præbent argumentum. Intervenientibus etenim Papæ legatis in vivis adhuc agebant: Domina Olympiades, cui puellam nondum quadriennem mater educandam commiserat, quæque et ipsa postmodum Deo consecrata, alumnam in Vesprimiense primum, deinde in claustrum insulæ leporum comitata est. Porro Catharina prima ejusdem magistra Vesprimii; præterea s. virgines, quæ virginem regiam decem annorum, Vesprimio in claustrum illius gratia instructum, sequentes, fere omnes ipsi superstites erant.

Deputatos dein adierunt: Michæl socius ordinis S. Dominici, qui Margaretham quadrimulam Vesprimii videbat et in claustrum insulæ leporum transferebat, sepulturam quoque defunctæ curabat atque adeo tenacis erat memoriæ: ut dialogum etiam, a Maria regina matre, in filiæ translatione prolatam, ad verbum repeteret. Pari modo adfuit P. Marcellinus Margarethæ animæ moderator, qui claustrum insulae leporum sæpius frequentabat.

Horum igitur testificationes, non solum novis illustrant coloribus imaginem Margarethæ sane blandissimam, in binis eiusdem legendis conceptam; verum etiam picturæ huic, robur veritatis et genuinæ fidei lucem affundunt. Sic e. gr. ut unum illud commemoremus: quum judex litteratus (criticum vocant) — utut pientissimus — haud sine quodam dubii afflatu, effata quædam in utrisque legendis Margarethæ adscripta, recensuerit et vix facile concesserit fieri potuisse, ut eadem accurate annotata fuerint: nunc ecce ipsæ tabulæ nobis auctores fiunt, testes quamplurimos, effata illa, tamquam a gloriosa hac socia oretenus prolata, fideliter actis publicis inserere valuisse.

Hoc ipsum, quoad facta ista miranda evincitur, quæ scriptores legendarum enarrant, atque ex testium responsis fide religiosissima hauserunt.

Ecclesia catholica, quum firmiter teneat posse Deum precibus electorum suorum, quædam opera præter vel supra naturæ leges, patrare et re ipsa vera ab Eodem patrata etiam doceat: minime tamen contendit, omnia et singula, quæ legendarum auctores mira narrant, aut testes jurati in se vel aliis prodigiose facta referunt: eo ipso jam in miraculorum numerum accensenda esse. Alia vero ex parte, censura litteraria recentioris ævi defæcatior, longe jam recessit a ratione illa scribendi prius passim obser-

vata, ut historiographo opinionibus præjudicatis superiori, fas sit: legendas et canonisationum tabulas — ceu res parum serias — omnino missas facere, iisque uti solido fundamento destitutis fabulis, alto velut supercilio, supersedere. Nunc jam temporis, gravissimi quique rerum gestarum scriptores, — etsi diversarum religionum asseclæ, — tantum abest, ut miraculorum narrationibus momentum quodcumque historicum denegent: ut potius fateantur (tentata quidem hinc inde naturali etiam mire factorum explicatione) hisce narrationibus inesse posse objectivam, i. e. solidam veritatem, bonamque narrantibus etiam fidem tribuendam esse. [1]

Quicumque acta hæc Margarethæ, inquisitioni criticæ subjecerint: facile sibi persuadebunt: deputatos pontificios summis viribus in dilucidanda veritate elaborasse, testesque, quidquid verum existimaverint, religiosa fide protulisse.

VII.

Deputati pontificii, finitis in Hungaria testificationibus, Romam redierunt; de quæstione Joannem P. XXI. certiorem reddiderunt, actaque eidem proposuerunt.

Utrum vero causa canonisationis tunc jam mota sit, nulla hac de re supersunt documenta. Triginta siquidem annorum spatio, in pragmatibus sive Romanis, sive Hungaricis ne occurrit quidem nomen Margarethæ, quamvis de donationibus regiis et privilegiis pontificiis claustro Margarethæ exuviis sacrato concessis, hoc etiam tempore præsto sint documenta. [1]

Intercœptæ canonisationis causas scrutari variis tentatis conjecturis, supervacaneum videtur.

Tandem aliquando Robertus Carolus rex Hungariæ in causam hærentem convertit animum eo præcise tempore, quum ei cum regni æmulis dimicandum erat. Variæ ad id eum impellere causæ poterant. Imprimis, ut cognatæ cœlestem opem negotio suo periclitato conciliaret atque etiam ut

---

[1] Hic loci unum appello doctissimum Wenck, qui de 4 ancillarum Sanctæ Elisabethæ Hungaræ testimoniis ita judicat: «Dubitari nequit ancillas nihil præter veritatem referre voluisse; sed haud minus dubitandum est illas nisu quodam impulsas (quin ad id reflecterent) fuisse: ut omnem S. Elisabethæ vitam a cunis usque ad tumulum, spiritu quodam Sanctitatis repletam exhiberent.» V. Sybel's Historische Zeitschrift (1892.) LXIX: p. 215.

[2] Hæc in II. tomo operis hujus producemus.

expleto hoc antiquo gentis desiderio, gratiam sibi popularem adsciscerent. Anno igitur 1306 Patrem Andream e hungarica S. Dominici familia, ad pontificem Clementem Burdigalas misit, ubi tunc sedem fixerat, ut causam maturandam et finiendam sollicitaret. Andreas favore Pontificis sibi mirum in modum conciliato, ab eo ineunte a. 1307. in sedem metropolitanam Antivariensem elevatus est, verum in causa sibi commissa parum profecit.[1]

Tunc probabiliter acta 1276. in curiam Pontificis Burdigalensem afferebantur, et hinc eumdem Avenionem comitabantur. Hic sane illa conspexit (1340) Guarinus ord. Prædicatorum sacerdos, cui — ut supra vidimus — a præside supremo, munus Margarethæ vitam ex actis describendi, commissum est. A vero vix abhorret, quum censeamus: eidem etiam causæ hujus procurationem fuisse injunctam atque breviarium ex actis ideo concinnatum, ut viris in magistratu publico constitutis notitia clariore hac præluceret. Attamen, quamvis ille sanctissimam Margarethæ vitam et miracula dignis delineaverit coloribus, ad S. Sedis agendi rationem, parum momenti opera ejus habuisse videtur.

Sæculum XIV. jam defluxerat: quin causa canonisationis vel minimo gradu promoveretur. Elapso dein sesquisæculo rex Mathias Corvinus vires intendit novas, ut negotio huic tantopere exoptato ac jam fere oblivione sepulto, iterum daretur initium, illudque secundo demum cursu absolveretur. Appellavit igitur Pontificem Pium II. ejusque senatum purpuratum. Litteris suis, uti rem vulgo notam commemorat: plures jam Pontifices, tum ex deputatorum relationibus et testium fide dignorum narrationibus,

[1] Sigismundus Ferrarius in eximio opere: «De rebus gestis ordinis Prædicatorum in Hungaria» ex scriptoribus ordinis antiquioribus (Leandro Alberto et Alphonso Fernandez) profert annotationem de Andrea Ungaro, a rege in causa canonisationis Margarethæ in Galliam misso, quæ sic habet: «Clemens P. V. eum archiantistitem Antiliarensem declaravit» (314.). Huic tamen iudicio fides vel ideo deneganda est, quod archiepiscopatus «Antiliarensis» numquam extiterit. Annotatio hæc in fonte genuino, in codice nimirum sæc. XIV., præclaros Dominicani cœtus viros comprehendente, ita legitur: «In provincia Ungarie fuerunt: . . . frater Andreas Ungarus fuit factus Archieppus Antibariensis per Dominum Clementem papam V. anno domini MCCCVI. circa festum omnium sanctorum Burdigalis in curia, ubi erat pro canonisatione sancte Margarete filie quondam regis Ungarie nomine Belle obtinende missus a rege Ungarie procurator, cuius in hac parte cooperatus est interventus» (Cod. Ruthenensis fol. 44. in tabulario Romano Ord. S. Domin.) Et revera nota est bulla Clementis V. 25. Febr. 1307., qua Andream Archieppum Antivariensem creat; quamvis hic Andreas ordinis S. Francisci dicitur. (THEINER: Monumenta Slavorum meridionalium II. 123.) quod quidem mendum putandum est, quum supponi vix potest: ut sriptor Dominicanæ historiæ fere synchronus, viris sui cœtus præclarissimis extraneum, alius ordinis hominem accensuerit.

tum ex universæ Hungariæ sententia, certam persuasionem nactos esse, quod Margaretha tam viva, quam defuncta, miraculorum, omni dubio superiorum claritate illustrata sit.[1]

Ast vel ipsum potentissimi regis patrocinium effectu caruit. Duo postmodum sæcula causæ memoriam densis iterum veluti tenebris obvolvebant.

Quum vero sæc. XVII. res catholica hucusque a heterodoxis prostrata, novos flores — opera præsertim immortalis Petri Pázmány apostolica — induere cœpisset: secunda hæc Ecclesiæ fortuna etiam primoribus ordinis S. Dominici Romanis, spem addidit fore: ut iisdem monasteria olim per Hungariam possessa restituantur. Rei promovendæ procurator missus est Sigismundus Ferrarius academiæ Vindobonensis cathedra celebris. Vir, egregius alioquin b. Margarethæ cultor, fervente jam ordinis negotio, b. Margarethæ quoque causam e tenebris iterum in apricum ferre desiderans, collegam suum, Patrem Antonium Sartorium Romam misit ut quid facto opus sit, circumspiceret. Quum vero tabulæ antiquæ disquisitionis (1276.) nec Romæ, nec Avenione reperirentur: Congregatio SS. Rituum novam instituendam esse quæstionem existimavit. Sartorius igitur facultatem accepit ad testes omnes, quotquot de vita et miraculis Margarethæ notitiam quamdam haberent, rite excipiendos.

Sartorius inprimis patrocinium regis Ferdinandi III. causæ conciliaturus, eumdem adivit et ab eo perhumane exceptus lætissimum obtinuit promissum fore: ut impensæ in causam tractandam erogandæ a regio fisco præstentur. Vindobona mox, viæ comite Georgio Lippay, regis cancellario Tyrnaviam venit, ubi sub auspiciis Emerici Lósy regni primatis, ordinis sacri profanique proceres res publicas tractabant. Hi quoque causæ patrocinium susceperunt; Lósy vero, quæstione instaurata, Posonium tendit, testes excepturus atque sepulchrum Margarethæ aperiri jussit. Hac occasione etiam tabulæ anni 1276. sunt inventæ, quarum exemplatum, una cum actis novæ inquisitionis, Sartorius Romam detulit (æstate 1641). Hunc ipsum etiam rex Ferdinandus III. suum procuratorem causæ legavit et litteris ad papam purpuratumque collegium commendatitiis instruxit.[2]

Romæ jam P. Sartorius hanc ineundam esse rationem ratus est: non ut nova inquisito moveretur vel solemnis canonisatio celebraretur:

---

[1] Epistolæ duæ sine temporis indicio 1462—1464. (Epistolarium Mathiæ regis I. 57., 59.)

[2] Regia hæc scripta de 24. Jun. 1641. refert Pray: «Vita S. Elisabethæ, nec non b. Margarethæ 240—245.

verum ut considerato universali per Hungariam Margarethæ cultu dudum jam vigente, decretoque Pii P. II., Ecclesiis Dominicanis in Hungaria missam et officium de b. Margaretha, frequentantibus vero ejus sepulchrum, indulgentias concedente: hæc missam officiumque celebrandi facultas, ad omnes Hungariæ ordinisque Prædicatorum ecclesias extenderetur.

Causam dein Congregatio SS. Rituum pertractavit, quamquam multis intricatam difficultatibus, quarum præcipua ea fuit, quod ordo S. Dominici bullam supra laudatam Pii P. II. de missa et officio b. Margarethæ honoribus dicatis exaratam, producere nequiverit.

Quum interea Urbanus P. VIII. novam constitutionem de forma Sanctos nuncupandi ederet, (verno 1642. tempore) Sartorius quoque, mutato consilio id in animum induxit, ut canonisationem solemnem sollicitaret. Proinde persuasit Papæ, ut is decretum (1642. 4. Aug.) ad Congregationem SS. Rituum daret, quo processus rite instaurandus mandabatur. Et sane, Congregatio, 24. Januarii 1643. consilio inito archieppum Strigoniensem ad novam inquisitionem habendam interpellavit. His peractis Sartorius in Hungariam redux, scripta Romana Georgio Lippay regni primati subministravit.

Eo tempore turbæ Rakoczianæ, mox etiam pax Lincii jungenda cohibuerunt primatem, quominus inquisitionem testiumque examen acceleraret. Quumque pace jam inita opportunum tempus adfuisset, Sartorius in remotum Germaniæ claustrum translatus, procuratoris officio fungi non potuit.

Postea, vere 1647. copiam nactus est quidem ad causam canonisationis denuo urgendam: sed Tyrnaviam veniens spe sua iterum destitutus est. Scripta enim Romana ad rem tractandam maxime necessaria in tabulario primatis deposita, desiderabantur. Lippay 3. Sept. 1647. dato ad preces Sartorii documento palam facit: «acta romana sævientibus turbis periisse seque curaturum: ut ad canonisationem promovendam alius quispiam modus inveniatur».

Quem quidem modum facile invenire fuit; oportuerat siquidem Romæ novam descriptionem præstolari. Quod, quum factum non sit, tristi sane indicio fuit, haud fuisse serium animum ad quæstionem omni meliore modo perficiendam. Sartorius laboris tandem incassi tædio pressus receptui canebat.[1]

[1] Hæc omnia ipse Sartorius penitissime refert in commentario Romam misso et in tabulariis Ord. Prædicatorum nunc conservato.

Currente sæculo XVIII. 1725. ordinis S. Dominici præses Romanus, tum 1770. claustri ejusdem Pestinensis superior, eodemque tempore Comes Ignatius Batthyány, canonicus tunc Agriensis, mente concipiebant et etiam agebant prævie causam restaurandam. Sed omnia hæc incœpta ad solidam frugem e herbis non pervenerunt. Res ulterius Romæ non tractabatur.

Margaretha interim in Hungaria cœtuque S. Dominici beatæ et sanctæ honoribus illustrabatur. Legenda Garini «beatam»,[1] hungarica plane «sanctam» nuncuparunt.[2] Atque etiam præsto est documentum sæculi XV. inchoati, quod palam annunciat, ad sedem Romanam quoque, notitiam de hoc cultu publico pervenisse. Joannes enim Dominicius cardinalis ac S. Sedis per Hungariam legatus, in diplomate Budæ 22. Marcii 1409. edito hæc scribit: «Cum, sicut accepimus sit monasterium et locus ecclesiæ beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ de insula Danubii, ... in quo ... gloriosum corpus beatæ Margaritæ virginis in domino requiescit, ad quod corpus visitandum maxima se dirigit devotorum multitudo; nos cupientes divinum cultum et Sanctorum Dei ubilibet ardenter reverentiam augeri, ut ... corpus dictæ betæ virginis sedulis devotionibus eo frequentius ac libentius Christi fideles visitent, ... auctoritate apostolica ... omnibus vere pœnitentibus et confessis dictam ecclesiam ... et dictæ beatæ Margaritæ virginis corpus devote visitantibus ... vice qualibet in perpetuum centum et quadraginta dies de Indulgentia ... misericorditer elargimur.»[3]

Dimidium post sæculum vero Pius P. II. claustris S. Dominici in Hungaria concessit missæ sacrificium et officium (pensum sacerdotale) in die obitus ejus anniversario celebrare posse.[4]

Haud ita multo post, altera nimirum sæc. XV. parte, ars pingendi quoque cultui Margarethæ deservire incœpit. Pictor quidam peritissimus subtili manu ejus formam descripsit et in ænea lamina coloribus expressam multiplicavit. Figura sub arcu columnis stipato, nigram vestem induta

---

[1] Discrimen hocce eo declaratur, quod summarium illud latinum in causa canonisationis publica auctoritate concinnatum, a tessera «Sanctæ» abstinere debuerat.

[2] Auctores sæc. XVI. et XVII. constanter nomine «*Sanctae*» illam insigniunt. V. Acta Sanctor. Januarii II. 898.

[3] Ferrarius 340.

[4] Officium edidit Ferrarius 342—351. Bullam tamen non protulit, quam ne postea quidem ordo Prædicatorum producere potuit.

erigitur, circa caput aureola fulget, dextra lilium, læva librum tenet. Sub imagine insigne regni Hungariæ jacet.[1]

Sensim et ille invaluit mos, ut caput Virg. Margarethæ in templo insulæ leporum, festivis præsertim diebus, monstratorio (ut aiunt) pretioso reconditum, publicæ venerationi proponeretur. In repertorio quodam occurrit mentio cistulæ ex argento inaurato affabre facta (1512.) in qua caput Margarethæ cultus publici causa aspectui exhibebatur.[2] Quumque sacrum ejus corpus Posonium ad filias S. Claræ delatum est, ne tunc quidem desiderabantur religiosæ in eam pietatis pignora. Sic e. gr. Christina Nyáry, uxor Nicolai Esterházy palatini secunda, caput Margarethæ diademate ex gemmis fabricato circumdedit.[3]

Pater Sartorius Romæ versatus agere cœpit de obtinenda facultate: ut honoribus Margarethæ, missæ sacrificium pensumque ecclesiasticum dicare intra fines Hungariæ et in universis ordinis Dominicani claustris foret licitum. Congregatio SS. Rituum vero hujusmodi decretum hac de re edidit: non posse concedi sacra et officia recitanda, de quorum approbatione litteræ pontificiæ præsentari nequeant; quodsi tamen in honorem sancti cujusdam a longo tempore et in regionibus Roma dissitis, cum consensu Pontificis episcoporumque saltem tacito, hujusmodi pietatis exercitia jam viguerint: sedem Romanam haud contradicturam esse.

Qua quidem indulgentia animatus ordinis S. Dominici præsul Romanus, diem obitus Margarethæ anniversarium solemni ritu obeundum esse non modo claustro Sabariæ, ordinis sui in Hungaria tunc unico injunxerat, verum etiam in Styria et Carinthia sitis, utpote olim provinciæ hungaricæ subjectis. Exemplum Dominicanorum æmulatæ moniales S. Claræ Posonii, sacras reliquias Margarethæ in claustro suo pie reconditas, 18. Januarii et 13. Julii, festo S. Margarethæ Martyris publico cultui proponendas curarunt. Plurimi asseverare se a gravibus morbis per intercessionem Margarethæ, vel contrectatione reliquiarum ejus liberatos esse. Quos inter Georgius Lippay regni primas eminuit, qui (a. 1660.) statua argentea elegantissime fabricata grati animi sui votum Margarethæ solvit. Quumque Posonii a. 1713. lues grassaretur; postulante populo, reliquiæ Marga-

[1] Unicum, quod superest imaginis exemplum in Musæo b. m. Cardinalis Simor Strigonii conservatur.

[2] Némethy l. c. 32.

[3] Idem l. c. 80.

rethæ in solemni supplicantium agmine circumferebantur; quo facto pestis exstincta est.

Ordine S. Claræ per Josephum II. imperatorem a. 1782. suppresso, corpus Margarethæ Virginis quoque Posonio exulans, migrare cogebatur. Ignatius e Comitibus Batthyány, tunc jam episcopus Transylvaniensis, hospitio charissimum hoc pignus excepit atque in ejus honorem a Pio P. VI. 20. Julii 1789. pontificium obtinuit documentum, quo festum ejus, in diocesi Transylvaniensi celebrandum conceditur.

Sexdecim exinde annis, supplicante universali ordinis S. Dominici præposito, Pius P. VII. festum b. Margarethæ ad gradum ritus — ut dicitur — duplicis evexit. Mox etiam 26. Januarii 1805. in templo totius ordinis primario Romæ (Santa Maria sopra Minerva) summa ejus festum pompa et magnificentia celebrabatur. Supremæ aræ effigies ejus coloribus expressa imminebat; vestimentum stellis perspersum; in capite flammæ micantes, manus SS. Stigmatum cicatricibus signatæ [1] ipsa genibus provoluta crucem amplectitur; dum a pedibus coronæ, a tribus olim oblatæ procis, sed a generosa virgine repudiatæ, humi jacent. Sub effigie, mille luminibus circumfulsa, hæc inscriptio videbatur: «*Beata Margaretha Virgo a Hungaria, ex ordine S. Dominici.*[2]

Atque sic tandem, superis faventibus, in ipsa catholici orbis metropoli et capite, Romæ, honores illi cœlestes filiæ regis Hungariæ tribuebantur; quorum ipsa in patria haud potuit hucusque fieri particeps.

(Stylo latino exaravit Colomanus Rosty e Soc. Jesu).

---

[1] De hoc stigmatum charismate, Margarethæ cœlitus concesso, nihil testimonia actis comprehensa, neque legendæ iisdem innixæ referunt. In antiquo tamen documento ordinis S. Domin. enucleatim narratur, quo modo hoc beneficio divino sit exornata (Bullarium ordinis Prædicatorum, I: 545. nota 5.). Eadem occurrit relatio in binis codicibus sæc. XV. manuscriptis, quorum unus in bibliotheca Vindobonensi curiali, alter in bibl. Neapolitana nationali conservatur. Codicibus hisce opusculum comprehenditur, italice scriptum, quasdam pias meditationes exhibens, quod auctori Margarethæ Hung. adscribitur. Titulus est: «Libro chiamato specchio dell' anime simplici della beata Margerita, figliuola del re d'Ungaria scripta». Supervacaneum est dicere, hoc opus absque fundamento tribui Margarethæ nostræ. Verumtamen non videtur esse nostrum, hic loci sive de hoc codice, sive de quæstione stigmatum plura verba serere.

[2] Ex variis scriptis in tabulario Romano ordinis S. Dom. servatis et auctori hujus operis a clarissimo patre Ligier humanissime communicatis.

BEVEZETÉS

FRAKNÓI VILMOSTÓL.

BEVEZETÉS.

A magyar állam fönnállásának ezer éves ünnepe, a mit a magyar nemzet ebben az esztendőben méltó kegyelettel és fénynyel megül, fokozott mértékben irányozza a figyelmet a letűnt évezredre. Vármegyék és városok, intézmények és intézetek, társulatok és magánosok vetélkedve vállalkoznak arra, hogy a nemzeti mult földerítésének nagy munkájában részt vegyenek.

Ennek a nemes versenynek nem maradhatott tétlen szemlélője a magyarországi katholikus egyház, mely az Ázsiából bevándorolt hősök kardjával kiküzdött haza megalapításában és fönntartásában a legjelentékenyebb tényezők egyike vala.

Veszprém főpásztora, báró Hornig Károly, ezt az időpontot kívánta fölhasználni, hogy egyházmegyéje történetének megvilágítására hivatott kiadványai sorozatát a jelen okmánytárral megnyissa.

Valóban, a magyarországi püspökségek között több jogczímet, mint a veszprémi, egyik sem mutathat föl arra, hogy ezen ünnepélyes alkalommal multját föltárja.

Alapításának időpontja a magyar kereszténység legelső éveire esik. Területe szent István korától a török hódításig, magában foglalta a mai esztergomi érsekség nagy részét, a mai egész fehérvári egyházmegyét, és az országnak azt a részét képezte, melyet a magyar elem a legsűrűbben népesített be. Püspökeinek és papjainak jutott az a missió, hogy az ősi valláshoz legszívósabban ragaszkodó magyarok, Koppán párthivei, körében a keresztény vallást és a civilisatiót meghonosítsák.

Maga Veszprém városa nemcsak azzal kérkedhetik, hogy egykor a magyar királynék székhelye volt, hanem azzal is, hogy falai között a nemzeti művelődés legdúsabb forrásai fakadtak. Itt telepítették meg szent István és neje a görög apáczákat a végből, hogy az előkelő magyarok leányait a keresztény hit és erkölcs tanításaira oktassák, egyúttal a bizanti udvarnál otthonos műveltség, finom modor, jó ízlés és a művészi kivi-

telű női kézimunkák titkaiba beavassák.[1] Itt létesült az első magyarországi felső iskola, és olyan virágzásnak örvendett, hogy IV. László 1276-ban a párisi egyetemmel párhuzamba állíthatta.[2]

És a püspökség területe kivételesen gazdag volt olyan helyekben, melyek a nemzet állami életének mintegy gyúpontjai valának. Ilyen Székesfehérvár, mely sok ideig az országgyűléseknek színhelyéül szolgált, melynek káptalani egyházában királyaink a koronázással uralkodói pályájukat megkezdették, sírboltjában végső nyughelyüket találták, szent István s szent Imre herczeg sírja a nemzet zarándoklásainak czélpontját képezte, szintúgy mint a nyulak-szigete, melyre boldog Margit szűz szent életével és csodatételeivel árasztott fényt. Ilyen Budavára, mely a XII. században az ország fővárosa, a királyi udvar székhelye lett. Ilyen Visegrád, mely az ország legféltettebb kincsének, a szent koronának őrzését Székesfehérvártól átvette, és palotáinak fényével, a XV. században, külföldi látogatóktól a «földi paradicsom» elnevezését vívta ki.

Emellett, királyok és királynék, főpapok és világi urak vallásos bőkezüségéből, a veszprémi egyházmegye területén feltünően nagy számban létesültek apátságok, prépostságok és egyéb szerzetes kolostorok.[3] Számuk a mohácsi vészt megelőző időkben a százat meghaladta, amit az ország többi egyházmegyéi közől egyik sem ért el.

És így természetes, hogy az esztergomi érsekség után, az ország egyházmegyéi között a veszprémi püspökség volt az, mely a római szentszékkel a leggyakoribb érintkezésben állott.

Ezen érintkezés fönnmaradt emlékeit gyüjti egybe a jelen oklevéltár.

Ugyanis czélszerünek látszott, hogy ezek a nagy mennyiségben megőrzött római történeti emlékek a püspökség történetét illető hazai oklevelektől elkülönítve, bocsáttassanak közre; mert ily módon a szentszékkel fönnálló összeköttetés természete és különböző időszakokban jelentkező módosulása világosabban tüntethető föl.

Egyébiránt ezek a római emlékek nem egyedül ezt az összeköttetést ismertetik meg, hanem az egyházmegyének mind köztörténetére,

[1] Ipolyi Arnold. Kisebb munkái. IV. 30.
[2] Fejér. Codex Diplomaticus. V. II. 347.
[3] Ezeket a II. kötet bevezetésében soroljuk föl.

mind egyes intézményei belső életére a hazai emlékeknél is bőségesebben árasztanak világosságot,

Hogy csak egyetlen példát hozzak föl: arról, hogy a veszprémi püspököt a királyné koronázási joga megilleti, és hogy a szent korona legrégibb őre a fehérvári prépost volt: az első és legkimerítőbb tudósítást az 1198. és 1216-ik évi pápai okiratokból nyerjük.[1]

A XIII. századbeli veszprémi püspököknek még a magyarországi politikai mozgalmakban való szereplését is — mint látni fogjuk, — a római pápák levelezéséből tanuljuk megismerni.

*

A pápai levéltár, mely első sorban volt arra hivatva, hogy a szentszék és a veszprémi egyházmegye összeköttetésére vonatkozó emlékeket megőrizze, sajnos, azon viszontagságok közepett, a melyeken a pápaság és Róma városa, századok folyamán, keresztülment, gyakran volt pusztulásnak kitéve. Így történt, hogy szent István korából Magyarországot illetőleg semmit sem, a XI. és XII. századokból igen keveset tartott fönn. Bőségesebb anyagot csak a XIII. század elejétől kezd szolgáltatni.

Azt a mértéket, a mint a vatikáni levéltár okiratkészlete általán és különösen hazánkra nézve is gyarapodik, kézzelfoghatólag mutatja a regesta-kötetek[2] számának emelkedése. Ezekből a XII. század végéig 5, a XIII. századból 55, a XIV-ikből 582 kötet maradt fönn.

E szerint a XIII. századot megelőző időkből a regesta-kötetek úgyszólván mind elenyésztek, és a XIII. századból megőrzött sorozat is tetemes hézagokat tüntet föl. A jelen kötetben közlött pápai iratokban is *34* olyan pápai iratra történik hivatkozás, és hazai levéltárainkból *69* olyan pápai irat közöltetik, melyeket a fönnmaradt regesta-kötetekben hiába keresünk.

Ugyanis a magyarországi egyházak régi levéltárai, ámbár hasonlóképen sok vésznek voltak kitéve, nem mind semmisültek meg. E tekintetben a veszprémi egyházmegye a legszerencsésebbek közé tartozik.

---

[1] A VI. és XXXVIII. sz. okiratokból.

[2] A diplomatikában járatlan olvasó kedvéért megjegyezzük, hogy regesták alatt azok a könyvek értetnek, a melyekbe a szent-széktől kibocsátott iratok egész terjedelemben lemásolva beiktattattak.

Az Arpádok korszakában létezett tizennégy egyházmegyéből a kalocsai és bácsi érsekségek, az egri, váradi, csanádi, pécsi, erdélyi, szerémi és bosniai püspökségek régi levéltárai végképen elpusztultak. A nyitrai és győri püspöki levéltáraknak csekély maradványai vannak meg. Így tehát a veszprémi püspökséggel csak az esztergomi érsekség és a zágrábi püspökség osztoznak a szerencse azon kedvezésében, hogy saját és székesegyházi káptalanuk levéltára a XII. századtól kezdve számra és fontosságra egyaránt jelentékeny oklevélkészletet őriz.[1]

A veszprémi egyházmegye területén egykor fönnállott fehérvári, budai és dömösi káptalanok, a nagyszámu apátságok, prépostságok és egyéb rendházak levéltárai az enyészetet nem kerülték el. Csak is a nyulak-szigeti apácza-zárda mentette meg a XIII. századtól kezdődő oklevelei egy részét, mely a szerzetes rendeknek József császár alatt bekövetkezett eltörlése idején a királyi kamara levéltárába került.[2]

Paschalis episcopus servus servorum Dei, dilecto fratri Petro abbati monasterii sancti Martini in monte supra Pannoniam siti, eiusque legitimis successoribus in perpetuum .... Secundum preceptum beate memorie Stefani pii regis, per presens privilegium confirmamus atque statuimus, ut nulli regum, nulli comitum, nulli episcoporum, nulli cuiquam alii de rebus que iam dicto monasterio collate sunt et concesse, vel in posterum canonice conferende, liceat minuere vel auferre, seu ablatas retinere. Inter que nominatim eidem monasterio confirmamus: in episcopatu Vespremiensi, ecclesiam sancti Martini in villa Caurisi [1] constitutam, ecclesiam domini salvatoris in villa Tardi,[2] ecclesiam sancte Marie in villa Toppe,[3] cum universis earum pertinentiis ...[4] Decime vero quas pie recordacionis Stefanus rex ab ecclesia sancti Michaelis emit[4] .. firme et illibate permaneant .... Datum Beneventi ... anno dominice incarnacionis MCIII. et quarto anno pontificatus domini Pashcalis II. pape, sexto idus Decembris, indictione undecima.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 39. capsa, I. és 45. capsa, L. — Hasonmását fényképben kiadta SICKEL: Monumenta graphica medii ævi. III. fasc. num. 5. Szövegét: WENZEL. VI. 73.)

Hasonló megerősítő bullákat nyert a szent-mártoni apátság III. Sándortól 1175 deczember 16-án (WENZEL I. 72.), II. Orbántól 1187 május 5-én, III. Honoriustól 1225 május 26-án

---

[1] Kőröshegy, ma mezőváros Somogymegyében.

[2] Tard, ma puszta Somogymegyében.

[3] Ez a hely ma már nem létezik. Somogyvár vidékén feküdt. (CSÁNKI. II. 651.)

[4] Annak, hogy a pápai megerősítő bulla szerint szent István király a somogymegyei tizedeket a veszprémi püspökségtől megvásárolta, megváltotta, magyarázatát a szent király kiváltságlevelében, a mit a szent-mártoni monostor javára állított ki, találjuk meg. Ugyanis kinyilatkoztatja: «Ne adhuc ecclesia sancti Michaelis vacua esse videretur, vel episcopus parochianus iniurias querimoniasve in collectione decimationis pateretur, ei curtem que vocatur Courton, cum hominibus eidem pertinentibus tradidi».

(WENZEL I. 79.). Az utolsóban a II. Paskál oklevelében megnevezett három plébánián kívül, még három más plébánia neveztetik meg, mint a melyek szintén a veszprémi egyházmegyéhez tartoztak: «Sancti Ladislai in villa custodum porcorum,[1] sancti Martini in Deisa[2] et sancti Ladislai de Almas.»[3] (THEINER, I. 56.)

A somogyi tizedekre vonatkozó rendelkezés az 1175 és 1187-ik évi oklevelekben így hangzik: «Decime vero Somoniensis (Sumugiensis) territorii, quas ex concessione predicti regis monasterium vestrum per quadraginta annos tenuit . . . firme . . . permaneant.» Az 1225-iki oklevélben: «Decimas etiam, quas a quadraginta annis retro predictum monasterium inconcusse possedisse dinoscitur bona fide . . . confirmamus.»

II.

1159—1191 között.

III. Sándor és III. Kelemen pápák a székesfehérvári káptalant a római szent-szék védnöksége alá fogadják, javai és jövedelmei, jogai és kiváltságai birtokában megerősítik. (A pápai kiváltságlevelek teljes szövege nem maradt fönn; tartalmukat V. Márton pápa 1427 junius 26-ikán kelt bullája ismerteti.)

Dudum felicis recordacionis Clemens III. predecessor noster, eciam ad pie memorie Alexandri,[4] eiusdem Clementis predecessoris, exemplar, ecclesiam Alberegalis Vesprimiensis diocesis, in qua prepositus et nonnulli canonici pro tempore divino extiterant, prout existunt, obsequio mancipati, sub beati Petri et eius protectione suscepit, et sui scripti privilegio communivit, statuens, ut quecunque possessiones et bona, que eadem ecclesia tunc iuste et canonice possidebat, aut in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante domino, posset adipisci, ipsis preposito et canonicis, eorumque successoribus firma et illibata permanerent; libertates quoque, seu immunitates, iura et dignitates predicte ecclesie, a sancto Stephano rege, qui ecclesiam ipsam fundavit, concessas, que in vita sua legebantur,[5] et ab aliis regibus indultas, usque ad tempus recolende memorie Geize regis conservatas, ratas habuit atque firmas, easque perpetuis temporibus illibatas manere sancivit; salvis libertatibus et institucionibus, que de auctoritate Romane ecclesie, per bone memorie Petrum quondam tituli sancti Laurencii in

---

[1] Ezt a helyet közelebbről meg nem határozhatjuk. Talán azonos a Disznó vagy Disznós falvak egyikével, melyek Somogymegyében a XIV. és XV. századbeli oklevelek tanusága szerint, léteztek. (CSÁNKI. II. 601.)

[2] Talán azonos a Deuna vagy Szent-Márton nevű plébániák egyikével, melyek az 1339-ik évi pápai tizedlajstrom tanusága szerint, a somogyi főesperesség területén léteztek. (ORTVAI. I. 503, 505.)

[3] Talán Almád. (CSÁNKI. II. 586.)

[4] III. Sándor pápa 1159—1181. III. Kelemen pápa 1187—1191-ig uralkodott.

[5] A szent király legendája értetik.

Damaso[1] et Manfredum tituli sancte Cecilie[2] presbyteros sancte Romane ecclesie cardinales, olim in partibus illis apostolice sedis legatos, cum assensu et voluntate predicti regis Geize et filiorum suorum pie recordacionis Emerici et Bele regum facte fuerant; ac eciam decimas, quas a quadraginta tunc retrolapsis annis ecclesia ipsa inconcusse possedisse dinoscebatur, eidem preposito et canonicis et ecclesie confirmavit; et auctoritate apostolica statuit, ut nemini liceret prepositum vel canonicos eiusdem ecclesie suspendere, interdicere vel excommunicare, nisi Romano pontifici vel legato ab eius latere destinato; nec fas esset alicui archiepiscopo vel episcopo in predicta ecclesia solemnes missas celebrare, nisi a rege vel preposito eiusdem ecclesie propter hoc invitatus foret; aut eciam ipsos prepositum et canonicos ad speciales synodos convocare; quodque ipsi prepositus et canonici crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinaciones clericorum qui ad sacros ordines forent promovendi, a quovis reciperent episcopo, graciam et communionem apostolice sedis habente, qui hec auctoritate apostolica requisitus indulgeret; quodque cum generale interdictum terre foret, liceret eisdem preposito et canonicis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, specialiter indulsit.

(A vatikáni levéltárban. V. Márton datariai regestáiban. Annus IX. Volumen rubrum. B. fol. 81.)

---

[1] Petrus sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis 1166—1174 között fordúl elő a pápai oklevelekben. Azonban ő 1166 előtt járt mint pápai követ Magyarországban; akkor, mikor még «tituli sancti Eustachii diaconus cardinalis» volt. Mint ilyen 1161 és 1165 között fordúl elő a pápai oklevelekben. Egy 1166-ban kelt, az esztergomi érsekhez intézett pápai iratban olvassuk: «Petrus tituli sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, tunc vero sancti Eustachii diaconus cardinalis et apostolice sedis legatus pro electione tua et ut pallium tibi traderet ad partes illas accessit.» (JAFFE. 711. — Decreta Gregorii IX. Liber V. titulus III. caput. XVIII.) És a pápa 1161-ben Spalato városának köszöni, hogy «Julium Prenestensem episcopum et Petrum sancti Eustachii diaconum cardinalem» jól fogadta. (FEJÉR. II 160.) Igy tehát Magyarországban való működését 1161-re tehetjük. Ezen dátum megegyezik a pápai bulla azon részletével, a mely kiemeli, hogy az egyik pápai követ Gejza király jóváhagyásával adományoz a fehérvári egyháznak kiváltságokat; már pedig Gejza 1161 május 31-dikén meghalt.

[2] Manfredus sanctæ Cæciliæ presbyter cardinalis 1173—1176 között fordúl elő a pápai okiratokban. — Magyarországi működésére utal III. Orbán pápa 1187. évi bullájában, melylyel a magyarországi János-lovagok kiváltságait megerősítvén, szól azon rendelkezésekről, melyek «de auctoritate pie memoriæ Manfredi quondam . . . sancte Cecilie presbyteri cardinalis apostolice sedis legati» állapíttattak meg. (WENZEL. VI. 167.)

III.

1184—1188 között.

Theobald ostiai püspök, a szent-szék magyarországi követe, János veszprémi püspöknek a veszprémi káptalan javára tett adományozását megerősíti.

Theobaldus Dei gratia Hostiensis et Velletrensis episcopus apostolice sedis in Ungaria legatus.[1] Dilectis in Christo filiis capitulo Vespremiensi salutem et benedictionem a domino. Quotiens a nobis petitur, quod honestati et rationi convenire dinoscitur, benigna aure debemus suscipere, et quod postulatur effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, donationem illam ecclesiarum et reddituum vobis a venerabile fratre nostro Johanne episcopo[2] vestro ad sustentandam inopiam vestram rationabiliter factam, videlicet Albam Ecclesiam, que est Simigii,[3] cum redditibus unius marce, ecclesiam de Tur[4] unius marce, ecclesiam de Kortu[5] unius marce, ecclesiam de Scepethnuc[6] unius marce, ecclesiam de Herec[7] trium marcarum, ecclesiam de Ker[8] unius marce, ecclesiam de Euse[9] trium marcarum, ecclesiam de Buccoy[10]

---

[1] Theobaldus, franczia származású cziszterczita szerzetes, clugnyi apát, 1184 júliustól 1188 novemberben bekövetkezett haláláig viselte az ostiai és velletri (Róma közelében fekvő) püspökségek főpapi tisztét. Magyarországi követsége felől ezen okiraton kívül még csak egy emlék maradt fönn: itéletlevele a szent-mártoni apát és a győri püspök közt fennforgó perben. Sajnos ez is dátumot nélkülöz. KNAUZ. Monumenta. II. 470.

[2] János püspök 1181 és 1199 között kormányozta a veszprémi egyházmegyét.

[3] Fehéregyház. Az 1332—7. évi pápai tizedlajstromban két ilyen nevű plébánia fordul elő a veszprémi egyházmegye területén; az egyik a segesdi, a másik a somogyi főesperességben, mind a kettő Somogymegyében.

[4] A tizedlajstrom szerint ilyen nevű plébánia a somogyi főesperességben létezett. Ma Tur a látrányi plébánia fiókegyháza, a kaposvári kerületben.

[5] Kétségkívül ez a Kortu azonos azzal a Courtou nevű birtokkal, a mit szent István király, a szent-mártoni apátság részére kiállított kiváltságlevél tanusága szerint, a somogymegyei tizedekért kárpótlásul a veszprémi püspökségnek adományozott. A tizedlajstromban a somogyi főesperesség plébániái között (a különböző években különböző helyesírással) előfordul Kortho, Corthor, Corto nevű plébánia. Egy 1536-ban készült porta-összeírásban Kortho birtok neveztetik meg, mely Somogyvár közelében feküdt. Azóta elpusztult. (ORTVAI. I. 305.)

[6] Zepetnek plébánia a zalai főesperesség területén fordul elő a pápai tizedlajstromban. Ma Szepetnek a letenyei kerületben, a szombathelyi egyházmegye plébániája.

[7] Ezt a helyet nem határozhatjuk meg.

[8] Ker, Keer plébánia a veszprémi főesperesség területén fordul elő a tizedlajstromban. Ma Hagymáskér a palotai kerület plébániája.

[9] Eusi (Ősi) már szent László király 1082. évi oklevelében a veszprémi püspökség birtokai között fordul elő.

[10] Ezt a helyet biztosan nem határozhatjuk meg. Buku nevü helység létezik ma Somogymegyében; a szobbi plébánia fiókja.



1184—1188 között. THEOBALD OSTIAI PÜSPÖK, PÁPAI KÖVET OKIRATA. (III. SZÁM ALATT.)

duarum marcarum, ecclesiam de Germin[1] duarum marcarum, ecclesiam sancti Andree[2] duarum marcarum, sicut in autentico scripto ipsius episcopi continetur, vobis et ecclesie vestre auctoritate legationis, qua fungimur, confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut, sicut a prefato episcopo ordinatum est et in scripto redactum, de predictis redditibus, qui deputati insimul decem et septem marcas faciunt, octo in cibo et novem in potu canonicorum annuatim expendantur, prepositus vero de hiis omnibus nichil preter prepositalem prebendam accipiat. Ad hec ecclesiam sancti Apollinaris[3] cum redditibus decem marcarum, quam vobis iamdictus episcopus, ad reparationem camere vestre, dedit et concessit, et ita constituit, ut nullus absque regis assensu, qualiscumque necessitas ingruat, de hiis rebus camere assignatis aliquid expendere presumat, vobis nichilominus confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et sancte Romane curie se noverit incursurum.

(Kívül XIII. századi irással: Super collatione capellarum pertinentium ad mensam fratrum. Hártyán, kétségtelenül XII. századi írással. Eredetije a veszprémi káptalan levéltárában, a 109-dik capsában. 5. szám. — Hibásan közölte FEJÉR. IX., VII. 635.

IV.

1191 Január 8.

III. Kelemen pápa a fehérvári prépostnak és a szent-mártoni apátnak meghagyja, hogy az esztergomi érsek iránt köteles engedelmességet tanusítsanak, oly módon a mint azt elődeik tanusítani szokták.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis (Catapano) Albensi preposito et abbati sancti Martini salutem. Virtus obedientie quantum sit a viris ecclesiasticis amplectenda, quisquis ratione utitur non ignorat, cum facile quilibet ad ceteras virtutes progressum habeat in quo vigere dinoscitur huius prerogativa virtutis, sine qua non potest ad cœlestis beatitudinis bravium perveniri. Inde est quod volentes nos potiora bona obedientie immitari, per apostolica vobis scripta

[1] Ezt a helyet nem határozhatjuk meg.

[2] Szent-András nevű plébánia kettő fordul elő a tizedlajstromban, mindkettő a zalai főesperesség területén. Zalamegyében ma két ilyen nevű hely létezik: az egyik puszta Zala-Lövőtől délre, a másik Szent-László plébánia fiókja a kanizsai kerületben.

[3] Szent-Apollináris plébánia a tizedlajstromban nem fordul elő. Ilyen nevű helylyel az Árpád-korbeli oklevelekben (a FEJÉR- és WENZEL-féle oklevéltárak indexeiben) nem találkozunk.

mandamus, quatinus venerabili fratri nostro Jobo Strigoniensi archiepiscopo reverentiam et obedientiam impendere procuretis, quam predecessores vestri suis consveverunt predecessoribus exhibere. Datum Laterani sexta idus Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

(Eredetije a primási világi levéltárban. KNAUZ. Monumenta ecclesiæ Strigoniensis. I. 139.)

V.

1192—1210 között.

A római egyháznak adót fizető egyházak jegyzékében, (Liber Censuum Romanae Ecclesiae) melyet 1192-ben Cencius kamarás, később III. Honorius néven római pápa, állított össze, a veszprémi püspökséghez tartozó két monostor neveztetik meg:

In episcopatu Wesprimiensi:

Ecclesia sancti Stephani apud castrum Bellegrave una marca auri, que est hospitale.[1]

Simigiense monasterium debet fertonem, aut duas uncias auri in rigello ad pondus Hungarie.[2]

(A vatikáni levéltárban őrzött XII. és XIII. századbeli kézirat 23. lapján.)

VI.

1198.

III. Incze pápa az esztergomi érseket megbízza, hogy a telki monostorban a felbomlott fegyelmet és rendet állítsa helyre.

(Job) Archiepiscopo Strigoniensi.[3] Circa reformationem monasteriorum et augmentum eorum tanto potius tenemur esse solliciti et ipsorum gravaminibus precavere quanto ad nos specialius pertinet, et plantare religionem in Dei ecclesiis, et fovere plantatam. Verum ad audientiam nostram noveris pervenisse quod mo-

[1] A János-lovagok fehérvári monostora értetik.

[2] Ezt a második pontot a XII. századbeli kéziratba későbbi, XIII. századbeli kéz írta pótlólag. És csakugyan a somogyi monostor ezen kötelezettségét csak 1210 január 26-ikán állapította meg III. Incze pápa, mint ez okirattárunkban a XXV. szám alatt közlött iratából kitűnik.

[3] Ezen levél élén áll: «Eidem . . .», s a megelőzőnek élén: «Archiepiscopo Strigoniensi.».

nasterium de Telequi[1] ad tantam dissolutionem ordinis et temporalium rerum exinanitionem per prelatorum incuriam est devolutum, ut nec statutus in eo regularis ordo servetur, nec fratres ibidem ad Dei servitium deputati congrue possint de ipsius redditibus sustentari. Volentes igitur ut idem monasterium in statum pristinum tuo studio reformetur, illud sollicitudini tue, quamdiu nobis et successoribus nostris placuerit, duximus committendum; per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus taliter ipsius reparationi studeas imminere, ut divini nominis cultus in eo de die in diem potius augeatur, et fratrum necessitatibus vite necessaria congrue ministrentur. Datum Laterani.

(Regesta Vaticana. Volum. 8. Anni I. ep. 5. — FEJÉR. II. 322. — MIGNE I. 5.)

VII.

1198 Deczember 21.

III. Incze pápa a királyi korona őrzésével megbizott fehérvári őrkanonok kinevezésének jogát a fehérvári prépost részére biztosítja.

G(utofredo?) preposito Albensi. Innotuit apostolatui nostro per petitionem nobis ex tua parte porrectam, quod cum in Albensi ecclesia quedam dignitas que custodia dicitur, ad tuam donationem pertinens habeatur, cuius cure ac sollicitudini ornamenta ac privilegia ipsius ecclesie et diadema etiam regium committuntur,[2] eam persone idonee conferre desideras, ne forte per imperitiam aut infidelitatem vel negligentiam custodis ipsius, ecclesia incurrat aliquod detrimentum, aut honor patrie[3] de corona aliquam lesionem sustineat; volentes igitur indemnitati ecclesie predicte precavere, et tibi tuam iustitiam conservare, ut custodiam ipsam, sicuti tui iuris existit, idonee persone, nullius appellationis obstaculo, conferas et assignes, liberam tibi damus auctoritate apostolica facultatem. Datum Laterani duodecimo kalendas Januarii.

(BALUZE. I. 280. — FEJÉR. II. 352. — MIGNE. I. 449.)

---

[1] A telki szent Benedek-rendi apátság, Buda közelében, a veszprémi egyházmegye területén 1198-ban alapíttatott. RUPP. I. 39.

[2] A korona és a koronázási kincsek a fehérvári őrkanonok felügyelete alatt állottak egész a XIV. század végeig. III. Endre 1294-ben dicséri a fehérvári prépost buzgalmát, amit a korona megőrzése körül tanusított. (FEJÉR VI. I. 237.) A korona utóbb Budán, majd Visegrádon őriztetett.

[3] Figyelemre méltó, hogy a pápai iratba a fehérvári prépost folyamodásának egy része szó szerint át van véve.

VIII.

1199 Január 30.

III. Incze pápa Ugrin győri püspököt és a zirczi apátot megbízza, hogy az esztergomi prépostot és két más papot, kik a pápai regesták megcsonkításában bűnrészességgel vádoltatnak, hallgassa ki.

(Ugolino) episcopo Geuriensi et (Nicolao) abbati de Boccan.[1] . . . Magister L. Tarvisinus olim ad apostolicam sedem accedens, de regestro . . . Alexandri pape . . . quandam cartam dolose surripuit . . . Mandamus . . . quatenus magistrum P. Strigoniensem prepositum et magistrum Robertum Anglicum et Asonem presbiterum, quos huius iniquitatis consocios esse audivimus, ad vestram presenciam evocantes ab eis . . . veritatem diligentius exquiratis . . . confessionem autem . . . ad nos . . . ransmittatis; . . . Datum Laterani tertio kalendas Februarii.

(Regesta Vaticana. Volumen 4. Anni III. ep. 524. — FEJÉR. II. 356. — MIGNE. I. 493.)

IX.

1199 Január 30.

III. Incze pápa a váczi és csanádi püspököket, a zirczi apáttal, megbízza, hogy a pécsi püspök és a földvári apát között fenforgó perben biráskodjanak.

(Boleslao) Waciensi, (Johanni) Cenadiensi episcopis et (Nicolao) abbati Siricensi.[2] Cum . . . — abbas de Feldvar et magister Obertus nuntius . . . (Calani) Quinqueecclesiensis episcopi, pro questione que vertitur inter eundem episcopum et ipsum abbatem, ad nostram presentiam accessissent, . . . abbas proposuit memoratus, quod cum esset in procinctu itineris ad Romanam ecclesiam veniendi, et supradictus . . . episcopus ad monasterium suum hospitandi causa venisset, privilegium, quod . . . B(ela) quondam rex Ungarie super ecclesie sue libertate concesserat . . . et pecuniam quam paraverat ad expensas itineris, illi abstulit . . . Dictus

[1] A bakonyi apátság elnevezése alatt a zirczi apátság értetik. Ez teljesen kétségtelenné válik az által, hogy XXII. János pápától 1330 julius 1-én a *bakonyi* apátnak adott megbízásában a *zirczi* apát járt el. (Anjoukori Okmánytár. III. 607, 612.) Téves tehát FUXHOFER (II. 81.) és RUPP (I. 273.) nézete, a mely szerint a bakonyi apátság Vásárhely közelében létezett volna, s az ott látható romok ennek a monostornak maradványai volnának.

[2] Zircz.

abbas . . . vocem ad nos appellationis emisit . . . E contrario prefatus magister Obertus respondit, quod memoratus episcopus pro eo, quod dictus abbas super falsitate duorum privilegiorum apud eum accusatus fuerat et convictus, . . . eum non appellantem . . . deposuit . . . De consensu partis utriusque, negotium ipsum vestro duximus examini committendum . . . Datum Laterani tertio kalendas Februarii.

(Regesta Vaticana. Volumen 4. anni III. ep. 528. — FEJÉR. II. 353. — MIGNE. I. 497.)

X.

1199.

Imre király levele III. Incze pápához, melyben a főrendektől és főpapoktól, névszerint János veszprémi püspöktől szenvedett sérelmeket följelenti.

Reverendo in Christo patri Innocentio Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici H(emricus) eadem gratia Hungarie, Dalmatie, Choroatie, Dalmatieque rex, salutem et tam devotam quam debitam in domino reverentiam. Quoniam penes sanctitatem vestram summa potestas post Deum est et auctoritas, et vestrum est spiritualium filiorum causas affectu paterno discutere, iniurias maiestati nostre a falsis principibus nostris et precipue a prelatis ecclesiarum illatas vestre discretioni detegimus. Sane quidam episcoporum regni nostri, inter ceteras adversitatis causas, fratrem nostrum,[1] ex ultimo patris sui mandato, contra inimicos crucis armatum, super nos reducentes, eundem multa latenter data pecunia, manu etiam propinquorum, necnon aliorum regni proditorum, adversum nos confoverunt, inter quos Bagiclaus,[2] Elvinus[3] et Johannes Vesprimiensis, perfidia notabiliores ceteris, atrocius et apercius in nos sevierunt.[4] . . . Nullam in eos vindictam . . . exercuimus, quin potius, ob reverentiam sedis apostolice, vestro totum reservamus examini . . .

(HUILLARD-BRÉHOLLES. Examen des chartes de l'église Romaine contenues dans les rouleaux dites rouleaux de Cluny [Paris 1865] 75. — WENZEL. VI. 199.)

---

[1] Endre herczeg.

[2] Boleszló váczi püspök.

[3] Elvin váradi püspök.

[4] Míg a váczi és váradi püspökök ellen panaszát és vádjait részletesen adja elő; a levél következő részében a veszprémi püspök vétségéről semmi sem fordúl elő.

XI.

1202. November 9.

III. Incze pápa Imre királyt értesíti, hogy a keresztes hadjárat elhalasztására vonatkozó kérését, melyet a pilisi apát és egy főesperes által terjesztett elő, nem teljesítheti.

H(enrico) illustri regi Ungarie. Regie magnitudinis litteras hilari vultu et alacri mente recepimus, et que nobis dilecti filii — abbas Pelisii et C. archidiaconus, nuntii tui, proponere voluerunt, intelleximus, eis aurem benevolam adhibentes . . . Proposuerunt siquidem nobis iidem nuntii tui, et id etiam eedem littere continebant, ut super solvendo voto, quod pro subventione terre sancte pie ac laudabiliter emisisti, tibi consulere deberemus, cum venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum regni tui admonearis consilio, ut debitum peregrinationis suscepte, propter inimicitias Culini bani, qui cum innumerabili multitudine paganorum quandam partem populi christiani, tue corone subiecti, clam captivatam deduxit, et partem residuam sine intermissione debellare conatur, ad tempus debeas retardare. Nos autem, qui honorem tuum paterna charitate diligimus, regie serenitati ... consulimus, quatenus, si fieri potest absque periculo regni tui, ... non tardes reddere Domino quod vovisti . . . Datum Laterani.

(Fejér. II. 393. Ilyen dátummal: Quinto idus Novembri anno quinto. — Migne. I. 1000. dátum nélkül közli, a megelőző pápai irat pedig: Sexto idus Novembris anno quinto — dátumot visel.)

XII.

1203. Május 5.

III. Incze pápa a váczi püspököt, a pilisi és zirczi apátokat megbízza, hogy az esztergomi és kalocsai érsekek között fennforgó viszályokat egyenlítsék ki.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Johanni) Colocensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Gravem in presentia nostra . . . (Job) Strigoniensis archiepiscopus proposuit questionem, quod cum in ecclesia que spectat ad ipsum, benedictionem post missam dare cepisset, tu, in non modicum clamorem prorumpens, in ipsius iniuriam et gravamen, populo benedictionem dedisti; preterea contra voluntatem suam consecrationis munus in ecclesia pertinente ad ipsum duobus episcopis impendisti . . . Quoniam igitur pati nolumus, . . . ut idem archiepiscopus indebite aggravetur, . . . precipimus, quatinus quicquid in ipsius preiudicium...



1203. III. INCZE PÁPA BULLÁJA. (XII. SZÁM ALATT.)

nosceris attemptasse, taliter corrigas per te ipsum, . . . quod idem de te nullam habeat materiam conquerendi . . . Alioquin . . . noveris, nos .... (Boleslao) Waciensi episcopo et . . . de Pelis et de Bochan abbatibus, Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis dedisse firmiter in mandatis,[1] ut convocatis partibus, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum exinde fuerit, appellatione remota, decernant, et faciant quod decreverint, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Penestre tertio nonas Maii pontificatus nostri anno sexto.

(Eredetije az esztergomi főkáptalan levéltárában. — KNAUZ. I. 165.)

XIII.

1203. *Október 7.*

III. Incze pápa a váczi és a győri püspököket megbízza, hogy a veszprémi püspöktől a somogyvári apát ellen emelt panaszt vizsgálják meg és a vitás ügyet döntsék el.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus (Boleslao) Vaciensi et (Everardo?) Nitriensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis fratris nostri Vesprimiensis episcopi oblatum nobis petitorium declaravit, quod — abbas de Simingio Vesprimiensis diocesis tres ecclesias, de iure ad eum spectantes, contra iustitiam detinet occupatas, quarum unam ab extraneo episcopo, contradicente eo, fecit pro sue voluntatis arbitrio consecrari, cum ipse paratus esset eandem pro sui officii debito consecrare. Quo circa fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis, et rationibus hinc inde plenius auditis e cognitis, quod conveniens fuerit, appellatione postposita, decernatis; facientes quod iudicaveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; nullis litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non ambo hiis exequendis potestis interesse, alteruter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Ferentini nonas Octobris, pontificatus nostri anno sexto.

(Eredetije a veszprémi káptalan levéltárában. Capsa 109. n. 4. — FEJÉR. IX. VII. 643.)

[1] Ez a pápai rendelet nem maradt fönn.

XIV.

1204. *April 16.*

III. Incze pápa a váradi püspököt es a pilisi apátot megbízza, hogy a Magyarországban levő görög monostorok felől jelentést tegyenek.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri (Simoni) Waradiensi episcopo et dilecto filio — abbati de Pilis Vesprimiensis diocesis salutem etc. Significavit nobis... (Emericus) rex Ungarorum illustris, quod quedam ecclesie monachorum Grecorum in regno Ungarie constitute, per incuriam diocesanorum episcoporum, et per ipsos Grecos, qui valde sunt, sicut asserit, dissoluti, penitus destruuntur, a nobis supplicans . . . ut auctoritate nostra unus fieret episcopatus ex ipsis, qui nobis nullo mediante subesset, vel abbates aut prepositi Latini constituerentur in illis, per quorum studium et diligentiam earundem ecclesiarum status posset in melius reformari... Mandamus, quatinus ad predictas ecclesias accedentes, inquiratis . . . utrum per ipsos monachos Grecos eadem monasteria in religionis observantia valeant reformari utrumne, de diocesanorum episcoporum consensu, unus fieri poterit episcopatus ex illis, qui nobis immediate sit subiectus; et quod super iis inveneritis, fideliter conscribentes, ... ad nostram presentiam destinetis, ut . . . . securius in eodem negotio procedere valeamus. Datum Laterani sexto decimo kalendas Maii pontificatus nostri anno septimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 5. anni VII. ep. 47. — Fejér. II. 429. — Theiner. Monumenta Slavorum I. 33.)

XV.

1204. *Szeptember 14.*

III. Incze pápa Imre királyt fölhívja, hogy a somogyvári monostor szerzeteseit apátválasztási jogukban ne háborgassa.

(Emerico) illustri regi Ungarie. Venientes ad apostolicam sedem dilecti filii, H. G. A. et D. monachi sancti Egidii de Ungaria, nobis lacrymabiliter intimarunt quod eorum abbate defuncto, alium sibi, secundum antiquum et approbatum morem sui monasterii, elegerunt, quod hactenus tam abbates, quam monachos consuevit habere Latinos; sed tu, fili charissime, quod cum devotione ac reverentia retulerunt, regium sibi noluisti prebere consensum, affirmans, quod in alium, quam

Ungarum minime consentires. Venerabilis autem frater noster (Bernardus) Spalatensis archiepiscopus,[1] hoc attendens, ad præsentiam tue serenitatis accessit, et monasterium ipsum velociter impetravit, de quo, si verum est, valde miramur, quia, licet professione sit monachus et natione Latinus, cum tamen pontificis gerat officium, abbatis non debuit ministerium usurpare, presertim et in aliena diœcesi et per laicam potestatem; qui, non multo post, cum servis monasterii memorati monachos universos super thesauro monasterii apud regiam celsitudinem graviter accusavit, sed ipsi, voluntatem presentientes illius, statim, ipso presente, cuidam homini tuo, quem ipse secum adduxerat, et multis aliis bonis viris thesaurum ecclesiæ non solum integrum assignarunt, sed etiam augmentatum. Verum, idem archiepiscopus, voluntatem suam cupiens adimplere, opportunitate captata, in eos armata manu irruit violenter, et quosdam ex ipsis manu propria flagellavit, quosdam vero coniecit in vincula, cunctisque penitus destitutis, monachos Ungaros pro sua instituit voluntate, appellationi non deferens, quam iidem monachi super tanto gravamine ad sedem apostolicam emiserunt, terminum in assumptione beatæ Marie proximo preterite prefigentes. Quia vero nec novum est, nec absurdum, ut in regno tuo diversarum nationum conventus uni domino sub regulari habitu famulentur, licet hoc unum sit tibi Latinorum cœnobium, cum tamen ibidem sint multa Grecorum; serenitatem regiam rogamus attentius et monemus, quatenus, in statum debitum revocato, quod non tam proprio motu, quam alieno consilio diceris concessisse, non impedias, nec impediri permittas, quominus predicti monachi, secundum consuetudinem hactenus observatam, assumant sibi personam idoneam per electionem canonicam in abbatem. Nos enim, venerabili fratri nostro (Simoni) Waradiensi episcopo et dilectis filiis — abbati de Buccano, et — preposito Strigoniensi, damus firmiter in mandatis, ut inquisita diligentius veritate, sí rem invenerint taliter processisse, nisi predictus Spalatensis archiepiscopus ad commonitionem eorum excessum suum per se ipsum curaverit emendare, ipsi ei pro tanta presumptione canonicam pœnam infligant, et eo a prælibato monasterio prorsus excluso, faciant illud iuxta formam prescriptam, appellatione postposita, ordinari[2] Datum Romæ, apud sanctum Petrum, decimo octavo kalendas Octobris, anno septimo.

(Fejér. II. 446. — Migne. II. 417.)

---

[1] Bernát spalatói érsek (1198—1217) a szent Benedek-rend tagja volt. Így magyarázható, hogy a somogyvári apátságot elnyerte.

[2] Ez a pápai irat nem maradt fenn. A regestakötetben erre nézve csak ez áll: «Illis scriptum est super hoc, districte precipiendo, ut omni gratia et timore postposito etc.»

XVI.

1204. November 22.

III. Incze pápa az esztergomi káptalant értesíti, hogy János kalocsai érseknek esztergomi érsekké történt megválasztatása ellen, a tartománybeli püspökök, köztök a veszprémi püspök, tiltakoztak; ellenben a királyi követek, köztök a zirczi apát, a megerősítés érdekében működnek. A káptalant és a püspököket maga elé idézi.

Innocentius etc. Dilectis filiis capitulo Strigoniensi salutem . . . Postulationi quam celebrastis de . . . (Johanne) Colocensi archiepiscopo ad Strigoniensem metropolim transferendo . . . . eiusdem metropolis suffraganei, videlicet C(alanus). Quinqueecclesiensis, B(oleslaus) Waciensis, K(alanda) Vesprimiensis et J(ohannes) Nitriensis episcopi penitus contradicunt, . . . intimantes, quod U(grino) . . , archiepiscopo vestro viam universe carnis ingresso . . . cum ad festum beati Stephani iidem episcopi solempniter convenissent, ut super electione Strigoniensis ecclesie . . . tractarent, vos . . . prefatum Colocensem archiepiscopum, in quem iam pridem cum rege conveneratis predicto, nominare curastis, adiicientes, quod in electione archiepiscopi suffraganei nichil iuris haberent; quibus ipsi suffraganei responderunt, quod a prima christianitatis institutione in regno Ungarie . . . nullus ad sedem Strigoniensem fuerat electus, nisi suffraganeis una cum canonicis eligentibus . . . Proro . . . abbas de Buccon et magister Petrus pro rege predicto, nec non et prepositus Posoniensis et thesaurarius ecclesie vestre . . . asseruerunt constanter ea que ab episcopis proposita fuerant penitus esse falsa . . . Ita duximus providendum, quod si prefati pontifices in contradictionibus perstiterint, et vos ad postulationem instiseritis obtinendam; . . . usque ad septuagesimam proxime venturam, per procuratores . . . nostro vos conspectui presentetis . . . Datum Rome apud sanctum Petrum decimo kalendas Decembris pontificatus anno septimo.

(Brequigny. II. num. 582. — Fejér. II. 451. — Migne. II. 463.)

XVII.

1205. *April 25.*

III. Incze pápa II. Endre királyt felhívja, hogy azon intézkedéseket, a miket Imre király a pilisi apátnál elhelyezett pénzre nézve tett, tiszteletben tartsa.

Illustri regi Ungarie . . . Accepimus autem, carissima in Christo filia (Constantia) regina Ungarie referente, quod cum predictus rex, frater tuus, in ultimis laboraret, coram venerabili fratre nostro (Johanne) archiepiscopo Colocensi et quibusdam aliis regni principibus de pecunia, quam in monasterio de Pelis habebat, ita disposuit, quod duas partes eiusdem fratres domorum templi et hospitalis haberent, in subsidium terre sancte, et tertia eius filio conferretur. Cum ergo te deceat voluntatem illius ultimam implere, nobilitatem tuam monemus, . . . quatenus, iuxta dispositionem regis ipsius pecuniam illam facias erogari. Datum ut supra (septimo kalendas Maii).

(Fejér. II. 457 — Migne. II. 596.)

XVIII.

1205. *Október 6.*

III. Incze pápa az esztergomi káptalant értesíti, hogy János kalocsai érseket, kinek megválasztásában a tartománybeli püspökök, köztök a veszprémi püspök is, megnyugodtak, az esztergomi érsekségre áthelyezi.

Innocentius etc. Dilectis filiis — preposito et capitulo Strigoniensi salutem etc. . . . Innitentes mandato priori, suffraganeos, qui erant in regno presentes, preter . . . Quinqueecclesiensem, ad concordiam revocastis, ita quod Vaciensis, Vesprimiensis et Jauriensis episcopi, pro translatione Colocensis archiepiscopi, salvo iure suo in posterum, . . . nos humiliter rogaverunt . . . Eundem archiepiscopum . . . ad metropolim Strigoniensem transferimus . . . Datum Rome secundo nonas Octobris pontificatus anno octavo.

(Brequigny. II. num. 773. — Fejér. III., I. 23. — Migne. II. 717.)

XIX.

1206. Február 13.

III. Incze pápa az esztergomi érseket, a győri püspököt és a fehérvári prépostot megbízza, hogy bizonyos győrmegyei nemeseket, kik a borsmonostori apátság több szerzetesét bántalmazták, az egyházi kiközösítés büntetésével sújtsák.

Innocentius episcopus . . . Venerabilibus fratribus (Johanni) archiepiscopo Strigoniensi (Petro) Geuriensi episcopo et dilecto filio (Roberto) preposito Albensi salutem etc . . . Abbas et conventus de monte sancte Marie in Ungaria ordinis Cisterciensis, lacrimabilem nobis obtulere querelam, quod Petrus de Ukas et quidam alii de Curumzue[1] . . . in quosdam fratres ipsorum manus iniecerunt temere violentas . . . Mandamus quatenus si est ita, dictos manuum iniectores tamdiu . . . excommunicatos publice nuntietis, . . . donec passis iniuriam satisfecerint competenter, et . . . ad apostolicam sedem venerint absolvendi . . . Datum Rome apud sanctum Petrum idus Februarii pontificatus nostri anno nono.

(Fejér. VII., V. 170.)

XX.

1206. Február 13.

III. Incze pápa az esztergomi érseket, a győri püspököt és a fehérvári prépostot megbízza, hogy a borsmonostori apátság birtokait, a miket bizonyos győrmegyei nemesek magokhoz ragadtak, szerezzék vissza.

Innocentius episcopus . . . Venerabilibus fratribus (Johanni) archiepiscopo Strigoniensi, (Petro) Geuriensi episcopo et dilecto filio (Roberto) preposito Albensi salutem etc. . . . (Benedictus) abbas et conventus de monte sancte Marie in Ungaria ordinis Cisterciensis . . . sunt conquesti, quod Dianus et filii sui et quidam alii . . . ipsos quibusdam possessionibus et bonis aliis . . . spoliarunt . . . Mandamus, quatenus eis, sicut iustum fuerit, restituatis, audiatis si quod fuerit questionis, et appellatione remota fine debito terminetis . . . Datum Rome apud sanctum Petrum idus Februarii pontificatus nostri anno nono.

(Eredetije az országos levéltárban. Diplom. L. 44. — Fejér. VII., V. 171.)

[1] Koronczó.

XXI.

1208. *April 13.*

III. Incze pápa Róbert veszprémi püspököt és a zirczi apátot megbízza, hogy Andronicust, András somogyi főispán fiát, az anyjától a magyarországi János-lovagok részére rendelt hagyaték kiszolgáltatására késztessék.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Calanda) Vesprimiensi episcopo et dilecto filio — abbati de Bucan Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Gravem dilectorum filiorum — prioris et fratrum hospitalis Jerosolimitani in Hungaria[1] recepimus questionem, quod cum bone memorie Margareta, quondam uxor bone memorie Andree comitis de Symigio, amita charissimi in Christo filii nostri (Andree) illustris regis Hungarie, eidem hospitali dotem suam in ultima voluntate legaverit intuitu pietatis, nobilis vir Andronicus filius comitis supradicti, eandem dotem contra iustitiam detinet et eisdem fratribus restituere contradicit. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatum nobilem, ut iam dictis fratribus dotem ipsam sine difficultate qualibet restituat, ut tenetur, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Datum Laterani idibus Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

(Eredetije pecséttel, a magyar országos levéltárban. Diplom. L. 46. — PRAY. Dissertatio de prioratu Auraneæ. 106. — FEJÉR. III., I. 69.)

XXII.

1208. *November 12.*

III. Incze pápa a francziaországi Flavignyben szent Egyed tiszteletére alapított apátság kiváltságait megerősítvén, fiók-apátságait, köztök a somogyvárit is, felsorolja.

Dilecto in Christo filio Pontio abbati monasterii sancti Egidii eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum . . . Ad exemplar predecessorum nostrorum . . . omnem libertatem seu immunitatem vobis ac vestro cœnobio . . . contributam . . . roboramus . . . Statuimus, ut quascumque possessiones . . . idem monasterium . . . possidet . . . firma tibi tuisque successoribus permaneant, in quibus

[1] A jeruzsalemi ispotályos lovagrend, más néven a János-lovagok rendje.

hec propriis duximus exprimenda vocabulis: abbatias videlicet sancti Egidii de Ungaria . . . Datum Laterani . . . secundo idus Novembris . . . anno MCCVIII . . .

(Baluze. II. 221. — Migne. II. 1486. — Wenzel. VI. 327.)

XXIII.

1209. Márczius 7.

III. Incze pápa a veszprémi püspököt és a zirczi apátot megbízza, hogy a jeruzsálemi lovagrendet tized-mentességi kiváltságában a győri püspök ellen oltalmazzák meg.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Calanda) Vesprimiensi episcopo et dilecto filio — abbati de Bucan Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Oblata nobis fratrum Hierosolymitani hospitalis petitio continebat, quod Jaurinensis episcopus ab eis et servis eorum, qui sumptibus eorum terras excolunt, contra sedis apostolice privilegia et generalem regni consvetudinem, decimas nititur extorquere. Unde nos eidem episcopo dedimus in mandatis, ut ab eorundem fratrum indebita molestatione desistat. Quo circa discretioni vestre mandamus, quatenus dictum episcopum, ut ab ipsorum super hoc molestatione indebita conquiescat, monitione premissa, appellatione remota cogatis . . . Datum Laterani nonis Martii pontificatus nostri anno undecimo.

(Fejér. III., I. 84.)

XXIV.

1209.

III. Incze pápa a szent-jánosi egyház kegyuraságának a veszprémi püspökség részére történt adományozását megerősíti.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est ac honestum, tam ordo equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter venerabilis in Christo frater, tuis iustis postulationibus inclinati, ius patronatus ecclesie sancti Johannis,[1] quod dilecta in Christo filia Raguel mulier, pro suorum remedio pecca-

[1] Szent-János nevezetű plébánia a tizedlajstromban kettő fordul elő, az egyik a veszprémi, a másik a zalai főesperességben; amaz elpusztult, ez ma Zala-Szent-Iván nevet visel.



1211. III. INCZE PÁPA BULLÁJA. (XXVI. SZÁM ALATT.)

torum, provida tibi pietate concessit, sicut illud iuste et pacifice possides, tibi et per te tue ecclesie, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius noverit se incursurum.

(Átírva Robert veszprémi püspök 1209-ik évben kelt oklevelében, a melyben elrendeli, hogy a szent-jánosi plébános a püspök előtt évenkint négyszer megjelenni és a plébánia vagyonáról számot adni tartozzék. Eredetije a veszprémi káptalan levéltárában. FEJÉR. IX., VII. 644.)

XXV.

1210. Január 26.

III. Incze pápa a somogyvári apátságot a szent-szék pártfogása alá fogadja, és kiváltságait megerősíti.

Abbati et conventui Simigiensi . . . Dilecti in domino filii, . . . personas vestras et Simigiense monasterium, . . . sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, libertates et immunitates a principibus monasterio vestro concessas, dignitates quoque ac antiquas et rationabiles consvetudines obtentas et hactenus observatas, auctoritate vobis apostolica confirmantes. Ad indicium autem huius nostre protectionis et confirmationis percepte, fertonem auri, gratis oblatum, nobis et successoribus nostris annis singulis persolvetis . . . Datum Laterani septimo kalendas Februarii pontificatus nostri anno tertiodecimo.

(BALUZE. II. 511. — FEJÉR. III., I. 97. — MIGNE. III. 368.)

XXVI.

1211. Január 26.

III. Incze pápa a győri püspököt, a tihanyi apátot és a tihanyi perjelt a veszprémi püspök és a szent-ábrahámi kolostor között fennforgó tized-perben birákul rendeli.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Petro) episcopo Geuriensi et dilectis filiis abbati de — Tihon et — preposito de Ferreocastro Vesprimiensis et Geuriensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Sua

nobis venerabilis frater noster (Robertur) Vesprimiensis episcopus conquestione monstravit, quod fratres de sancto Abraham [1] Vesprimiensis diocesis quasdam decimas sibi debitas contra iustitiam detinent occupatas. Ideoque diseretioni vestre per apostolica scripta mandamu, quatenus partibus convocatis audiatis causam et appellatione remota fine canonico tenuninetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel tinore subtaxerint, simili districtione, cessante appellatione, cogatis testimonium perhibere veritati. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Laterani septimo kalendas Februarii pontificatus nostri anno quarto decimo.

(Eredetije a veszprémi káptalan levéltárában. Capsa. 109. Decimæ episcopales. n. 1.)

XXVII.

1212. *Február 12.*

III. Incze pápa II. Endre királylyal közli a Róbert veszprémi püspök által előterjesztett ügyeket, a király-koronázási jog és a Szebenben tervezett püspökség fölállítása tárgyában, elhatározását.

Illustri regi Ungarie. Illa te fili carissime caritatis prerogativa diligimus, cum inter alios mundi principes erga personam nostram et sacrosanctam Romanam ecclesiam devotissimum te sciamus, quod preces et peticiones ex parte tua nobis oblatas intendimus libenter admittere, quantum cum nostra possumus honestate. Inde siquidem fuit, quod venerabilem fratrem nostrum (Robertum) Vesprimensem episcopum, ad sedem apostolicam accedentem paterna benignitate suscepimus, et que tam per eum quam per tuas nobis litteras intimasti, pleno concepimus intellectu. Qui denique inter cetera proposuit coram nobis, quod cum de pace perpetuo statuenda inter Stregoniensem et Colocensem ecclesias diu fuerit, se mediante, tractatum, tandem venerabilis frater noster (Joannes) Strigoniensis archiepiscopus, de consensu et voluntate suffraganeorum Strigoniensis ecclesie, videlicet Agriensis, Georiensis et prefati Vesprimiensis episcoporum ex parte una et dilectus filius Colocensis electus, de volun-

[1] A premontrei rendnek Biharmegye területén volt szent Abrahámról czímzett prépostsága. (*Fuxhofer.* II. 3.) Azonban ezen a helyen nem ennek a prépostságnak szerzeteseiről van szó, mivel kolostoruk a veszprémi püspökség területén létezőnek jelentetik. — *Rupp* említi, hogy Ráczkeve a Csepel-szigeten Ábrahám-telke néven is fordúl elő a régi történeti emlékekben, és hogy Ráczkevén szent Ábrahám tiszteletére épült ősrégi templom létezett. (*Rupp.* I. 255.) Valószinű, hogy itt vagy a benediktinusoknak vagy a cziszterczitáknak kolostoruk volt, s hogy ez az, a mely a veszprémi püspökkel pert folytatott.

tate suffraganeorum Colocensis ecclesie, Varadiensis videlicet, Cenadiensis et Ultrasilvanensis episcoporum ex altera, in certam formam concordie devenerunt, quam per prefatos Georiensem et Vesprimiensem episcopos redigi mandaverunt in fscriptis.

Cumque illam in scriptis redactam in medium produxissent, et super ea fuisset diucius disputatum, tandem ita correcta extitit et conscripta, quod eam pars approbavit utraque, et tam Strigoniensis archiepiscopus, quam Colocensis electus, cum ecclesiarum suarum suffraganeis, ad sancta Dei evangelia iuraverunt, quod formam pacis, que continebatur in illo scripto, posito coram eis, firmiter observarent, et laborarent ad hoc nihilominus bona fide, ut nos compositionem confirmaremus eandem. P(etrus) quoque Quinqueecclesiensis prepositus, ab episcopo suo missus pro eo, et Benedictus prepositus sancti Thome, nec non et Jacobus scholasticus Strigoniensis, pro capitulo eiusdem ecclesie, a quo sub debito iuramenti se asseruerunt habere mandatum, et Hubaldus Posoniensis prepositus iuraverat eciam illud idem; pro Colocensi vero ecclesia Jacobus Colocensis et Hosmundus sancti Laurencii prepositi prestiterunt consimile iuramentum. Unde prefatus episcopus ex parte tua nobis humiliter supplicavit, ut compositionem eandem, quam sigillorum predictorum electi et Varadiensis, Cenadiensis, Ultrasilvani, Agriensis et ipsius Vesprimiensis episcoporum, nec non capitulorum Colocensis et Bachiensis nobis exhibuit munimine roboratam, auctoritate dignaremur apostolica confirmare; cuius tenor talis est:

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Hec est forma pacis inter Strigoniensem et Colocensem (archi)episcopos. Prima coronatio regum Ungarie specialiter spectat ad solam Strigoniensem ecclesiam; verumtamen si Strigoniensis archiepiscopus non posset, vel malitiose nollet regem coronare, vel Strigoniensis ecclesia vacaret, coronet regem Colocensis, nullum ex tali coronatione ius sibi vendicando in prima coronatione. Secunda coronatio et deinceps equaliter pertineat ad utrumque. De proventu monete decima pertineat ad ecclesiam Strigoniensem, ubicumque in regno Ungarie cudatur. Quod si cudi desierit generalis moneta totius Ungarie, quidquid loco generalis monete successerit, decimam habeat Strigoniensis ecclesia. Strigoniensis archiepiscopus renunciat omni iurisdictioni et iuri spirituali, quod habebat, vel habere videbatur in provincia Colocensi; preter decimam monete, si ibi contingeret fabricari. Judicium officialium domus regie quilibet episcopus habeat in sua parochia. Exhibicio sacramentorum regibus et reginis et eorum liberis, tam ad ipsos archiepiscopos, quam ad alios episcopos in suis parrochiis pertineat, pro voluntate regis. In omnibus aliis utrique ecclesie iura sua conserventur illesa, et consuetudines antique. Si qua autem privilegia, vel rescripta, quandocunque prolata fuerint contra hanc formam, vires non habeant, salva in omnibus auctoritate sedis apostolice. Quod si papa non approbaverit, res sit in eo statu, in quo nunc est. Juraverunt ambo archiepiscopi et eorum suffraganei, qui

presentes erant, nec non et prepositus Quinqueecclesiensis, qui vice domini sui episcopi intererat, nec non et procuratores capitulorum utriusque ecclesie, quod secundum formam prescriptam bona fide pacem prescriptam observabunt, et sine fraude ad confirmationem laborabunt.

Cumque super hiis cum fratribus nostris deliberare vellemus, dilecti filii, Jacobus scholasticus et Nycholaus canonicus, prefati archiepiscopi nuncii, et M. thesaurarius et Jo(annes) archidiaconus Strigonienses, procuratores eiusdem loci capituli, petierunt a nobis audientiam sibi dari. Qua ipsis de more concessa, nuncii proposuere predicti, quod inter prefatos archiepiscopum et Colocensem electum et eorum suffraganeos talis compositio intervenit, ut prima coronatio regum Ungarie ubicumque in ipso regno eos primum contingeret coronari, solius Strigoniensis ecclesie iuris esset; et monete, ubicumque cuderentur in regno, vel illius quod loco colligeretur monete, decima ad eandem ecclesiam pertineret; ac tu et carissima in Christo filia, Ungarorum regina, per vestras a nobis litteras peteretis, quatinus primam sedem, primamque vocem cum iuribus supradictis, que tu et dicta regina, nec non et pars Colocensis publice prefate Strigoniensi recognovistis ecclesie, ipsi perpetui dignaremur privilegii munimine roborare; super aliis vero, de quibus inter eos esse videbatur contentio, propter bonum pacis sic exstitit ordinatum: ut nec Colocensis in Strigoniensi provincia, nec Strigoniensis in Colocensi preter predicta sibi iuris aliquid vendicaret, auctoritate in omnibus apostolice sedis salva; ita, quod si hec non approbarentur a nobis, res in eo statu, in quo tunc fuerat, remaneret. Unde, quidquid sit scriptum, vel iuratum esse dicatur, hoc actum et intellectum esse a partibus asserebant; et illud ex parte archiepiscopi confirmari a nobis suppliciter postulabant asserentes sic actum et intellectum fuisse. Idem archiepiscopus et prefati Agriensis et Gewriensis episcopi suis litteris declararant.

Procuratores vero Strigoniensis capituli proposuerunt constanter, quod tam illa compositio, quam redactam in scriptis prefatus episcopus nobis exhibuit, quam illa, in qua prefati nuntii dixerunt, archiepiscopum conssensisse, nata fuerat sine assensu capituli, et in enorme dispendium Strigoniensis ecclesie redundabat; unde contradicentes, nobis humiliter uterque supplicarunt, ut auctoritate apostolica cassaremus utramque.

Nos igitur attendentes, quod olim nobis multa precum instancia supplicaras, ut super iure coronandi reges Ungarie Strigoniensi ecclesie privilegium concedere dignaremur, nosque tuis precibus inclinati ei super hoc privilegium concesserimus fratrum nostrorum subscriptionibus roboratum; considerantes eciam, quod si potestas coronandi reges Ungarie penes diversas ecclesias resideret, toti regno grave periculum et heredibus tuis grande posset dispendium generari, cum sicut plenius ipse nosti, frequenter inter regum Ungarie coheredes super obtinenda regni corona scandalum sit exhortum, quod utique posset facilius suboriri, si eos diversos coro-

natores contingeret invenire; propter contradictiones et rationes prescriptas compositionem huiusmodi non potuimus, sicut nec debuimus confirmare.

Super episcopatu quoque de novo creando apud Sibiniensem[1] ecclesiam in Ultrasilvana diocesi, que metropoli Colocensi subdatur, petitionem regiam nequivimus exaudire, quominus sive apostolice sedi, sicut tu ipse firmiter protestaris, sive Strigoniensi metropoli, sicut procuratores ipsius fortiter asserebant, Sibiniensis prepositura sit in spiritualibus inmediate subiecta, id absque dubio in alterutrius preiudicium redundaret. Sed et quidam, qui se nuncium venerabilis fratris nostri (Villelmi) Ultrasilvanensis episcopi faciebat, contradicebat omnino, gravem et enormem Ultrasilvanensis episcopatus diminutionem allegans. Serenitatem igitur regiam volumus monere et exhortari attentius, quod ad duritiam nobis non imputes, quod compositioni predicte robur non attribuimus firmitatis, sed tam providentie, quam iustitie id ascribas, quibus regni et heredum tuorum indempnitatibus duximus precavendum et iuris ordinem observandum, cum omnibus facti simus in iustitia debitores; sciturus pro certo, quod in nullo unquam a nobis patieris repulsam, in quo quisquam principum debeat exaudiri. Datum Laterani, secundo idus Februarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 8. f. 81. — FEJÉR. III., I. 129.)

XXVIII.

1212. *Márczius 3.*

III. Incze pápa a kalocsai érsekkel, a szekszárdi és czikadori apátokkal közli a veszprémi püspök és a szent-mártoni apát között fenforgó perben hozott itéletét, és azokat megbízza, hogy a tőle el nem intézett ügyekre nézve a tanúkat hallgassák ki, és vallomásaikat Rómába küldjék meg.

(Bertholdo) Colocensi electo et — Soksardiensi et — Sokudwor Cisterciensis ordinis abbatibus Quinqueecclesiensis diocesis. Veniens ad presentiam nostram dilectus filius (Urias) abbas sancti Martini de Pannonia, sua nobis conquestione monstravit, quod venerabilis frater noster, (Robertus) Vesprimiensis episcopus condicionales homines, qui certa ei servicia exhibent, eximit a prestatione integra decimarum, et eos, cum iurisdictionem in ipsos habeat, ad solvendas integre sibi predictas decimas et ad satisfaciendum congrue de subtractis pontificali auctoritate non cogit, prestare sibi recusans consilium et auxilium in expensis et aliis contra

[1] Cibiniensem. (A szebeni prépostság).

silvestres homines, in extremis predicte parochie finibus commorantes, qui se a solucione subtrahunt decimarum. Quare humiliter postulabat, ut ne id de cetero idem episcopus attemptaret, iniungere sibi auctoritate apostolica dignaremur. Petebat insuper, quod idem episcopus sacerdotibus illius parochie inhiberet, ne quosdam homines sibi, prout tenentur, decimas non solventes, servili condicione falso ad suam excusationem obiecta, et ne pulsatores et exequiales in eodem articulo delinquentes recipiant ad divina, vel ab eis percipiant partem aliquam decimarum, ipsi de subtractis satisfactionem congruam impendentes; humiliter supplicans, ut hoc per delegatos a nobis iudices fieri mandaremus, si dictus episcopus id efficere non curaret, compellentes eundem ad satisfactionem congruam predictorum, si auctoritate sua dicti capellani hoc presumerent attemptare. Postulabat preterea, quod idem episcopus parochianos capellarum suarum in iure spirituali et quarta decimarum recipi ad capellas alias non permittat, satisfaciens de subtractis eidem, si aliquid est in hoc hactenus ipsius auctoritate presumptum, alioquin a suis sibi faciat capellanis super hiis satisfactionem congruam exhiberi. Et ne de parochianis dubitatio aliqua oriretur, sic peciit distinguendo, ut parochianos de villis Fayz [1] et de Curbei [2] a capella Thapey [3] non subtrahat episcopus memoratus; parochianos autem de prediis Dominici de Mogh [4] et de udvornicis regis et de villis illorum, qui dant regi Martynin,[5] a capella de porcorum custodia non subducat; inhibens sacerdotibus, ne recipiant capecias aliquas, vel cubulos vini a regis, vel regine condicionalibus, qui vulgo regales servi vocantur, ab ipso ea recipi permittentes, cogens insuper regis sagittarios et Bissenos ad decimas integre persolvendas. Peciit eciam postmodum et humiliter postulavit, ut memoratus episcopus non impediat, vel faciat impediri, quominus omnes, qui in Symigiensi parochia, vel comitatu consistunt, de omnibus, que possident, decimas integre sibi solvant, sicut plene in privilegiis felicis memorie Paschalis pape [6] et sancti regis Stephani continetur.

Prefatus vero episcopus, in nostra presentia constitutus, e contrario postulavit, ut decimas Symigiensis comitatus, infra sue dyocesis terminos consistentis,

---

[1] Fajsz Somogymegyében; a falu ma is ezt a nevet viseli.

[2] «Curbei» az 1215 szeptember 9-iki pápai iratban «Gyrky» alakban fordúl elő. Ez a két helynév más oklevelekben nem fordúl elő. Így ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

[3] «Thapey» az 1215 szeptember 9-iki pápai iratban «Teppey» alakban fordúl elő. Ma nem létezik. Somogyvár vidékén feküdt. (CSÁNKI, Magyarország történelmi földrajza a Hunyadiak korában. II. 651.)

[4] «Dominicus de Mogh» az 1215-iki oklevelekben «D. de Megh» alakban fordúl elő. Más oklevél nem tesz róla említést.

[5] «MARTINIEGA, tributi species apud Hispanos, quod forte ad festum sancti Martini solvebatur sic dicta.»

«MARTIUS, præstatio seu census qui exigi solet in annona vel denariis mense Martii.» (DU CANGE. Glossarium. IV. 304.)

[6] II. Páskál pápa oklevele ohmánytárunkban az I. szám alatt.

quas detinet idem abbas, sibi restitui faceremus, nisi dictus abbas aliquo speciali iure se ipsas iuste possidere monstraret, mandantes ipsum per eundem abbatem, cum dictum comitatum visitaret, suis ecclesiis procurari. Petebat insuper deputatam quartam fabrice sibi restitui ad ecclesias reparandas; capellas in villa subulcorum et sancti Ladislay de Fyzgoi[1] destrui postulans, tanquam sine auctoritate ac consensu episcopi diocesani constructas, et petens ecclesiam de Keurishyg,[2] in qua sibi dictus abbas spiritualem iurisdictionem usurpat; ecclesiam eciam de Thapey, in cuius possessione ipsum fuisse idem abbas confessus fuerat, repetebat. Reconciliaciones eciam penitencium et ordinationes clericorum ad se asserens pertinere, humiliter postulabat, ut crisma, oleum sanctum et alia ecclesiastica sacramenta capellani et homines sancti Martini in Vesprimiensi dyocesi constituti ab eo, tanquam a suo dyocesano participent, sibi cogniciones causarum spiritualium relinquendo.

Nos autem intellectis per venerabilem fratrem nostrum Hugonem Hostiensem episcopum, quem partibus concessimus auditorem, que proposita fuerant coram eo, obiectiones propositas ab episcopo contra privilegia predictorum Paschalis pape ac sancti regis Stephani, quibus abbas sufficienter respondit, invalidas esse decrevimus, ut eis non obstantibus previlegia ipsa valida reputentur, si autenticum predicti regis tale repertum fuerit, quale nobis rescriptum ipsius sub bulla karissimi filii nostri (Andree) Hungarorum regis illustris extitit presentatum. Quantum tamen ad fundendam intentionem abbatis proficiat, oportuno tempore decernemus; interim autem nichil circa statum monasterii, super percepcione decimarum, quas idem monasterium possidet, immutetur. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, clerici ecclesiarum, vel capellarum ipsius monasterii, que sunt in Vesprimiensi diocesi constitute, a Vesprimiensi episcopo postulabunt, si quidem catholicus fuerit et graciam atque communionem apostolice sedis habuerit, et ea gratis et sine pravitate aliqua voluerit exhibere; alioquin ab alio, quem maluerint, catholico presule suscipiendi ea liberam habeant facultatem, sicut in privilegiis predicti Paschalis et bone memorie Alexandri pape[3] predecessorum nostrorum perspeximus contineri; non obstante privilegio felicis memorie Clementis pape,[4] qui mentionem non fecit de predictis predecessorum suorum privilegiis, sed de privilegio sancti Stephani regis, cui, quantum ad hoc capitulum, per sepefatos Romanos pontifices extitit derogatum, presertim cum ipse Clemens privilegium illud concesserit salvis institutionibus non solum Romane ecclesie, sed ipsius etiam legatorum; nec obstante

[1] «Fizgoi» az 1215-iki oklevélben «Fizigtu» alakban fordul elő. Ilyen nevű hely Somogymegyében ma nem létezik. (A Fuxhofer-Czinár Monasterologia azt jegyzi meg e helyről: «Fizegtő penes Almás». 73.)

[2] Köröshegy a későbbi oklevelekben is gyakran fordul elő.

[3] [4] L. az I. számú oklevélhez csatolt jegyzetet.

prescriptione, quam idem abbas in suum subsidium opponebat, quia si consumata erat prescriptio, quando abbas sancti Martini ab Alexandro papa privilegium impetravit, iuri prescriptionis renunciasse videtur, presertim cum coram nobis privilegio illo sit usus, quod sue intentioni, quantum ad hunc articulum, contradicit; si vero nondum consumaverat prescriptionem, sed erat prescribendo post impetratum huiusmodi privilegium, bonam fidem non habuit, et ideo secundum canones non prescripsit. Ceterum interdictos, vel excommunicatos Vesprimiensis episcopi predicti clerici studeant evitare, ac parochianos ecclesiarum ad eundem episcopum pertinentes contra voluntatem ipsius ad divina officia non recipiant, nec illis impendant ecclesiastica sacramenta.

Super ceteris autem, quia nobis non potuit fieri plena fides, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus recipiatis testes, quos partes duxerint producendos, et tam attestationes, quam alias probationes earum fideliter redigatis in scriptis, easque nobis sub vestris sigillis dirigere procuretis, prefigentes eis terminum competentem, quo cum ipsis nostro se conspectui representent, sententiam auctore domino recepture. Testes autem, qui ab utraque parte fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus, preter assensum partium a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes (his exequendis poteritis interesse) duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani, quinto nonas Martii, pontificatus nostri anno quintodecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 8. fol. 84. — FEJÉR. III., I. 134. — MIGNE. III. 545.)

XXIX.

1213. Május 26.

III. Incze pápa a váradi és nyitrai püspököket, az egresi apáttal, megbízza, hogy a veszprémi püspök és az esztergomi káptalan között fenforgó tizedpert barátságos egyesség létesítésével elintézni igyekezzenek; ha pedig ez nem sikerül, a feleket a szent-szék elé idézzék.

(Simoni) Varadiensi et — Nitriensi episcopis et — abbati de Egris Cenadiensis diocesis. Ex vestris accepimus litteris, quod cum causam, que inter venerabilem fratrem nostrum, (Robertum) Vesprimiensem episcopum ex parte una et dilectos filios Strigonense capitulum ex altera, super quarumdam decimis vinearum positarum iuxta Strigonium, vertitur, experientie vestre sub certa forma duxerimus

committendam,[1] vos in ipso negotio, propter quasdam exceptiones adversus eundem episcopum ex parte capituli propositas coram vobis, quas sub vestris sigillis ad nostrum transmisistis examen, et nos sub bulla nostra vobis remittimus interclusas, procedere distulistis; volentes igitur, ut finis litibus imponatur, vobis per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus non obstantibus exceptionibus supradictis, in causa ipsa, iuxta prioris mandati nostri tenorem, ratione previa procedatis, recipientes testes et alias probationes episcopi, quibus uti voluerit; cum per narrationem eiusdem episcopi et responsionem capituli asserentis, bone memorie K(alenda), predecessorem episcopi sepedicti a questione, quam super eisdem decimis coram bone memorie J(ohanne), Strigonensi archiepiscopo adversus idem capitulum moverat, cum decimas illas sui iuris non esse recognosceret, humiliter destitisse, lis intelligi debeat contestata. Si quid autem pretextu decimarum ipsarum venerabilis frater noster Strigoniensis archiepiscopus contra ipsum episcopum proponere forte voluerit, audiatis, et auditis hinc inde propositis, causam, si de partium processerit voluntate, fine canonico terminetis; alioquin eam sufficienter instructam ad nostram audientiam remittatis, prefigentes partibus terminum competentem, quo per se, vel procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iustam dante domino sententiam recepture. Datum Laterani, septimo kalendas Junii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

(Baluze, II. 779. — Fejér. III., I. 140. — Migne. III. 865.)

XXX.

1214.

II. Endre király III. Incze pápához intézett levelében, a koronázás jogáról kibocsátott, Róbert veszprémi püspöktől meghozott, pápai okirat másolatát kéri, és említi, hogy az országból távozó kalocsai érseket a veszprémi és győri püspökök kísérték.

Sanctissimo in Christo patri I(nnocentio) Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici. A(ndreas) eadem gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerieque rex salutem et filialem devotionem. Consvevit sedes apostolica se iusta petentibus exhibere facilem, et in explendis honestis petentium desideriis non minus efficacem. Hinc est quod super negotiis nostris iustis apud

[1] Ezt a pápai iratot nem birjuk.

paternitatis vestre mansvetudinem promovendis, non immerito fiduciam nobis repromittimus . . .[1]

Deprecamur insuper paternitatem vestram, ut omnes conspiratores et infidelitatis machinatores, qui propter regni scissuram filium nostrum, nobis viventibus et nolentibus, in regem sibi preficere vel coronare attemptaverint, tam clericos quam laicos, sententia excommunicationis percutiatis. Meminerit etiam sanctitas vestra anno ante preterito[2] super iure coronationis ad ecclesiam Strigoniensem pertinentis, per venerabilem R(obertum) episcopum Vesprimiensem, nuntium nostrum, vos nobis litteras direxisse, continentes laudabile vestrum consilium et rationem efficacem, quod si coronatio ad plures pertineret, materiam discussionis et schismatis facile excitaret, dum unus unum, alius alterum in regem coronaret, quas cum quibusdam aliis, a sede apostolica nobis directis, et continentibus solam Strigoniensem ecclesiam in officiales domus regie iurisdictionem habere, in occisione felicis recordationis uxoris nostre,[3] per subreptionem amisisse; quarum continentiam, quia credimus in registro contineri, petimus a sanctitate vestra nobis rescribi . . .

Amplius quod admirari non sufficimus, et a noticia paternitatis vestre alienum fore nequaquam volumus, Colocensem archiepiscopum,[4] hominem pacis nostre, in quo sperabamus, ob cuius vehementem affectum et promotionem super alios, fere totius regni nostri maiorum et minorum odium incurrimus, quem etiam nuper a nobis licentiatum peregrinationis causa, super honorem sibi debitum, extra regnum cum comitatu duorum episcoporum, Geuriensis et Vesprimiensis conduci fecimus, pecuniam quam bone memorie uxor nostra ad opus et usum filiorum et filiarum nostrarum congesserat, . . . nobis nescientibus abstulisse et portasse. Petimus igitur a sanctitate vestra super restituendo, quod nobis iniuste ablatum est, apostolicam commonitionem premitti . . .

(Dátum nélkül átírva IV. Incze pápa 1245-ik évi bullájában, melynek eredetije a vatikáni levéltárban őriztetik. Armarium I. capsa X. num. 6. — THEINER. I. 1.)

---

[1] A levél első részében a király jelenti, hogy fiát, Kálmán herczeget, Halics rendei trónjukra meghívták; továbbá, hogy a keresztes hadjáratra készen áll.

[2] L. XXVII. szám alatt.

[3] Gertrud királyné meggyilkoltatására czéloz.

[4] Meráni Bertold kalocsai érsek.

XXXI.

1214. Május 2.

III. Incze pápa a veszprémi püspöknek, a veszprémi préposital és a fehérmegyei főespe-ressel megbízást ád, hogy az esztergomi érsek és a szent-mártoni apát között fenforgó per-ben vizsgálatot indítsanak és az ügyiratokat a szent-székhez küldjék be, a feleket is oda idézzék meg. Egyszersmind a veszprémi püspököt főpásztori kötelességeinek buzgó teljesí-tésére inti.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri (Roberto) episcopo et dilectis filiis (Thome) preposito Vesprimiensi, et — archidiacono Albensi Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia nobis conquerendo monstrarunt, quod venerabilis frater noster (Ugrinus) Strigoniensis archiepiscopus predia et homines villarum, spectantium ad capellam sancte Marie in Sala,[1] que ad eorum monasterium noscitur pertinere, decimarum pretextu ad eundem archiepiscopum non spectantium, annis singulis depredatur, in hiis et aliis ipsis iniuriosus et molestus existens, propter quod iidem ad nostram audientiam appellarunt. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis hinc inde proposita, et usque ad diffinitive sententie calculum, appellatione remota, procedentes, causam ipsam sufficienter instructam ad nostram presentiam remittatis, assignato partibus termino competenti, quo se nostro conspectui representent, iustam auctore Domino sententiam recepture. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interresse, tu ea frater episcope cum eorum altero nichilominus exequaris. Tu denique frater episcope super te ipso et credito tibi grege taliter vigilare procures, exstirpando vitia et plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo iudice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Rome apud sanctum Petrum octavo[2] nonas Maii, pontificatus nostri anno septimo decimo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 37. capsa, C. — WENZEL. I. 136.)

---

[1] Deáki, Deák-monostor Pozsony megyében.

[2] Tollhiba «sexto» helyett. A római naptárban csak hat nóna van. POTTHAST az oklevél kivonatát közölve, megjegyzi «sed legatur sexto». Regesta Romanorum pontificum. I. 429.

XXXII.

1215. Május 6.

III. Incze pápa a győri püspököt, a tihanyi apátot és a rábaközi főesperest az esztergomi érsek és a szent-mártoni apát között a deáki tizedről folyó perben birákul rendeli.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Venerabili fratri (Petro) episcopo Geuriensi et dilectis filiis — abbati de Tihon et — archidiacono de Raba Geuriensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem . . . (Urias) abbas sancti Martini de Pannonia in nostra proposuit presencia constitutus, quod cum causam, que inter monasterium suum et . . . (Johannem) Strigoniensem archiepiscopum, super quibusdam decimationibus et rebus aliis ecclesie sancte Marie de Sala, pertinentis ad monasterium ipsum, noscitur agitari, dudum . . . (Roberto) Vesprimiensi episcopo et coniudicibus suis duxerimus committendam;[1] idem archiepiscopus asserens prefatum episcopum esse vinculo excommunicationis astrictum,[2] coram eo noluit respondere. Cumque reliqui sine ipso episcopo procedere non valerent, et iam dictus archiepiscopus a molestacione ipsius ecclesie non cessaret, idem abbas nostram audienciam appellavit... Mandamus, quatinus partibus convocatis, et auditis que duxerint proponenda, causam ipsam, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis; alioquin eandem ad nos remittatis ad concilium[3] sufficienter instructam; ex parte nostra partibus iniungentes, ut tunc coram nobis compareant sententiam recepture . . . Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse; tu ea, frater episcope, cum eorum altero nichilominus exequaris. Datum Laterani, secundo nonas Maii, pontificatus nostri anno octavodecimo.

(Eredetije a szt.-mártoni főapátság levéltárában. 37. capsa, B. — WENZEL. I. 137.)

---

[1] 1214 május 2-ikán L. XXXI. szám alatt.

[2] Arra nézve, hogy Róbert püspök az egyházi kiközösítést mily módon vonta magára, a fönnmaradt emlékek tájékozást nem nyújtanak. A feloldozásról szól a XXXVII. számú pápai irat.

[3] Az 1215 november 11-ikén megnyílt IV. lateráni zsinatról van szó.

XXXIII.

1215. *Julius 28.*

III. Incze pápa a szent-mártoni apátság és a veszprémi püspök között fönforgó tized-per alkalmából szent István király alapító-levelét átírja.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis (Urie) abbati et conventui sancti Martini de Pannonia salutem et apostolicam benedictionem. Cum inter vos et venerabilem fratrem nostrum (Robertum) Vesprimiensem episcopum super decimis comitatus Sumugiensis et rebus aliis longa coram nobis controversia verteretur, vos ad iuris vestri defensionem privilegium sancti regis Stephani produxistis, quod idem episcopus multis modis nisus est inprobare, sed vobis e contrario diversis rationibus resistentibus, ipse tandem in sua intentione defecit. Ne igitur ipsi privilegio ulterius possit opponi vicium falsitatis, illud quod contradicto iudicio comperimus esse verum, de verbo ad verbum presenti pagine iussimus annotari . . .[1] Datum Ferentini V. kalendas Augusti, pontificatus nostri anno octavo decimo.

(IV. Béla király átíratában, melynek eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. — WENZEL. VI. 373. Megvan IX. Gergely pápának 1232 február 6-ikán kelt átiratában is, a vatikáni regestákban. THEINER. I. 101.)

XXXIV.

1215. *Szeptember 9.*

III. Incze pápa a Róbert veszprémi püspök és Urias szent-mártoni apát között fenforgó perben itéletet hoz.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio (Urie) abbati sancti Martini de Pannonia salutem et apostolicam benedictionem. Constitutis in presentia nostra venerabili fratre nostro (Roberto) Vesprimiensi episcopo et te fili abbas, tu, nomine monasterii tui, nostro apostolatui es conquestus, quod predictus episcopus conditionales homines, qui certa eidem episcopo servitia exhibent, eximebat a prestatione integra decimarum; quare pro tuo monasterio postu-

[1] Egész terjedelmében következik az alapító-oklevél, a szokásos megerősítő formulával.

lans, ut iam dictus episcopus parochianos de villa Fayz et Gyrky a capella de Tappei et parrochianos de predio Dominici de Megh [1] et de udvornicis regis ac de villa illorum qui regi dant Marcium, a capella de porcorum custodia non subducat; petebas, ut idem episcopus non impediat nec faciat impediri quominus omnes qui in Simigiensi comitatu consistunt, de omnibus que possident, decimas integras sibi solvant, sicut plene in privilegio felicis memorie Paschalis pape ac sancti regis Stephani continetur.

Episcopus autem e contrario postulavit, ut decimas Symigiensis comitatus, infra sue diocesis terminos consistentis, quas tu detinebas, sibi restitui faceremus, nisi aliquo speciali iure te ostenderes ipsas legitime possidere; quod si forte super eisdem decimis te privilegium aliquod tueretur, quartam fabrice deputatam ad reparandas ecclesias et decimas novalium nec non animalium sibi deberi dicebat; adiiciens quod per te debebat, cum dictum visitat comitatum, in tuis ecclesiis procurari; capellas autem in villa subulcorum et sancti Ladislai de Fizegteu sine auctoritate ac consensu episcopi diocesani constructas destrui postulabat; ecclesias vero de Keurisyg et de Tappei repetebat episcopus memoratus, proponens quod ad ipsum reconciliationes penitentium et cognitiones causarum spiritualium pertinebant.

Nos autem inspectis privilegiis ex parte tua exhibitis, et auditis que hinc inde fuere proposita coram nobis super decimis comitatus predicti, te absolvimus ab impetitione Vesprimiensis episcopi memorati; inhibentes eidem episcopo, ne suos vel alienos impediat, aut faciat impediri, quominus ipse decime Pannoniensi monasterio persolvantur; super quarta vero fabrice, decimatione novalium et animalium, et procurationibus, de utriusque partis voluntate providimus, ut pro ipsis de bonis Pannoniensis monasterii decem marce Vesprimiensi episcopo, annis singulis in kalendis Januarii exolvantur, et super hiis ab episcopo Vesprimiensis ecclesie dictum monasterium de cetero nullatenus impetatur; ita ut idem episcopus de suis diocesanis efficacius et liberius tibi iustitiam exhibeat, cum fuerit requisitus; ratione vero provisionis huiusmodi onus reficiendi ecclesias episcopo non incumbat; in articulo vero de subductione parochianorum episcopum absolventes, te super petitione destructionis de villa subulcorum et sancti Ladislai de Fizegteu [4] capellarum absolvimus, ita quod antiquis ecclesiis sua iura serventur; ceterum ecclesias de Keurisyg et de Tappei quo ad temporalia tibi adiudicantes, iurisdictionem episcopalem in eis episcopo duximus reservandam, exceptis que in compositione predicta de quarta fabrice, decimatione novalium et animalium ac procurationibus sunt deducta; reconciliationes quoque penitentium, et spiritualium causarum cognitionem episcopo adiudicavimus sepedicto, exceptis ascriptitiis monasterii memorati,

[1] Az ezen oklevélben előforduló helynevek és oklevél-vonatkozásokra nézve az 1212 márczius 3-ikán kelt pápai irathoz (XXVIII. szám alatt) csatolt jegyzetek nyújtanak tájékozást.

existentibus in parrochiis ipsarum duarum ecclesiarum . . . Datum Anagnie quinto idus Septembris, pontificatus nostri anno octavo decimo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában, 31. capsa, L. Átírva IX. Gergely pápának 1232 január 28-iki iratában. Regesta Vaticana. Volumen 15. Anni V. ep. 183. — THEINER. I. 100.)

XXXV.

1215.

A győri püspök, a pécsváradi és bakonybéli apátok, mint pápai kiküldött birák előtt, a szent-mártoni és somogyi monostorok tizedek ügyében egyességre lépnek.

Notum sit omnibus has litteras inspecturis, quod nos Jauriensis episcopus et Waradiensis et de Beel abbates iudices fuimus a domino papa delegati,[1] in causa que vertebatur inter abbatem sancti Martini . . . et abbatem et monachos Symigienses . . . super decimis prediorum, ortorum, cellariorum et populorum suorum parochianorum capelle sancti Petri et aliarum rerum, que ad Symigiense monasterium pertinebant. Has decimas abbas sancti Martini predictus, tanquam debitas monasterio suo vendicabat; cumque super hiis coram nobis aliquamdiu fuisset processum, tandem recognoscentes monachi, quod predicte decime ad ius et proprietatem monasterii sancti Martini pertinerent, iuraverunt in presencia nostra, se de cetero predictas decimas integre soluturos. Id ipsum abbas qui postmodum successit, Herveus nomine, recognovit, et promisit coram nobis, una cum monachis, et testimoniales suas litteras et conventus concesserunt abbati predicto, quarum tenor talis est:

Notum facimus . . . ego Herveus abbas sancti Egidii de Symigio et nos monachi eiusdem monasterii, constituti videlicet in presencia . . . a domino nostro papa delegatorum iudicum, pro causa que vertebatur inter abbatem et monachos sancti Martini et nos Symigienses, . . . nolentes sequi maliciam et iniquitatem Hilliberti abbatis et suorum fautorum, qui perturbabant possessiones monasterii sancti Martini de Pannonia in decimacionibus, . . . nolentes etiam contraire privilegiis sancti regis et Romanorum pontificum, . . . nos nostrosque successores obligamus ad solucionem predictarum decimarum . . . prefato monasterio faciendam . . . Actum est hoc anno dominice incarnacionis MCCXV.

Nos autem predictam recognicionem . . . firmam habentes, has litteras . . . fieri fecimus . . . Actum est hoc anno domini MCCXV.

[1] A hozzájok intézett pápai iratot nem birjuk.

(Átírva Dénes nádor 1238-ik évi itéletlevelében, mely a szent-mártoni főapátság levéltárában őriztetik. — WENZEL, XI. 131, 132. — Ugyanezen okirat hibás és hiányos másolatát közli ugyanő. I. 138.)

XXXVI.

1215—1216.

III. Incze az egri püspököt, az aradi és dömösi prépostokat megbízza, hogy a kalocsai érsek és a fehérvári prépostság között fenforgó perben biráskodjanak.

(Catapano) Episcopo Agriensi et Orodiensi et Dimisiensi prepositis, super dissensione, que est inter Albensem et Colocensem ecclesias, super iure trium villarum, que fuerant per Mich comitem ecclesie Albensi pro tribus millibus marcharum assignate.

(Ezen bulla szövege nem maradt fönn. A regesta-kötet, mely magában foglalta volt, elveszett. Csak az itt közlött rövid kivonatot őrizte meg egy XIV. századbeli jegyzék, mely a vatikáni levéltárban találtatik. Ebből tudjuk, hogy a bulla Incze uralkodásának XVIII. évében állíttatott ki. A jegyzéket kiadta: THEINER, Monumenta Slavorum meridionalium. I. 58.)

XXXVII.

1215—1216.

III. Incze Róbert veszprémi püspököt a magára vont kiközösítés büntetésének következményeitől fölmenti.[1]

(Roberto) Episcopo Vesprimiensi conceditur, quod sibi et ecclesie sue, quia archiepiscopus Strigoniensis ipsum tanquam excommunicatum vitaverit, nullum possit imposterum preiudicium generari.

(Ezen bulla szövegét sem birjuk. Kivonata a fentebb idézett jegyzékben. THEINER. Monumenta Slavorum. I. 68.)



1216.

PELÁGIUS ÉS ISTVÁN BIBORNOKOK OKIRATA.

(XXXVIII. SZÁM ALATT.)

XXXVIII.

1216. *April 11.*

III. Incze pápa megbizásából, Pelagius és István bibornokok az esztergomi érsek és a veszprémi püspök között, a királyné koronázása és joghatósági kérdések körül támadott perben egyességet hoznak létre.

Pelagius miseratione divina episcopus Albanensis et Stephanus basilice duodecim apostolorum presbyter cardinalis, universis presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad notitiam vestram volumus pervenire, quod venerabilis in Christo pater (Robertus) Vesprimiensis episcopus, olim apud sedem apostolicam constitutus, reverendum in Christo patrem (Joannem) Strigoniensem archiepiscopum per litteras apostolicas citari obtinuit,[1] sibi super coronatione et inunctione reginarum Hungarie, abbatiis et preposituris regalibus sue diocesis et aliis iniuriis responsurum; utroque igitur, termino prefixo, comparente, ad communem eorum petitionem dedit nos summus pontifex super propositis articulis cognitores.

Coram nobis itaque proposuit prefatus episcopus, presente archiepiscopo, contra eum, quod iure et possessione coronandi et inungendi reginas eundem auctoritate propria spoliasset; chrysma, oleum sanctum et alia ecclesiastica sacramenta preposituris et abbatiis regalibus,[2] intra Vesprimiensem diocesim, in ipsius preiudicium conferendo, et alia iura episcopalia usurpando, in eiusdem episcopi gravissimam lesionem.

Demum post altercationes multiplices, unanimi voluntate consensum est ab utroque, quod nos, iuxta domini pape mandatum, questiones propositas amicabili, si possemus, concordia vel iudicio sopiremus. Unde nos, fere de partium voluntate, sic duximus statuendum. Quod si rex et regina simul coronari debeant et inungi, Strigoniensis coronet et inungat regem et Vesprimiensis reginam; si vero sola regina coronari debeat et inungi, Strigoniensis inungat eam, Vesprimiensis autem coronam imponat eidem; quod si contingat Strigoniensem in coronatione regine abesse, Vesprimiensis nihilominus inungat et coronet eam. Porro Strigoniensis consuetudine qua circa prepositum et canonicos Budensis ecclesie, in confirmatione videlicet, institutione, destitutione, et causis inter ipsos emergentibus hactenus in eadem ecclesia usus est, ex permissione Vesprimiensis utatur. Si autem contingit Strigoniensem in Budensi ecclesia ordines celebrare (non ordinet) clericos

[1] Ez az idéző levél nem maradt fönn.

[2] A királyi kegyurasághoz tartozó fehérvári, budai, dömösi stb. prépostságok, a tihanyi, somogyi, zalavári stb. apátságok értetnek.

Vesprimiensis diocesis. Quod si autem crisma confecerit ibi, Budenses sacerdotes non recipiant id aut oleum infirmorum ab ipso. Pro baptisandis autem seu confirmandis pueris ville Budensis, quos constat ad Vesprimiensem diocesim pertinere; crisma, vel oleum infirmorum non recipiant ab eodem, sed a Vesprimiensi ecclesia, a cuius episcopo, et non ab alio omnes Budenses pueri confirmentur, a quo etiam presententur eisdem omnia ecclesiastica sacramenta. De Demesiensi prepositura intelligimus illud idem; et de abbatiis autem regalibus observetur sicut est hactenus observatum. Adiicimus quoque, ut abbates et monachi abbatiarum Cisterciensis ordinis, secundum eorum privilegiorum tenorem, recipiant omnia ecclesiastica sacramenta, super quod Strigoniensis nullatenus se opponat. Ceterum ecclesiam de Segesd[1] idem Strigoniensis Vesprimiensi dimittat in pace. Denique omnia suprascripta, salvo Romane ecclesie iure, quod in abbatiis et preposituris regalibus se dicit habere, ex domini pape mandato sententialiter precipimus observari. Ad huius itaque sententie perpetuam firmitatem presentem paginam sigillis nostris fecimus communiri: Datum Laterani kalendas Aprilis, pontificatus Innocentii pape tertii anno nono decimo.

(Eredetije, mely helyenként olvashatatlan, a veszprémi káptalan levéltárában. Capsa 107. n. 1. — FEJÉR. VII., V. 555.)

XXXIX.

1216. April 20.

III. Incze pápa a győri püspököt, a nyitrai főesperest és a fehérvári prépostot megbízza, hogy a somogymegyei tizedek tárgyában, a szent-mártoni monostor és a János-lovagok közt fenforgó perben a tanúkat hallgassák ki.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Petro) episcopo Jauriensi et dilectis filiis — archidiacono Nitriensi et — scolastico Albensi Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilectis filiis (Urie) abbati sancti Martini de Pannonia et B. procuratori Jerosolimitani hospitalis in Ungaria, in nostra presentia constitutis, dilectum filium nostrum L(eonem) tituli sancte crucis presbiterum cardinalem dedimus auditorem, coram quo proposuit dictus abbas, quod decime de omnibus villis et possessionibus, quas habet hospitale in comitatu Simigiensi, ad eius noscuntur monasterium pertinere, sicut apparet ex ipsis

[1] A segesdi főesperesség székhelye. Ma Felső-Següsd

privilegiis evidenter et confirmationibus pontificum Romanorum: prefati hospitalarii quasdam earum temere invadentes, illarum fructus iam diu indebite perceperunt, in eius monasterii lesionem; unde humiliter postulavit, ut decimas ipsas, cum fructibus inde perceptis, sibi restitui faceremus. Procurator vero dicti hospitalis ex adverso respondens, privilegiis ipsis, tanquam annosis, esse per desvetudinem derogatum, utpote quibus dictum monasterium minime usum fuit, hospitali predictum asseruit decimas ipsas per annos quadraginta et amplius pacifice possedisse, et ita esse prescriptione munitum, quam se in partibus illis obtulerat probaturum, ac reprobaturum nichilominus testes a monasterii parte productos, per quos probatum dicebant monasterium ipsum viginti annis ante mortem regis Bele et tribus annis post mortem eiusdem [1] circa prefatas decimas dictis privilegiis esse usum, et hospitalarios ipsos predictum abbatem tempore regis Aimerici [2] a quibusdam ex illis de quibus agitur, per violentiam eiecisse, ac eosdem hospitalarios a septem annis duntaxat percepisse decimas ex quibusdam aliis ex villis eisdem, et hoc etiam violenter, et nonnisi triginta trium annorum spatium effluxisse ex quo dicti hospitalarii decimas ipsas percipere inceperunt; ex quibus infertur ex parte monasterii memorati frivolum esse quod super derogatione privilegiorum et decimarum prescriptione pars asserit adversa; presertim cum etiam si verum esset quod de quadragenaria possessione proponit, ad prescriptionem tamen nequiverit profecisse, cum nec iustum habuerit titulum, nec etiam possederit bona fide.

Cum igitur constet decimas ipsas ab antiquo fuisse concessas monasterio memorato, ac sibi esse per plures Romanos pontifices confirmatas, de procuratorum utriusque partis assensu, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus nisi hospitalarii sepedicti prefatos testes infra quatuor menses legitime reprobaverint coram vobis, et prescriptionem cum bona fide probaverint, eosdem ad restitutionem decimarum ipsarum, auctoritate nostra sub apostolica deffinitione condempnetis, perpetuum super hoc ipsis hospitalariis silentium imponentes. Nullis litteris obstantibus, preter assensum partium a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Viterbii duodecimo kalendas Maii anno decimo nono.

(Regesta Vaticana Volumen 9. f. 160. t. És eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 36. capsa, D. — Fejér. III., X. 228. — Theiner. I. 8. — Wenzel. VI. 377.

---

[1] III. Béla 1173—1196.
[2] Imre 1199—1204.

XL.

1216. Május 14.

III. Incze pápa a győri és veszprémi püspököket, a fehérmegyei főesperessel, megbízza, hogy a szent-mártoni apátság és az esztergomi érsek között fenforgó tized-ügyben ítéljenek.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus (Petro) Jauriensi et (Roberto) Vesprimiensi episcopis et dilecto filio — archidiacono Albensi Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum (Urie) abbatis et conventus monasterii sancti Martini de Pannonia recepimus questionem, quod venerabilis frater noster Strigoniensis archiepiscopus de quibusdam villis eorum, Sala videlicet et Wac, decimas sibi vendicare nititur minus iuste, occasione quarum boves et res alias hominibus predictarum villarum in eorum preiudicium auferendo. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus coram vobis citatis, causam, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Tuderti[1] secundo idus Maii pontificatus nostri anno decimo nono.[2]

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. — WENZEL. I. 136.)

XLI.

1216—1217.

Róbert veszprémi püspök III. Honorius pápához folyamodik, hogy a szerzetesektől elhagyott egyik kolostornak a német lovagrend javára történt adományozását hagyja helyben.

Reverendo in Christo patri ac domino H(onorio), Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, (Robertus) Vesprimiensis ecclesie humilis minister omnimodam reverentiam, obedientiam et orationes in domino. Noverit vestra

[1] Todi, Perugia vidékén.

[2] A WENZELnél közölt szövegben hibásan áll «anno XII». Ugyanis III. Incze uralkodásának csak XIX. évében időzött Todiban. L. POTTHAST. I. 322.

paternitas, quod monasterium de insula, situm in mea diocesi, fratres hospitalis sancte Marie de domo Teuthonicorum, ex donatione domini regis, adierunt tunc cum nulla in eodem monasterio vigebat religio, qui enim pridem in eo fuerant monachi, recesserant universi, et monasterium remanserat quasi penitus desolatum, ac sicut pro certo cognovi, Deo a fratribus eisdem in eodem monasterio cum magna instantia et honestate servitur; unde ego assensum prebeo ac supplico vestre paternitati, quatinus provisionem ac concessionem monasterii predicti factam a rege fratribus eisdem, dignemini apostolica auctoritate approbare ac confirmare, et statuere in perpetuum observandam.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. anni I. ep. 108. — THEINER. I. 4.)

XLII.

1217. Január 25.

III. Honorius pápa a kalocsai érseket és a veszprémi püspököt megbízza, hogy a II. Endre királytól megjelölendő öt vagy hat főurat, kikre távolléte alatt fiát és az országot bízni akarja, a keresztes fogadalomtól oldozzák föl.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Bertoldo) archiepiscopo Colocensi et (Roberto) Vesprimiensi episcopo salutem etc. . . . Andreas rex Ungarie illustris . . . supplicavit, ut cum ipse se ad exequendum votum peregrinationis accinxerit in subsidium terre sancte, aliquos de crucesignatis regni sui, quos idem elegerit, ut eis tutelam filiorum suorum et custodiam eiusdem regni comittat, ab huiusmodi voto absolvere dignaremur . . . Mandamus, quatinus quinque vel sex de crucesignatis, quos ipse duxerit eligendos, dummodo ipse rex votum exequatur peregrinationis, . . . a voto huiusmodi absolvatis . . . Datum Laterani quinto kalendas Martii pontificatus nostri anno primo.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. anni I. ep. 281. — THEINER. I. 5.)

XLIII.

1217. *Julius 28.*

III. Honorius pápa a fehérvári káptalantól, II. Endre király hozzájárulásával megválasztott prépostot megerősíti.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio C(orardo) Albensi preposito salutem etc. Electio per dilectos filios capitulum Albensis ecclesie, karissimi in Christo filii nostri A(ndree) illustris regis Uugarie, tanquam patroni, accedente assensu, de tua celebrata persona, per ipsius capituli et eiusdem regis litteras et nuntium speciales extitit presentata, supplicato, ut eandem per confirmationis gratiam admittere dignaremur. Nos autem eorum iustis postulationibus grato concurrentes assensu, electionem ipsam, sicut est canonice celebrata, auctoritate apostolica confirmamus . . . Datum Ferentini[1] . . . anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. anni II. ep. 535. — THEINER. I. 7.)

XLIV.

1217. *Augusztus 27.*

III. Honorius pápa a nyitrai főesperest es a fehérvári iskolás kanonokot, a szent-mártoni monostor és a János-lovagok között fennforgó perben, birákul rendeli.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis — archidiacono Nitriensi et — scolastico Albensi Vesprimiensis diocesis salutem etc. Litteras bone memorie (Innocentii) pape predecessoris nostri nobis in hunc modum accepimus presentatas . . .[2]

Ne igitur ob dicti predecessoris nostri obitum processus ipsius negotii retardetur, . . . mandamus, quatenus non obstante absentia episcopi supradicti,[3] qui, sicut accepimus iam iter arripuit in subsidium terre sancte, vos duo in causa ipsa . . . ratione previa procedatis. Datum Ferentini sexto kalendas Septembris anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. Anni II. ep. 666. — THEINER. I. 8.)

---

[1] A nap és hónap ki van hagyva. III. Honorius pápa Ferentinóban uralkodásának második évében julius 24 és szeptember 30-dika között időzött. — Pressuttii (Regesta Honorii papæ III. Roma. 1888. — I. 119. a megjelölt napra helyezi a bullát.

[2] III. Incze pápa 1216 april 20-dikán kelt bullája XXXIX. szám alatt.

[3] T. i. Jauriensis. Ugyanis III. Incze a megbízást a győri püspöknek, a nyitrai főesperesnek és a fehérvári iskolás-kanonoknak együtt adta.

XLV.

1218. Január 22.

III. Honorius pápa a lébenyi apátot, a győri főesperest és a győri éneklő kanonokot, a szent-mártoni és a pilisi monostorok között tizedek tárgyában fenforgó perben birákul rendeli.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati de Libin Geuriensis diocesis — archidiacono et — cantori Geuriensi salutem et apostolicam benedictionem . . . (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia sua nobis petitione monstrarunt, quod cum . . . (Innocentius) papa . . . causam, que inter ipsos ex parte una, et — abbatem ac monasterium de Pilis . . . ex altera, super quibusdam decimis et aliis rebus vertitur, . . . (Petro) episcopo Geuriensi et eius collegis commiserit terminandam,[1] tum propter mandatoris mortem, tum quia prefatus episcopus transfretasse dicitur in subsidium terre sancte, . . . causa ipsa remansit hactenus indecisa . . . Mandamus, quatinus si est ita, vos in eodem negocio, iuxta precedens predecessoris nostri mandatum, appellatione remota, ratione previa procedatis. Quod si non omnes . . . duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani undecimo kalendas Februarii pontificatus nostri anno secundo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 39. capsa, W. — WENZEL. I. 150. tévesen január 27-ikéről keltezve.)

XLVI.

1218. Február 1.

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt fölhívja, hogy a sérelmeket, a miket tőle a szent-mártoni monostor szenvedett, orvosolja, és a somogymegyei tizedek behajtásában a monostort támogassa.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum monasteria et alia loca religiosa ex officio tuo debeas favorabiliter confovere, non sine causa miramur quod, sicut dilecti filii prior et conventus sancti Martini de Pannonia transmissa nobis conquestione monstrarunt, tu, postquam abbas eorum iter arripuit ad subsidium terre sancte, ipsos et ecclesias eorum in tua parochia[2] positas, indebitis ex-

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.
[2] Parochia alatt egyházmegye értetik.

actionibus aggravas et molestas, ac alias ipsos indebite persequeris; (et) cum olim tibi fuisset iniunctum,[1] ut parrochianos suos de comitatu Simigiensi compelleres ad decimas sibi solvendas, tu id efficere noluisti, licet ipsi super hoc te requisierint humiliter et devote. Ut igitur salubriter conscientie tue consulas et honori, fraternitatem tuam monemus attente, per apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus ab eorum et ecclesiarum suarum gravaminibus omnino desistens, parrochianos illos, ut decimas debitas ipsis exolvant, iuxta quod tibi a sede apostolica est iniunctum, compellere non omittas. Alioquin dilectis filiis . . . de Waradino . . . de Sacsard et . . . de Cicador abbatibus Quinqueecclesiensis diocesis nostris damus litteris in mandatis, ut partibus convocatis audiant causam et appellatione remota debito fine decidant, facientes quod decreverint per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani kalendas Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 32. capsa, D. — WENZEL. I. 154.)

XLVII.

1218. Márczius 3.

III. Honorius pápa Róbert veszprémi püspököt Rómába idézi, mivel a szent-mártoni monostor perjele és szerzetesei a III. Incze pápától, a veszprémi püspök és a szent-mártoni apát között létrehozott egyesség megsemmisítéséért folyamodtak.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem etc. Dilecti filii prior et conventus sancti Martini de Pannonia multa nobis instantia supplicarunt, ut cum compositionem, mediante felicis memorie I(nnocentio) papa predecessore nostro factam[2] inter te et ipsorum abbatem, nec unquam receperint, nec ullo tempore sint recepturi, eo quod ipsorum monasterium liberum et exemptum per eam ancillari videtur, cum contineatur in illa, ut tibi ac successoribus tuis annuatim prestet quandam pecunie quantitatem, quibusdam aliis in eadem expressis, per que ipsius monasterii privilegio derogatur: ipsam revocare vel revocandam committere dignaremur. Licet igitur eorum precibus acquiescere noluerimus te absente, ad multam tamen ipsorum et aliorum instantiam, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus usque ad festum omnium sanctorum proximum, cum ipsa compositione personaliter, aut per procuratorem sufficientem

[1] Ez a pápai rendelet nem maradt reánk.
[2] Az 1215 szeptember 9-dikén hozott itéletet érti. — L. XXXIV. szám alatt.

et idoneum apostolico te conspectui representes, recepturus quod super hoc duxerimus providendum. Datum Laterani quinto nonas Martii anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. Anni II. ep. 924. — THEINER. I. 11.)

XLVIII.

1218. *Márczius 20.*

III. Honorius pápa a szent-gotthardi apátnak, a győri és vasvári prépostokkal, megbízást ád, hogy a szent-mártoni apát es a fehérvári őrkanonok között fenforgó perben biráskodjanak.

Honorius episcopus etc. — abbati sancti Gothardi Geuriensis diocesis et — Geuriensi et — de Ferreo castro Geuriensis diocesis prepositis . . . Coram dilecto filio nostro magistro Gran capellano nostro, quem H. monacho et procuratori monasterii sancti Martini in Pannonia dedimus auditorem, idem proposuit procurator, quod cum felicis memorie I(nnocentius) papa predecessor noster causam que inter ipsum monasterium et custodem Albensem Vesprimiensis diocesis, super decimis quorundam prediorum et rebus aliis in Simugiensi comitatu constitutis, noscitur agitari, primo venerabili fratri nostro (Roberto) Vesprimiensi episcopo et eius collegis,[1] ac deinde venerabili fratri nostro (Petro) Geuriensi et suis coniudicibus commisisset,[2] mandans eisdem, ut causam ipsam ad apostolicam sedem remitterent sufficienter instructam tempore concilii generalis; predicto custode declinante iudicium ac monasterium ipsum suo iure per violentiam spoliante, procuratores abbatis eiusdem loci (contra) dictum custodem ad sedem apostolicam appellarunt, tempus ipsius concilii appellationi sue terminum prefigentes, ad quem idem custos nec venire curavit, nec sufficientem mittere responsalem. Unde ad prefati abbatis instantiam, qui non sine gravibus laboribus et expensis apud sedem apostolicam diutius expectarat, idem predecessor noster — abbati de Ticon et collegis ipsius dederit litteris in mandatis,[3] ut prefatum custodem in expensis legitimis condemnantes, in causa ipsa procederent, et eam deciderent, si esset de partium voluntate, alioquin eandem ad apostolicam sedem remitterent sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo propter hoc apostolico conspectui se presentarent. Sepe dicto ergo custode respondente coram iudicibus ipsis, quod licet predia quorum petebat decimas dictus abbas aliquando revera sua fecisset, ea tamen ecclesie Albensi contulerat, longe antequam super hoc sibi ab ipso abbate questio mota esset; unde

[1] [2] [3] Ezek a pápai iratok nem maradtak fönn.

nequaquam ipse super his conveniri debebat, sed ipsa ecclesia que dicta predia possedisset, licet tunc provisioni dicti custodis eadem commisisset. Abbate vero e contrario asserente, quod dictus custos, postquam ad eum dicta predia devenerunt, ipsum abbatem non Albensis ecclesie nomine, imo suo, prohibuit a perceptione solita decimarum. Tandem capitulum ipsius ecclesie predia eadem ad se pertinere affirmans, prefatis iudicibus, ne in causa ipsa in preiudicium eius procederent inhibuit appellando. Propter quod iudices, de voluntate partium, causam ipsam ad examen apostolicum remiserunt, nonas Januarias proxime preteritas terminum assignantes, ad quem nullus venit pro iam dictis capitulo vel custode, procuratore ipsius monasterii diutius expectante. Ne igitur dictus custos de sua tergiversationis contumacia ulterius glorietur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem custodem condemnantes in expensis legitimis, ad solutionem illarum, appellatione remota, per censuras ecclesiasticas compellatis; audiatis deinde que monasterium ipsum pro parte sua, et que custos et capitulum antedicti pro se duxerint proponenda; et in causa usque ad diffinitivam sententiam procedentes, illam, si partes consenserint, fine debito terminetis, alioquin eandem ad nos remittatis sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos compareant coram nobis sententiam recepture. Quod si non omnes . . . duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani decimo tertio kalendas Aprilis pontificatus nostri anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. Anni II. ep. 935. — FEJÉR. III., I. 259.)

XLIX.

1218. Május 15.

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt, a zirczi és pilisi apátokat megbízza, hogy a bevádolt váczi püspök ellen vizsgálatot indítsanak és őt Rómába idézzék.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Vesprimiensi et dilectis filiis — de Bokam et — de Pilis abbatibus Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Sane dilecti filii E. et B. archidiaconi ecclesie Waciensis, pro se ac capitulo eiusdem ecclesie, in nostra proposuerunt presentia constituti, quod eorum episcopus . . . in alienando, distrahendo ac dilapidando possessiones et reditus ecclesie supradicte prestitum transgreditur iuramentum; . . . clericos quoque Wacienses terris . . . et rebus aliis per violentiam spoliat, excommunicationis vinculo . . . astringit, ac quosdam ex eis per incompositam familiam . . . sic fecit inhoneste tractari, quod quidam illorum, rebus omnibus spoliati, ex inflictis vulneribus perierint . . . Volentes igitur descendere ac videre, an dictus episcopus facto compleverit que dicuntur, . . .

mandamus, quatenus ad Waciensem ecclesiam personaliter accedentes, . . . inquiratis . . . veritatem, et que inveneritis, fideliter redigentes in scriptis, . . . ad nostram presentiam transmittatis, prefigendo dicto episcopo terminum competentem, quo per se, vel per procuratorem idoneum, nostro se conspectui representet . . . Datum Rome apud sanctum Petrum idibus Maii, anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen 9. Anni II. ep. 1189. — THEINER. I. 13.)

L.

1218. November 23.

III. Honorius pápa az esztergomi és győri prépostokat és a győri főesperest megbízza, hogy a szent-mártoni monostor és a veszprémmegyei Nagyhalom-Besenyő lakói közt fenforgó tized-ügyet intézzék el.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — Strigoniensi et — Jauriensi prepositis et — archidiacono Jauriensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte . . . (Urie) abbatis et conventus sancti Martini de Pannonia nobis est oblata querela, quod populus Bissenorum de villa Nogholm [1] Vesprimiensis diocesis, decimas vini, ad eos de iure spectantes . . . detinent et reddere contradicunt . . . Mandamus, quatinus, partibus convocatis, audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis . . . Quod si non omnes . . . duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani nono kalendas Decembris pontificatus nostri anno tercio.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 34. capsa, X. — WENZEL. I. 160.)

LI.

1219. Október 29.

III. Honorius pápa a váradi püspököt és a fehérvári prépostot megbízza, hogy a csanádi püspöknek a vitubui monostor iránt tett intézkedése felől jelentést tegyenek.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Simeoni) episcopo Waradiensi et preposito Albensi salutem etc. . . . Exhibite nobis . . . (Desiderii) Cenadiensis episcopi littere continebant, quod cum idem reperisset in sue promotionis initio in

[1] Nagyhalom.

Cenadiensi diocesi ecclesiam de Withubu, nigrorum ordinis monachorum, in spiritualibus et temporalibus destitutam, et eius abbatem et monachos observantia regulari reiecta, . . . iidem abbas et monachi de ipsa ecclesia . . . recesserunt; cumque dicta remansisset ecclesia et personis vacua et facultatibus spoliata, . . . seculares canonicos in eadem instituit . . . Cum autem . . . dictus episcopus prefatis canonicis . . . quasdam ecclesias et decimas pia liberalitate donavit, nobis in litteris supplicabatur eisdem, ut approbare quod ab eodem episcopo . . . est factum . . . dignaremur . . . Quo circa . . . mandamus, quatenus inquirentes super hiis sollicite veritatem, et an per eosdem prepositum et canonicos eidem ecclesie salubriter sit provisum, quod inveneritis . . . fideliter intimetis. Datum Viterbii quarto kalendas Novembris pontificatus nostri anno quarto.

(Regesta Vaticana. Volumen 10. Anni IV. ep. 581. — THEINER. I. 22.)

LII.

1220. *Julius 6.*

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt, az ő előterjesztése alapján a keresztes hadjárat elhalasztása tárgyában teendő intézkedésekre teljes hatalommal ruházza föl.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . (Roberto) Vesprimiensi episcopo etc. Ex parte tua fuit nostris auribus intimatum, quod cum olim tibi nostris dederimus litteris in mandatis,[1] ut eos qui crucis fuerint caractere insigniti, moneres, et precipiendo per censuras ecclesiasticas compelleres, ut exequerentur in instanti passagio vota sua, tu eos iuxta mandatum apostolicum ad id efficaciter monuisti; verum cum quidam crucem, et quamplures ex ipsis non solum crucem, sed et cum ipsa deposuissent animum transfretandi, et ad iter necessaria nunc minime habeant parata, licet crucem resumpserint, in instanti tamen passagio nequeant proficisci, unde a te humiliter supplicabant, ut pro eis nobis supplicare deberes, quod ipsorum transitus usque ad commune passagium Ungarorum, videlicet a pascha proximo venturo in annum, de benignitate sedis apostolice differatur. Preterea nobis insinuare curasti, quod quidam cruce signati et signandi etiam inter cetera confitentur, se in canonem incidisse sententie promulgate, qui propter incommoda paupertatis asserunt se dupplicem non posse sustinere laborem, veniendi scilicet ad sedem apostolicam pro absolutionis beneficio obtinendo et proficiscendi in subsidium terre sancte. Adiecisti etiam, quod cum fuerit in concilio generali statutum,

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

ut qui, in vicesima sua in terre sancte subsidium destinanda, fraudem scienter committerent, excommunicationem incurrerent eo ipso, in Ungaria multi sacerdotes parrochiales ac alii quidam per fraudem, quidam etiam per negligentiam hujusmodi sententiam incurrerent; unde cum quidam ex ipsis parati solvere quod negarant, petant beneficium absolutionis instanter, humiliter postulabas, ut super premissis providere tibi misericorditer dignaremur. Nos igitur, de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, vices nostras in hac parte tibi duximus committendas, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus super his que ad prorogationem passagii pertinent memorati, statuas quod cruce signatorum saluti et terre sancte succursui videris expedire; proviso prudenter, ut in presenti negotio sic te habeas circumspecte, quod a Deo vel hominibus propter hoc non valeas reprehendi; quin potius una cum venerabili fratre nostro (Ugrino) Colocensi archiepiscopo modis quibus poteris studeas laborare, ut ad pascha proxime venturum, vel ad sequens festum nativitatis beati Joannis baptiste passagii terminus restringatur. Iniectoribus vero violentarum manuum supradictis, nisi excessus ipsorum essent adeo difficiles et enormes, quod merito forent propter hoc ad sedem apostolicam destinandi, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendas, et iniungas eis quod talibus consvevit iniungi; ita tamen quod prius passis iniuriam satisfaciant competenter; detentoribus autem vicesime supradicte, dummodo eam cum integritate persolvant, in subsidium terre sancte destinandam, munus absolutionis impendas. Datum apud Urbemveterem secundo nonas Julii anno quarto.

(Regesta Vaticana. Volumen 10. Anni IV. ep. 809. — THEINER. I. 24.)

LIII.

1220. Julius 29.

III. Honorius pápa a spalatoi káptalant értesíti, hogy az érsek-választás megvizsgálását és megerősítését Róbert veszprémi püspökre bízta.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis capitulo Spalatensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet in dilectum filium (Guncellum) fratrem hospitalis sancti regis Stephani de ordine cruciferorum, ecclesia vestra viduata pastore, contuleritis vota vestra, et electiones fratrum huiusmodi sedes apostolica non admittat, ac electio facta de eodem fratre contra formam fuerit concilii generalis attemptata; quia tamen sex electis ad ipsam, nullus illorum propter nimiam paupertatem eiusdem, suscipere voluit eius curam; devotioni vestre voluimus esse notum, quod hanc electionem septimam duximus tolerandam, si industria huius electi ecclesie videatur eidem, sicut intelleximus, expedire. Unde quia venerabilem fratrem

nostrum episcopum Vesprimiensem virum novimus circumspectum, de quo indubitatam fiduciam obtinemus, et ipse de idoneitate persone fratris eiusdem notitiam habere poterit pleniorem; eidem episcopo dedimus in mandatis,[1] ut iniungens vobis quod aliquos vestrum ad suam presentiam dirigatis, qui omnium vices gerant, si viderit, solum Deum habentes pre oculis, quod per iam dictum fratrem eidem ecclesie utiliter consulatur, electionem factam de ipsa confirmet, et ei postmodum, cum ecclesie vestre velimus parcere laboribus et expensis, munus consecrationis impendat; quod si personam ipsius minus idoneam esse constiterit, idem episcopus, eius electione cassata, cum ipsorum qui ad eum venerint consilio, alium ecclesie prefate preficiat, qui tanto congruat oneri et honori, pastorem.[2] Datum apud Urbem veterem quarto kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

(Farlati. Illyricum sacrum. III. 247. — Fejér. III., I. 292.)

LIV.

1220. Augusztus 25.

III. Honorius pápa Bertalan pécsi püspököt értesíti, hogy őt, mivel a kánonokban megállapított kellékeket nélkülözi, a főpapi teendőktől, az esztergomi érseket pedig mivel az ő megválasztatását megerősítette, az érseki jövedelmek élvezésétől egy időre eltiltja, és ezen jövedelmeknek az esztergomi egyház javára fölhasználását a veszprémi és egri püspökökre bízza.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Bartholomeo) episcopo Quinqueecclesiensi salutem etc. Intellecto te in duobus pati defectum, scientia scilicet et etate, mandamus super etate diligenter inquiri, et si te constiterit electionis tue tempore etatis legitime non fuisse, quicquid de te factum est volumus irritari. Ceterum cum inventus sis sufficientem non habere scientiam litterarum, te in spiritualibus a pontificalium executione suspendimus, usque ad nostre beneplacitum voluntatis; ut si de legitima etate docueris, et studio subsequente suppleveris quem pateris in litteratura defectum, tibi gratiam . . . faciamus. Ad hoc . . . Strigoniensem archiepiscopum, qui ad confirmationem et consecrationem tuam contra gene-

[1] A püspökhöz intézett levelet nem birjuk. De fönnmaradt a püspök jelentésére 1221 december 4-ikén adott pápai válasz LXIV. szám alatt.

[2] Guncellus érsek megválasztatása, a választás megerősítése és Guncellusnak Róbert veszprémi püspöktől való fölszentelése felől kortársuk, Tamás spalatói főesperes, az ő történeti munkájában (Historia Salonitana) érdekes részleteket jegyzett föl. (Schwandtner. Scriptores rerum Hungaricarum. III. 575.)

ralis concilii statuta, eiusdem concilii animadversione punimus, videlicet ut, non solum confirmandi primum successorem tuum careat potestate, verum etiam a perceptione (fructuum) proprii beneficii sit suspensus, donec, si equum fuerit, indulgentiam mereatur; ipsius beneficii fructibus interim in aliquam evidentem utilitatem Strigoniensis ecclesie, de venerabilium fratrum nostrorum (Roberti) Vesprimiensis et (Thome) Agriensis episcoporum conscientia et consilio convertendis . . . Datum apud Urbemveterem octavo kalendas Septembris anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 52. — THEINER. I. 25.)

LV.

1220. Augusztus 25.

III. Honorius pápa a veszprémi és egri püspököket megbízza, hogy az esztergomi érsek és a pécsi püspök ellen hozott pápai ítéletet hirdessék ki és hajtsák végre.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Roberto) Vesprimiensi et (Thome) Agriensi episcopis salutem etc . . .[1] Vobis mandamus, quatenus hec (in) Strigoniensi et Quinqueecclesiensi ecclesiis publicantes, et quatenus ad ipsum archiepiscopum pertinet, facientes per censuram ecclesiasticam, apellatione remota, firmiter observari, iniungatis capitulis, clero et universis subditis Quinqueecclesiensis ecclesie, ut procuratoribus quos idem episcopus in spiritualibus, de conniventia nostra, providit, et sibi ac illis quos procuratores in temporalibus duxerit providendos, intendentes humiliter et devote, de iustitiis episcopalibus eis curent sine difficultate qualibet respondere. Datum[2] apud Urbemveterem octavo kalendas Septembris anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 53. — THEINER. I. 25.)

---

[1] A regesta-kötetben a megelőző szám alatt közlött bulla után ez áll: «In eodem fere modo scriptum est Vesprimiensi et Agriensi episcopis. Intellecto etc. ut supra usque in finem». Sajnos, ezen utalás daczára ennek a levélnek szövegét nem reconstruálhatjuk. A két püspöknek adot megbízás természete iránt a megelőző szám alatt közlött pápai irat kellő tájékozást nyújt.

[2] A regesta-kötetben ez áll: «Datum ut supra».

LVI.

1220. Deczember 5.

III. Honorius pápa a salzburgi érseket, a seckaui és veszprémi püspököket megbízza, hogy Endre királyt a Konstanczia özvegy királynétól elvett birtokok visszaadására késztessék.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Eberhardo) archiepiscopo Salzeburgensi et (Karolo) Sechowensi et (Roberto) Vesprimiensi episcopis salutem etc. . . . Constantia Romanorum imperatrix[2], . . monstravit, quod cum clare memorie (Emericus) rex Ungarie ipsam ducens legitime in uxorem, duos comitatus ei nomine dotalicii assignasset, ita quod si superviveret regi, quamdiu vellet in Ungaria remanere, ipsos . . . retineret, vel si remanere nollet ibidem, duodecim millia marcarum sibi pro dotalicio solverentur, processu temporis . . . regnum exivit, sed . . , (Andreas) Ungarie rex illustris dicta duodecim millia marcarum . . . solvere denegat . . . Serenitatem suam monemus . . . ut . . . eidem imperatrici . . . satisfacere studeat . . . Mandamus, quatenus si dictus rex[1] monitionem nostram neglexerit adimplere, vos eum ad id, districtione qua convenit, appellatione remota, veritate agnita, compellatis. Datum Laterani nonis Decembris, pontificatus nostri anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep 220. — THEINER. I. 25.)

LVII.

1220. Deczember 5.

III. Honorius pápa a salzburgi érseket, a seckaui és veszprémi püspököket megbízza, hogy Endre királyt Konstanczia özvegy királyné lefoglalt pénzének és kincseinek visszaadására birják.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Eberhardo) archiepiscopo Salzeburgensi et (Karolo) Sechowensi et (Roberto) Vesprimiensi episcopis salutem etc. . . . Sane . . . Constantia Romanorum imperatrix . . . monstravit, quod cum olim quasi capta in Ungaria remansisset, . . . (Andreas) Ungarie rex illustris pecuniam et

---

[1] Konstanczia aragoniai herczegnő, Imre király özvegye II. Fridrik siciliai királylyal, a későbbi császárral lépett második házasságra.

[2] A regesta-kötetben ezen szó után ez áll: «etc. ut supra usque in finem».

res alias pretiosas, usque ad valentiam triginta millium marcharum, quas in domo hospitalis Jerosolimitani apud Strigonium deposuerat . . . per violentiam occupavit . . . Serenitatem suam monemus, . . . ut super hoc eidem imperatrici . . . satisfaciat . . . Mandamus, quatenus si dictus rex monitionem nostram neglexerit adimplere, vos eum ad id, disctrictione qua convenit, appellatione remota, veritate agnita compellatis . . . Datum Laterani nonis Decembris pontificatus nostri anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 221. — THEINER. I. 26.)

LVIII.

1220. Decz̨ember 18.

III. Honorius pápa a veszprémi püspök kérésére megerősíti az 1216. april 11-ikén, a királyné koronázása és joghatósági kérdések tárgyában az esztergomi érsekkel kötött egyességet.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) Vesprimiensi episcopo salutem etc. Ea que concordia vel judicio terminantur, firma debent et illibata consistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut diffinitivam sententiam, quam venerabilis frater noster P(elagius) Albanensis episcopus apostolice sedis legatus, et dilectus filius (Stephanus) sancte basilice duodecim apostolorum presbyter cardinalis, quos bone memorie I(nnocentius) papa predecessor noster tibi et venerabili fratri nostro (Johanni) Strigoniensi archiepiscopo concesserat auditores, super jure coronationis et inunctionis reginarum Ungarie, abbatiis et prepositurs regalibus Vesprimiensis diocesis, et rebus aliis pro te contra eundem archiepiscopum rationabiliter promulgarunt,[1] apostolico munimine dignaremur roborare. Nos igitur tuis justis precibus inclinati, sententiam ipsam justitia exigente prolatam, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani quinto decimo kalendas Januarii anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 375. — THEINER. I. 27. Eredetije, pecsét nélkül, az országos levéltárban. Diplom. L. 3115. szám.)

[1] A XXXVIII. szám alatt.

LIX.

1221. *Január* 2.

III. Honorius pápa a zirczi apátot, az esztergomi és győri prépostokat, a szent-mártoni monostor és a zágrábi püspök és káptalan között fenforgó tized-perben birákul rendeli.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati de Cyrc in Bokan Vesprimiensis diocesis et — Strigoniensi et (Bulch) Geuriensi prepositis salutem et apostolicam benedictionem. Olim inter (Uriam) abbatem et conventum sancti Martini de Pannonia ex parte una, et (Stephanum) episcopum et canonicos Zagrabienses ex altera super decimis quarundam possessionum . . . in comitatu Simigiensi existentium, questione suborta, tandem post multas commissiones ab eodem abbate super hiis a bone memorie I(nnocentio) papa . . . impetratis . . . (Petro) Geuriensi episcopo et coniudicibus suis . . . dedit idem predecessor noster . . . in mandatis,[1] ut . . . causam ipsam sufficienter instructam ad concilium remitterent generale.[2] quorum pars Zagrabiensis, maliciose declinans examen, recessit contumaciter ab eisdem . . . Demum memorato abbate ac procuratore partis adverse, in G. . . . capellani dicti predecessoris nostri presentia constitutis, idem abbas . . . ab episcopo et canonicis memoratis decimas . . . partis comitatus Simigiensis . . . que est ultra fluvium Dravam . . . nec non decimationes capellarum sancti Barnabe, sancte crucis et sancte trinitatis, ex parte castri Simigiensis, in diocesi Vesprimiensi existentium, . . . cum expensis quas . . . fecerant ac facturi essent . . . sibi restitui postulavit . . . Sepefatus predecessor noster . . . (Jacobo) Waciensi episcopo et collegis suis causam eandem commisit fine debito terminandam. Verum cum iudices nominati, tum propter ipsius obitum mandatoris, tum propter alias causas multiplices, in negotio minime procederent memorato, nos . . . (Bartholomeo) preposito et S. Vesprimiensi et — Albensi Vesprimiensis diocesis archidiaconis, nostris dedimus litteris in mandatis,[3] ut super hoc . . . procedere procurarent; qui . . . in pso negotio variis de causis minime procedentes, ipsum . . . ad sedem apostolicam remiserunt. Procuratore igitur abbatis iam dicti ac . . . magistro Ambrosio archidiacono Vesprimiensi, nuntio partis adverse, . . . in nostra presentia constitutis . . . E(gidium), sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem eis concessimus auditorem, cui cum de cause meritis per ipsos non potuerit fieri plena fides, nos causam ipsam vobis duximus committendam, . . . mandantes, quatinus . . . causam

[1] Ezek a pápai iratok nem maradtak fönn.
[2] A III. Incze pápától 1215 november 11-ikén megnyitott lateráni zsinatot érti.
[3] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

ipsam, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis, . . . alioquin eam sufficienter instructam . . . ad nostram presentiam remittatis, prefigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui representent . . . Datum Laterani quarto nonas Januarii pontificatus nostri anno quinto.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 68. Capsa P. — WENZEL. I. 175.)

LX.

1221. *Január 29.*

III. Honorius pápa a veszprémi és egri püspököt megbízza, hogy Bertalan pécsi püspököt, ki igazolta, hogy megválasztatása idején a kanoni kort elérte volt, püspöksége birtokában háborgattatni ne engedjék.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Roberto) Vesprimiensi et (Thome) Agriensi episcopis salutem etc. Depositionibus testium receptorum super eo, quod (Bartholomeus) . . . Quinqueecclesiensis episcopus dicebatur etatis sustinere defectum . . . diligenter inspectis, quia invenimus sufficienter probatum illum ipsius electionis tempore fuisse sufficientis etatis, ipsum super hoc . . . duximus absolvendum. Ideoque . . . mandamus, quatenus illos, quibus episcopatus sui cura noscitur esse commissa, non permittatis . . . ab aliquibus temere molestari; molestatores, si qui fuerint, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam . . . compescentes. Datum Laterani quarto kalendas Februarii anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 375. — THEINER. I. 27.)

LXI.

1221. *April 23.*

III. Honorius pápa az esztergomi és veszprémi egyházmegyék főpapjait inti, hogy a pozsonyi prépositól kiközösített egyéneket a szentségekhez ne bocsássák.

Honorius episcopus etc. Universis ecclesiarum prelatis Strigoniensis et Vesprimiensis diocesium salutem etc. — Prepositus Posoniensis nobis insinuare curavit, quod vos parochianos ipsius interdictos vel excommunicatos . . . presumatis recipere ad divina . . . Inhibemus, ne id de cetero facere presumatis . . . Datum Laterani nono kalendas Maii anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 542. — THEINER. I. 29.)

LXII.

1221. *April* 20.

III. Honorius pápa az esztergomi érseket és a pilisi apátot megbízza, hogy a visegrádi apátságba a görög szerzetesek helyébe latin szertartásúakat vezessenek be.

Honorius episcopus etc . . . Venerabili fratri (Johanni) archiepiscopo Strigoniensi et dilecto filio — abbati de Pelis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . (Andreas) rex Ungarorum illustris nobis insinuare curavit, quod abbatia de Wisagrade Vesprimiensis diocesis, in qua ius obtinet patronatus, grecos habet monachos, et habuit ab antiquo, in quorum manibus abbatia ipsa adeo in spiritualibus et temporalibus est collapsa, quod nisi persone instituantur ibidem vicinis ecclesiis lingva et vita conformes, vix aut nunquam adiiciet ut resurgat; quare postulavit instanter, ut ibi monachos latinos institui de nostra permissione liceret. Ideoque . . . mandamus, quatenus . . . si, pensatis omnibus, expedire videritis, et fieri poterit absque gravi scandalo et iuris preiudicio alieni, latinos monachos institui permittatis ibidem, proviso quod grecis monachis, nunc existentibus ibi, provisio congrua toto vite sue tempore assignetur.[1] Datum Laterani duodecimo kalendas Maii anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni V. ep. 539. — THEINER. I. 29.)

LXIII.

1221. *November* 10.

III. Honorius pápa Róbert veszprémi püspöknek a veszprémi káptalan javára tett adományozását megerősíti.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) Vesprimiensi episcopo salutem etc. Iustis petentium etc. Sane cum olim te nobis humiliter supplicante, ut providendi ecclesie tue canonicis, qui erant paupertate gravati, de parrochialibus ecclesiis tue diocesis, vel de redditibus episcopalibus, tibi facultatem

[1] Miképen feleltek meg föladatuknak az esztergomi érsek és a pilisi apát, nem tudjuk. A legelső történeti emlék, amely ezután a visegrádi apátságról szól, IV. Béla 1257-ik évi adománylevele, a mely a szent Benedek-rend kezeiben tünteti föl az apátságot. FEJÉR. IV., II. 448.

concedere dignaremur, nos tibi nostris dedissemus litteris in mandatis,[1] ut super hoc faceres quod secundum Deum et generalis statuta concilii nosceres faciendnm tu de tuis redditibus ad sustentationem canonicorum ipsorum centum marcarum annuos redditus assignasti, prout in tuis litteris superinde confectis perspeximus plenius contineri. Nos igitur tuis precibus inclinati, quod per te super his provide actum est, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Laterani quarto idus Novembris pontificatus nostri anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni VI. ep. 50. — THEINER. I. 30.)

LXIV.

1221. Deczember 4.

III. Honorius pápa a veszprémi püspöknek, ki a pápa megbízásából a spalatói érsekválasztást megerősítette, meghagyja, hogy az érseknek a palliumot adja át.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) Vesprimiensi episcopo salutem etc. Olim tibi meminimus in mandatis dedisse,[2] ut electionem de G(uncello) fratre hospitalis sancti Stephani regis, a Spalatensi capitulo celebratam, examinans diligenter, si personam invenires idoneam, et electionem canonicam, illam auctoritate apostolica confirmares, et impenderes munus consecrationis electo. Nuper autem per tuas litteras nobis intimasti, quod cum electionem invenisses canonicam et concordem, et de ydoneitate persone te certum antiqua notitia reddidisset, electionem confirmasti predictam, et electum in presbiterum ordinans, ei consecrationis munus, iuxta mandatum apostolicum, impendisti. Ipso igitur electo a nobis palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, cum instantia postulante, illud, per dilectum filium Wlcasium canonicum Spalatensem, tibi, de quo gerimus fiduciam specialem, duximus transmittendum; fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus secundum formas, quas tibi sub bulla nostra destinamus inclusas, ab ipso electo, nomine nostro, fidelitatis recipias iuramentum, et ipsum palleum sibi tradas, ut illo infra suam utatur ecclesiam, diebus qui in eiusdem ecclesie privilegiis exprimuntur. Datum Laterani secundo nonas Decembris anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni VI. ep. 76. — THEINER. I. 31.)

---

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

[2] Ezt a pápai iratot nem birjuk. Kétségkívül 1220 julius 29-ikén volt keltezve, a mely napon a pápa a spalatoi káptalant a veszprémi püspöknek adott megbízásról tudósítja. L. III. szám alatt.

LXV.

1222. Január 21.

III. Honorius pápa az esztergomi érseket, a veszprémi püspököt és az egresi apátot megbízza, hogy az aradi prépostot prépostságába, a melytől őt a király megfosztotta, helyezzék vissza.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Johanni) archiepiscopo Strigoniensi et (Roberto) episcopo Vesprimiensi et dilecto filio abbati de Egres Chenadiensis diocesis salutem etc. Cum videatur satis notorium, G(uthfrydum) Orodiensem prepositum prepositura et aliis bonis suis . . . spoliatum fuisse . . . mandamus, quatenus preposituram ipsam et alia omnia sibi ablata . . . restituatis eidem, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Ceterum quia dictus prepositus a gratia . . . (Andree) Ungarie regis illustris creditur excidisse, volumus et mandamus, quatenus eundem regem ad recipiendum ipsum in gratie sue sinu precibus et monitis inducatis . . . Inquiratis . . . veritatem . . . quibus procurantibus spoliatus fuerit prepositus memoratus, quive fuerint qui bona eiusdem prepositi abstulerunt, . . . et quod inveneritis . . . nobis fideliter intimetis . . . Alioquin noveritis nos dedisse . . . (Thome) episcopo Agriensi et (Nicolao) de Cyrce[1] et de Pilis abbatibus Vesprimiensis diocesis . . . in mandatis, ut si forte in exequendis premissis negligentes fueritis, . . . terminum duorum mensium vobis statuant, infra quem vos nostro conspectui personaliter presentetis, quod debetur inobedientie recepturi . . . Datum Laterani duodecimo kalendas Februarii pontificatus nostri anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volumen 11. Anni VI. ep. 195. — THEINER. I. 32.)

---

[1] Zircz

LXVI.

1223. Január 31.

III. Honorius pápa az esztergomi érseket, a veszprémi püspököt és az egresi apátot megbízza, hogy az aradi prépost és Kaládfi Gergely között létrejött egyesség végrehajtásáról gondoskodjanak.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Johanni) Strigoniensi archiepiscopo et (Roberto) episcopo Vesprimiensi et dilecto filio — abbati de Egris Cenadiensis diocesis salutem etc. Cum Gregorius filius Calad[1] excommunicatus . . . pro dampnis Orodiensi ecclesie irrogatis, ad nostram venisset presentiam, absolutionis beneficium petiturus, tandem . . . inter ipsum et (Guthfryd) Orodiensem prepositum compositio intervenit, quod videlicet ipse Gregorius dicto preposito vel eius ecclesie usque ad festum sancti Georgii proximum centum marcas auri puri argenti, duabus minus, solvere . . . tenetur; qui etiam promisit, se nostras ad vos litteras impetrare, quod nisi solveret prescripto termino pecuniam memoratam, vos in possessionem predii eiusdem Gregorii de Cheuseny . . . induceretis prepositum vel ecclesiam memoratam, . . . promisit etiam prefatus Gregorius se centum quinquaginta oves, quas ipsi preposito abstulit, eidem, quam cito Ungariam intraverit, redditurum. Licet igitur idem Gregorius quantum ad impetrationem litterarum nostrarum compositionem non servaverit supradictam, . . . mandamus, quatenus illam quo ad cetera faciatis inviolabiliter observari . . . Datum Laterani secundo kalendas Februarii pontificatus nostri anno septimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VII. ep. 125. — THEINER. I. 39.)

LXVII.

1223. April 11.

III. Honorius pápa az esztergomi érseket és a veszprémi püspököt megbízza, hogy II. Endre királyt, ki követei által igéretet tett, hogy a tőle prépostságától megfosztott aradi prepostnak megfelelő elégtételt fog nyujtani, ezen igéret teljesítésére birják.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Johanni) archiepiscopo Strigoniensi et (Roberto) episcopo Vesprimiensi et dilecto filio — abbati de Gres Cena-

[1] Kalad, mint somogymegyei főispán említtetik egy 1227-ik évi oklevélben. WENZEL. I. 242.

diensis diocesis salutem etc. Cum olim fecissemus Andream illustrem regem Ungarie commoneri, ut dilectis filiis (Guthfrydo) preposito et capitulo Orodiensis ecclesie de dampnis, que N(icolaus) et O(thes)[1] comites . . . rege mandante . . . irrogarunt eisdem . . .; prenominato rege illis satisfacere non curante, vobis dedimus in mandatis, ut super hiis . . . faceretis iustitiam exhiberi. Cum autem vos causam ipsam, nuper ad nos remisissetis instructam, tu frater episcope et D. camerarius ac magister G. nuntii predicti regis . . . petivistis, ut ipsum prepositum, qui propter hoc ad sedem apostolicam laboraverat, et moram ibi traxerat longiorem, ad prefati regis gratiam remittere dignaremur, satisfactionem plenariam recepturum . . . Ipsum igitur ad eiusdem regis clementiam remittentes, eundem regem per litteras nostras hortari curavimus . . . ut . . . eidem preposito et ecclesie . . . plenarie satisfaciat. Ideoque . . . mandamus, quatenus dictum regem ad id diligenter monere ac efficaciter inducere studeatis. Quod si forsan idem rex id facere non curaverit, vos actis iudicii habiti coram vobis, que penes vos sunt, diligenter inspectis, et receptis probationibus aliis, . . . de iure quod iustum fuerit . . . sub apostolica obedientia statuatis . . . Datum Laterani tertio idus Aprilis pontificatus nostri anno septimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VII. ep. 119. — THEINER. I. 40.

LXVIII.

1223. April 11.

III. Honorius pápa II. Endre királyt értesíti, hogy követe Róbert veszprémi püspök előterjesztésére az aradi prépostot Magyarországba visszabocsátja.

Honorius episcopus etc. Karissimo in Christo filio A(ndree) regi Ungarie illustri salutem etc. Cum . . . (Robertus) Vesprimiensis episcopus et D. camerarius ac magister G. nuntii tui, ex parte tua cum instantia petierunt, ut ipsum prepositum (Orodiensem) . . . ad tue serenitatis gratiam remittere dignaremur, satisfactionem plenariam recepturum, idemque prepositus . . . consensit, ipsum igitur ad clementiam tuam fiducialiter remittentes, serenitatem tuam rogamus . . , quatenus, secundum quod coram nobis ex parte tua promiserunt episcopus et alii supradicti, eidem preposito et ecclesie . . . satisfacias . . . Datum Laterani tertio idus Aprilis pontificatus nostri anno septimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VII. ep. 119. — THEINER. I. 40.)

[1] A kezdőbetűkkel jelölt neveket egy előbbi bulla alapján egészíthetjük ki.

LXIX.

1223. *Julius 11.*

III. Honorius pápa a somogyvári és a zseliczi apátokat, egy pécsmegyei apáttal megbízza, hogy a zágrábi püspököt a szent-szék előtt való megjelenésre idézzék meg.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis — sancti Egidii et — sancti Jacobi et — sancti Petri[1] abbatibus Vesprimiensis et Quinqueecclesiensis diocesium salutem etc. Intimantibus olim nobis . . . preposito et capitulo ecclesie de Ceresmeu,[2] quod . . . (Stephanus) Zagrabiensis episcopus, loci diocesanus, ecclesiam ipsam incendio devastarat, . . . nos . . . vobis super premissis inquisitionem . . . duximus committendam; sed . . . licet vos diligenter in commisso vobis inquisitionis negotio procedentes que invenistis nobis . . . remiseritis . . . prefigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui presentarent, . . . memoratus tamen episcopus . . . nec venit, nec misit aliquem responsalem . . . Mandamus, quatenus ipsum, in festo nativitatis proxime futuro, quod ei et parti alteri pro peremptorio assignamus . . . nostro se . . . conspectui representent . . . cogatis . . . Datum Signie quinto idus Julii pontificatus nostri anno septimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VII. ep. 208. — THEINER. I. 42.)

LXX.

1223.

A magyarországi főpapok, köztök Róbert, veszprémi püspök is, III. Honorius pápától utasítást kérnek arra nézve, hogy Béla ifjabb király irányában, ki törvényes nejét eltaszította, milyen eljárást kövessenek.

Sanctissimo in Christo patri ac domino H(onorio) Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici U(golinus) Colocensis ecclesie minister humilis D(esiderius) Chenadiensis R(obertus) Vesprimiensis S(tephanus) Zagrabiensis T(homas) Agriensis B(artholomeus) Quinqueecclesiensis A(lexander) Waradiensis B(ric-

[1] Szent Péterről czímzett apátságot a pécsi egyházmegye területén nem ismerünk.

[2] A zágrábi egyházmegye területén csak is egy társas-káptalau létezéséről van tudomásunk. Ez a csazmai, a melyet azonban éppen az az István püspök, a kiről itt szó van, 1222-ben alapított; hihetetlen tehát, hogy ez a tőle alapított káptalannak ilyen vádak emelésére okot szolgáltathatott.

cius) Waciensis J(acobus) Nitriensis episcopi cum omni humilitate, reverentia ac devotione . . . Vestre significandum duximus sanctitati, quod cum dominus noster rex Hungarie de partibus ultramarinis rediens[1] per terram nobilis viri Laschari transitum faceret, filiam eiusdem filio suo primogenito[2] . . . desponsavit uxorem, . . . eandem etiam . . . secum in suam terram adducens . . . filio suo memorato tradidit in uxorem, ipsam . . . in reginam Hungarie coronari faciens et inungi, cui supradictus Bela illustris . . . cohabitavit per totum biennium et amplius ut maritus; nunc autem vir . . . in totius regni scandalum . . . dimisit uxorem. Et licet . . . institissemus attente, . . . propter excellentiam tamen sublimitatis regie . . . absque conniventia vestra minime duximus procedendum. Quapropter sanctitas vestra . . . providere dignetur, . . . mandantes, quid super hoc nobis extiterit faciendum; parati enim sumus . . . in omnibus sacris vestris obedire mandatis.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VIII. ep. 5. Dátum nélkül. — 1223 julius 29 és augusztus 12-ikén kelt levelek közé beiktatva. — THEINER. I. 42.)

LXXI.

1224. Február 3.

III. Honorius pápa az esztergomi érseket megbízza, hogy a szent-mártoni monostornak a veszprémi püspökkel, a veszprémi és fehérvári káptalanokkal fenforgó pereiben kirendelt birákat az ügy elintézésére utasítsa, amennyiben pedig fölhivása eredménytelen maradna, a feleket a római szent-szek elé idézze.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Thome) archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. . . . (Urias) abbas et conventus sancti Martini in Pannonia nobis insinuare curarunt, quod cum super questionibus, quas super ecclesiis, decimis et rebus aliis habent adversus . . . (Robertum) Abrigiensem[3] episcopum et capitulum, nec non adversus Albensem et Vesprimiensem prepositos et capitula . . . a . . . I(nnocentio) papa . . . ad diversos iudices . . . litteras impetrarint[4] . . . ipsorum tamen iudicum negligentia et adversariorum versutia faciente, nondum potuerunt suam iustitiam optinere; quare humiliter petierunt, ut questionem huiusmodi ad nostrum evocaremus examen. . . . Mandamus, quatinus iniungas iudicibus, . . . ut infra festum assumptionis beate Marie proxime venturum, procedant finaliter in

[1] A szentföldi keresztes hadjáratról van szó.
[2] Mária IV. Béla neje.
[3] Tollhiba Vesprimiensis helyett.
[4] Ezen pápai iratokból csak a XXVIII. és XXXIV. szám alatt közlöttek maradtak fönn.

causis . . .; quod si . . . non fuerit adimpletum, iniungas partibus. ut in proximo festo omnium sanctorum . . . per procuratores sufficientes compareant coram nobis . . . Datum Laterani tertio nonas Februarii pontificatus nostri anno octavo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VIII. ep. 286. — THEINER. I. 43.)

LXXII.

1224. Február 22.

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt fölhívja, hogy Béla ifjabb királyt támogassa.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem etc. Fraternitatem tuam dignis in domino laudibus commendamus, quod sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri B(ele) regis primogeniti karissimi in Christo filii nostri (Andree) Ungarie regis illustris, fuit propositum coram nobis, tu eidem B(ele) regi et uxori sue semper fideliter astitisti, pro ipsorum stans matrimonio, laborantibus ad eorum divortium intrepide in faciem eorundem iustitie amore resistens. Quia vero idem B(ela) rex gravem pro matrimonio ipso persecutionem sustinet, coactus propter hoc in terram nobilis viri (Friderici) ducis Austrie se transferre, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus tuum adhuc sibi consilium et auxilium, tanquam in adversitate huiusmodi necessarium, liberaliter et libenter impendas, ita quod ipsi consilii et auxilii tui ope suffulti, post tempestatem tranquillum et serenum post nubilum tandem fiant. Datum Laterani octavo kalendas Martii pontificatus nostri anno octavo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VIII. ep. 299. — THEINER. I. 46.)

LXXIII.

1224. April 2.

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt fölhatalmazza, hogy a szent Benedek-rend telki monostorában ciszterczi szerzeteseket telepítsen meg.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Robert) Vesprimiensi episcopo salutem etc. Dilectus filius nobilis vir Micha comes fundator et patronus monasterii Thaliki ordinis sancti Benedicti nobis humiliter supplicavit, ut cum idem monasterium, propter dissolutionem et malitiam habitantium hactenus in eodem, sit adeo imminutum, quod vix unus ibi remanserit qui valeat in ipso celebrare

divina; illud antequam omnino depereat, monasterio sancte crucis Cisterciensis ordinis subici faceremus, parato ipso suum ad id prestare consensum. Cum igitur loci diocesanus existas, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus huius rei circumstantiis provide circumspectis, id si expedire videris studeas adimplere, proviso, ut si qui sunt ibi, vel recipiant Cisterciensis ordinis instituta vel in aliis monasteriis collocentur. Datum Laterani quarto nonas Aprilis anno octavo.

(Regesta Vaticana. Volumen 12. Anni VIII. ep. 385. — THEINER. I. 50.)

LXXIV.

1224. Deczember 4.

III. Honorius pápa a váradi és váczi püspököket, a fehérvári préposital, megbízza, hogy a felségsértéssel vádolt esztergomi prépost ügyében vizsgálatot indítsanak.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Alexandro) Waradiensi et (Briccio) Waciensi episcopis, et dilecto filio (Corardo) preposito Albensi Vesprimiensis diocesis salutem etc. Altiora se querere Strigoniensis prepositus et super se etiam dicitur ambulare; de illo etiam . . . rex Ungarie . . . graviter est conquestus, quod idem . . . regem eundem . . . gravibus iniuriis lacescivit . . . Mandamus, quatenus, veritate super hoc diligentius inquisita, nobis quod inveneritis per litteras vestras fideliter exponatis . . . Datum Laterani secundo nonas Decembris anno nono.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni IX. ep. 101. — THEINER I. 52.)

LXXV.

1225. Január 11.

III. Honorius pápa a váczi püspököt, a pilisi apátot és a pilisi perjelt megbízza, hogy a veszprémi püspök és a pesti plébános között fönnforgó perben, az előbbinek javára hozott ítéletet foganatosítsák.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Briccio) episcopo Waciensi et dilectis filiis — abbati et — priori de Pelys Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostram audientiam, venerabili fratre nostro (Roberto) episcopo Vesprimiensi referente pervenit, quod cum causeque inter ipsum et plebanum de Pest, Waciensis diocesis, super decimis vinearum et agriculturarum



1225. III. HONÓRIUS PÁPA BULLÁJA. (LXXV. SZÁM ALATT.)

de Creynfeld,[1] infra limites Vesprimiensis diocesis consistentium, vertitur, olim preposito, cantori et scolastico Waciensi ab apostolica sede commissa fuisset fine debito terminanda,[2] iidem inducendum ipsum in possessionem rerum in iudicio deductarum, propter adverse partis contumaciam manifestam, causa custodie, decreverunt; quare a nobis idem episcopus humiliter postulavit, ut cum possessionem ipsam, propter adverse partis maliciam, nancisci non potuerit infra annum, providere sibi super hoc misericorditer dignaremur. Ne igitur iam dictus plebanus de sua contumacia se commodum gaudeat reportasse, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si res ita se habeat, verum possessorem premissarum rerum tpsum constituentes perfectum, faciatis ipsum earundem rerum pacifica possessione gaudere, contradicentes per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, tu ea frater episcope cum eorum altero nichilominus exequaris. Datum Laterani tertio idus Januarii pontificatus nostri anno nono.

(Eredetije a veszprémi káptalan levéltárában. Capsa. 106. Decimæ episcopales. Num. 2. Pecsét nélkül.)

LXXVI.

1225. *Január 18.*

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt értesíti, hogy a zalamegyei engedetlen papok ellen pápai biztosoktól hozott itéletet megerősítette.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem etc. . . . Tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, diffinitivam sententiam, quam — abbas et — prior sancti Gothardi et (Bulch) prepositus Geuriensis pro te contra Obusc de Vrustin omnium sanctorum,[3] Widum de Hrvat sancti Martini[4] et aliarum ecclesiarum de Zala presbiteros, super obedientia et reverentia ab eis tibi, tanquam diocesano suo debita, exhibenda, auctoritate nostra rationabiliter promulgarunt, . . . confirmamus . . . Datum Laterani quinto decimo kalendas Februarii, pontificatus nostri anno nono.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni IX, ep. 142. — THEINER. I. 52.)

---

[1] Kelenföld.

[2] Ezt a pápai iratot nem bírjuk.

[3] [4] Ilyen nevű plébániákkal sem a zalai főesperességnek 1332—7-ik évi tized-lajstromában, sem más történeti emlékekben nem találkozunk. Ma Zalamegyében Szent-Békkala plébaniának van Kisfalud-Mindszentkála és Dioskal-Palkonyának Szent-Márton nevű fiókja.

LXXVII.

1225. Január 29.

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt fölhatalmazza, hogy szűkölködő káptalanának kápolna-javadalmakat adományozhasson.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem etc. Exposuisti nobis in nostra presentia constitutus, quod ecclesie tue canonici, diminuta ipsorum provisione, a tempore concilii generalis,[1] cum eis extunc non fuerint ad eorum sustentationem concesse capelle sicut antea fieri consveverit, de redditibus prebendarum suarum, cum nimium sint exiles, nequeant sustentari, propter quod plures ipsorum, eadem relicta ecclesia, in eiusdem et clericatus coguntur obprobrium aliorum se obsequiis mancipare; unde humiliter supplicasti, ut de capellis eisdem provisionem eorum, de nostra permissione, tibi ampliare liceret. Quia vero per hoc statutis derogaretur eiusdem concilii, que servari volumus inconcusse, te in hac parte nequivimus exaudire. Verum illorum paupertati paterno compatientes affectu, et tibi etiam, prout exposcit devotionis tue meritum, gratiam facere cupientes, fraternitati tue, de qua plenam fiduciam obtinemus, presentium auctoritate concedimus, ut si evidens necessitas vel utilitas exigat, prebendas possis eiusdem ecclesie de capellis in perpetuum annectendis eisdem, sicut discretione previa expedire videris, augmentare, reservata congrua singularum capellarum presbiteris portione . . . Datum Laterani quarto kalendas Februarii pontificatus nostri anno nono.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni IX. ep. 157. — THEINER. I. 53. — Átírva Róbert veszprémi püspök oklevelében, mely a veszprémi káptalan levéltárában őriztetik. — L. — szám alatt. Közölte FEJÉR. IX. VII. 648.)

[1] Az 1215-ik évi IV. lateráni zsinat értetik.

LXXVIII.

1225. *Május 9.*

III. Honorius pápa a zirczi apátot, a fehérvári prépostot és a fehérvári őrkanonokot, a János-lovagok és a valkói apát között fenforgó perben birákul rendeli.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati de Becon (Corardo) preposito et — cantori Albensibus Vesprimiensis diocesis salutem etc. In litteris . . I(nnocentii) pape . . . perspeximus contineri, quod cum ipse in causa, que inter . . . fratres hospitalis Jerosolimitani ex parte una et . . . abbatem et monachos sancti spiritus[1] diocesis Quinquecclesiensis ex altera, super ecclesia sancti spiritus et eius pertinentiis, vertitur . . . . auditorem dedisset . . . . S(inibaldum) tituli sancti Laurentii de Lucina presbiterum cardinalem, . . . procuratores bone memorie (Calani) Quinqueecclesiensis episcopi . . . cum procuratore hospitalis iam dicti, ut . . . (Johanni) Strigoniensi archiepiscopo et A. Ultrasilvano ac G(uthfrido) Orodiensi prepositis committeretur causa huiusmodi . . . convenerunt, idemque predecessor noster mandavit archiepiscopo et prepositis antedictis, ut . . . in ipso negotio procedentes . . . illud fine debito terminarent.[2] Nuper autem iidem fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum sepedicti archiepiscopus et prepositi sint, negotio indeciso, ab hac luce subtracti, causam ipsam . . . decidi per alios faceremus. Mandamus, quatenus . . . causam ipsam, si partes consenserint. fine debito decidatis, alioquin eandem ad nos remittatis instructam . . . Datum Tibure septimo idus Maii anno nono.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni IX. ep. 318. — THEINER. I. 55.)

LXXIX.

1225. *Május 28.*

III. Honorius pápa a győri prépostot, a fehérvári prépostot és a pilisi apátot, a János lovagok és a szent-mártoni monostor között fenforgó perben birákul rendeli.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis (Bulch) Geuriensi et (Corardo) Albensi prepositis et — abbati de Pelis Vesprimiensis diocesis salutem etc. Olim . . .

[1] A monostori vagyis valkói apátság.
[2] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

fratres hospitalis Jerosolimitani in Ungaria sua nobis peticione monstrarunt, quod cum causam inter ipsos . . . et (Uriam) abbatem sancti Martini de Pannonia . . . super quibusdam decimis, coram diversis iudicibus a sede apostolica delegatis diutius agitata, demum . . . (Ugulino) archiepiscopo Colocensi et coiudicibus suis commisissemus . . . decidendam,[1] et ipsi . . . eandem ad nos remiserunt . . . prefixo partibus termino competenti, quo se propter hoc nostro conspectui presentarent; ad quam cum dictus abbas nec venire curasset, nec mittere responsalem, . . . nos acta iudicii eisdem iudicibus . . . remittentes . . . eis per nostras litteras dedimus in mandatis, ut . . . causam . . . infra sex menses . . . terminarent.[2] Ceterum fratribus ipsis . . . huiusmodi litteris uti differentibus, dictus abbas eisdem iudicibus a nobis per itteras nostras dari optinuit in preceptis, ut in causa ipsa procederent iuxta priorum continentiam litterarum . . . Cumque ipsi fratres . . . citati, proponerent coram prefatis iudicibus, quod pro earum auctoritate procedere non debeant, . . . ipsi iudices nichilominus, post appellationem ad nos legitime interpositam, in negotio perperam procedentes, diffinitivam contra eos . . . sententiam protulerunt . . . Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus de appellatione legitime cognoscentes, et sententiam confirmantes vel infirmantes eandem, sicut de iure fuerit faciendum, super aliis quod iustum fuerit, appellatione postposita statui faciatis, . . . Datum Tibure quinto kalendas Junii anno nono.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni IX. ep. 342. — THEINER. I. 57.)

LXXX.

1225. Szeptember 15.

III. Honorius pápa a szent-gotthárdi apátot, a fehérvári prépostot és a nyitrai főesperest a veszprémi püspök és a János-lovagok fehérvári rendháza között fenforgó tized-perben birákul rendeli.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati sancti Godardi — preposito Albensi Geuriensis et Vesprimiensis diocesium et magistro Enoc archidiacono Nitriensi salutem etc. Venerabili fratre nostro (Roberto) Vesprimiensi episcopo et dilecto filio fratre R(embaldo) procuratore hospitalis Jerosolimitani in Ungaria in nostra presentia constitutis, venerabilem fratrem nostrum P(elagium) Albanensem episcopum dedimus auditorem, coram quo dictus petiit procurator quandam sententiam a felicis memorie Innocentio papa predecessore nostro pro ipso episcopo, contra fratres Jerosolimitani hospitalis sancti Stephani Albensis Vesprimiensis dio-

[1] [2] Ezeket a pápai iratokat nem birjuk.

cesis super quibusdam decimis promulgatam,[1] in melius commutari, tum quod causa . . . per falsum procuratorem agitata fuerat, ut dicebat, tum quod ex parte hospitalis necessarie narrationes et probationes fuerant, sicut asserebat, omisse; . . . quare petebat, si forsan de falso procuratore allegato non prodesset, hospitale ipsum ad predictas narrationes et probationes, per in integrum restitutionem, admitti, presertim cum ex earum omissione sit enormiter lesum, vel saltem unum de fratribus suis statui eiusdem hospitalis sindicum, nomine Romane ecclesie, ad quam spectat, et cui est in una marca auri annis singulis censuale.[2]

Prefatus vero episcopus excipiendo respondit, quod super hiis respondere non tenebatur procuratori predicto, quod cum per — de Tichon et — de Bochon abbates, quos ipse predecessor noster deputavit executores sententie supradicte, fuisset in predictarum decimarum possessionem inductus, fratres dicti hospitalis, licet ad tempus ipsi sententie paruissent, postmodum tamen ipsum spoliaverant decimis antedictis; quare dicebat, quod stare non debebat in judicio spoliatus.

Hiis igitur per relationem ipsius auditoris plenius intellectis, quod neutra pars eorum, que coram ipso auditore proposuit, potuit facere plenam fidem; . . . discretioni vestre, de utriusque partis assensu, mandamus, quatenus dicto episcopo prius integre restituto, si se probaverit spoliatum, et possessionem pacificam assecuto, audiatis ea que pars hospitalis super falso procuratore et probationibus omissis, nec non ea que dictus episcopus pro se duxerit proponenda, causamque . . . sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, prefigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui representent, quod justum fuerit recepture. . . . Datum Reate decimo sexto kalendas Octobris anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni X. ep. 50. — THEINER. I. 61.)

LXXXI.

1226. elején.

Róbert veszprémi püspök, a III. Honorius pápától nyert fölhatalmazás alapján, a veszprémi káptalan javadalmazásáról rendelkezik.

Robertus Dei gratia Vesprimiensis episcopus omnibus ad quos presentes littere pervenerint salutem in domino. Placuit domino pape ex misericordia sedis apostolice nobis suas mittere litteras sub hac forma . . .[3]

---

[1] Ezt az iratot nem birjuk.

[2] L. V. szám alatt.

[3] Itt átírja III. Honorius pápa 1225 január 29-iki bulláját. L. LXXVII. szám alatt.

Nos ergo sacerdotum penuriam et fratrum nostrorum necessitates diligentius intuentes, considerantes nihilominus ecclesie statum, auctoritate nobis ab apostolica sede concessa, invocata spiritus sancti gratia, capellas omnes in nostra diocesi constitutas, illis duntaxat exceptis que dignitatibus sunt adnexe, prebendis ecclesie nostre annectimus, de earum capellarum proventibus taliter ordinantes, ut in omnibus dictarum capellarum redditibus, decimalibus scilicet et oblacionibus, sacerdotes medietatem habeant et capitulum ecclesie medietatem, ita ut equalis fiat divisio inter eos. Cum autem sacerdotes in supradictis proventibus non consveverint percipere nisi terciam partem, et magistri sive rectores duas partes; statuimus propterea ut omnia illa que ecclesiis in elemosinas offeruntur aut assignantur, in dotem retineant sacerdotes in proprios usus suos; nisi illud quod offertur molendinum fuerit aut vinea, de quibus, deductis prius expensis, medietas ad communes usus capituli proficiat, medietas vero ipsarum capellarum sacerdotibus relinquatur. Cetera autem omnia, oves et boves, silve, agriculture, prata, pascua et piscine, servi et ancille ecclesiarum, que nunc collata sunt eisdem, aut in futurum e largicione patronorum, seu concessione aliorum fidelium, parante domino conferentur, ad usus tantum sacerdotum pertineant; exceptis, ut diximus, molendinis et vineis de quibus supra fecimus mencionem. Idem etiam iuris volumus in vacaturis in futurum ecclesiis observari, quod nunc in vacantibus post generale concilium duximus statuendum, sive eas canonici simplices, sive in personatibus constituti, preter annexas ut diximus dignitatibus, habuerint, seu etiam aliis qui canonici non sunt fuerint collate. Et quoniam sedes apostolica canonicorum ecclesie nostre paupertati consulens, de solita sue benignitatis misericordia, hoc providit, volumus, et eadem qua fungimur auctoritate statuimus, ut proventus capellarum qui in ius capituli cedunt, inter eos equaliter dividantur, et singuli singulas habeant porciones, preter prepositum, qui propter maius onus quod sibi in negociis ecclesie incumbit pertractandis, duas participet porciones. Ut quod ab apostolica sede misericorditer est concessum et auctoritate eiusdem a nobis est previa deliberacione statutum, nostris et successorum nostrorum temporibus perpetuam obtineat firmitatem, ordinacionis facte seriem litterarum nostrarum fecimus testimonio roborari. Anno ab incarnacione domini MCCXXVI.

(Átírva a pilisi és zirczi apátoknak XXIII. János pápához intézett jelentésében, melynek egyik példánya a veszprémi káptalan levéltárában őriztetik. — FEJÉR. VII., V. 649.)

LXXXII.

1226. Február 17.

III. Honorius pápa a veszprémi püspököt és a fehérvári prépostot megbízza, II. Endre királyt birják rá, hogy a német lovagrendet a Bárczaság birtokába, a melytől megfosztotta volt, helyezze vissza.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi et dilecto filio (Corardo) preposito Albensi Vesprimiensis diocesis etc. Sicut . . . Andree illustri regi Ungarie iam multotiens litteris nostris insinuasse recolimus, inspectis privilegiis eius liquido continentibus ipsam terram Borze . . . fratribus domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum . . . donasse, . . . deinde post multas vexationes et molestias, quas super dicta terra dicebatur ipsis fratribus irrogasse . . . eo demum nostris auribus intimante, quod ipsi fratres fines possessionum sibi concessarum egressi, quasdam ex eius possessionibus occuparunt, cum per litteras nostras mandassemus eisdem, ut ipsas . . . restituerent; . . . idem rex precepit eisdem, ut terram ipsam sibi donatam . . . eidem continue resignarent . . . His itaque ad audientiam nostram . . . perlatis, nos . . . eundem regem . . . hortari studuimus diligenter, ut . . . dictos fratres non molestaret ulterius super terra, sibi . . . pia liberalitate donata . . . Eodem rege nobis interim denuo intimante, quod ipsi fratres . . . multa de eius terris temere occuparant, et eidem ea repetenti responderant, quod in pugna propter hoc potius mori vellent, quam restituere illa eidem; nos . . . ad (Alexandrum) Waradiensem et (Gregorium) Geuriensem episcopos asperas valde direximus litteras contra eos . . . Sine causa vero nos contra fratres commovit predictos, . . . cum prius ipsos non solum terris, quas illos extra sepedictos terminos occupasse dicebat, verum etiam hiis quas ipsis donaverat . . . spoliasset . . . et . . . preceptor domorum ipsius hospitalis . . . ad nostram venit presentiam spoliatus terra . . . eadem, et ab ea cum fratribus suis violenter eiectus. Sicut ergo eundem regem alias paterno affectu monuimus, ita et nunc monemus, . . . quatenus . . . fratres ipsos in regnum suum non differat revocare, ac eis restituat et restitui faciat integre omnia bona sua . . . sciens, quod nisi hac vice nos exaudire curaverit, non esset nostri propositi ulterius verba perdere . . . monendo, sed . . . assistere in iustitia sua fratribus supradictis, cum tantam eorum iniuriam et detrimentum subsidii terre sancte dissimulare amplius nequeamus. Quocirca discretioni vestre . . . mandamus, quatenus regem ipsum, archiepiscopis et episcopis regni ipsius presentibus, ad ea que premisimus facienda monere prudenter, et efficaciter inducere studeatis. Quod inde feceritis ac responsionem ipsius nobis quanto-

cius fideliter rescribatis. Datum Laterani tertio decimo kalendas Martii pontificatus nostri anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni X. ep. 220. De csak a bevezető sorok «terram Borze» szavakig vannak bejegyezve. Azután áll «etc. ut supra usque nequeamus, verbis competenter mutatis» utalva a királyhoz intézett levélre, a melynek szövegéből a jelen levelet kiegészíthettük.)

LXXXIII.

1226. Február 23.

A pápai biztosok előtt, a somogymegyei tizedek tárgyában, a János-lovagok és a szent-mártoni monostor között létrejött egyesség.

Notum sit omnibus presentem paginam inspecturis, quod anno dominice incarnacionis MCCXXVI. secunda feria post cathedram sancti Petri, Albe in claustro Albensi[1] placuit partibus compromittere in arbitros sub hac forma. Nos iudices abbas Plesiensis et prepositus Albensis, iudices a summo pontifice delegati, in causa que vertitur inter abbatem et conventum sancti Martini ex una parte, et hospitalarios tam Albe quam in Curgou[2] commorantes, ex altera dominus abbas sancti Martini et sindicus domus et frater Johannes prior hospitalis, procurator in hac causa, compromiserunt in nobis, scilicet abbate Plesiense et me preposito, et in magistrum Casimirum et magistrum Manassem super omnibus decimis possessionum . . . in comitatu Symigiensi, et super omnibus questionibus et expensis . . . Et pena est apposita ab utraque parte centum trigintaquinque marcarum, in quam pars que vellet resilire incideret . . . Statutum est reddere sententiam arbitrii tercia feria post Judica[3]. . . Paginam istam cum sigillis abbatis et conventus sancti Martini et fratris Johannis magni magistri et J(ohannis) prioris Albensis . . . fecimus corroborari et nostris.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában 31. capsa, P. — WENZEL. I. 222.)

---

[1] A dominikánusok kolostora értetik.
[2] Csurgó.
[3] Ebben az évben ez a nap április 5-ikére esett.

LXXXIV.

1226. Márczius 13.

III. Honorius pápa Róbert veszprémi püspököt esztergomi érsekké nevezi ki.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri (Roberto) episcopo Vesprimiensi salutem etc. In gravamen ecclesiarum [1] [quarum nobis est sollicitudo commissa non decet aliquibus nos deferre, ut eorum arbitrio ecclesiarum ipsarum ordinatio relinquatur; si enim in talibus sue semper permitteretur libertati voluntas, plerique contra proprium et illarum commodum agerent, vel non consuleretur ecclesiis, sed personis. Dudum sane Strigoniensi ecclesia pastoris solatio destituta, duo videlicet venerabiles fratres nostri (Desiderius) Cenadiensis et (Jacobus) Nitriensis episcopi fuerunt in eius archiepiscopum postulati; sed cum minus canonica utriusque postulatio fuerit, nos neutra ipsarum admissa, licet aliter potuerimus de rigore iuris procedere, iterato eligendi vel postulandi canonice de gratia capitulo ipsius ecclesie concessimus potestatem; sed cum votis eorum in diversa divisis, quidam postularint eundem Cenadiensem episcopum, et alii T(homam) archidiaconum elegissent, quoniam utriusque partis processus inventus est minus legitimus, electionem cassavimus, et postulationem non duximus admittendam, ac ipsi capitulo denuo gratiam facientes, eidem per litteras nostras iniunximus, ut ex se ipso quattuor ad nostram presentiam destinarent, quorum consilio predicte possemus ecclesie de archiepiscopo providere. Nuper autem dilectis filiis — thesaurario, Nicolao, A(ndrea) et Johanne canonicis Strigoniensibus coram nobis comparentibus, nos intellecta voluntate ipsorum, cum eadem ecclesia diu viduata extiterit, unde non modicam sustinuit in spiritualibus et temporalibus lesionem, nosque habere oportuerit respectum ad Deum, animarum salutem et profectum ecclesie memorate ac necessitatibus eius consulere, cuius iam parcendum erat laboribus et expensis, quibus est hactenus non modicum] fatigata, te ad ipsam, quam credimus incrementum in spiritualibus sub tuo regimine suscepturam, de fratrum nostrorum consilio assumendum, ex officio nostro providimus in pastorem, atque absolutum a vinculo,[2] [quo Vesprimiensi ecclesie tenebaris, ad Strigoniensem metropolim transferimus, ac tibi tribuimus licentiam] transeundi. Quo circa translationi huiusmodi te decet humiliter consentire, ne vocationi divine contraire, si secus ageres videaris; fraternitati

[1] A regesta-kötetben ezután ez áll: «in eundem fere modum ut in prima usque fatigata.» Utalás az esztergomi káptalanhoz intézett iratra. Ebből és a királyhoz intézett levélből reconstruáltuk a püspökhöz intézettet.

[2] Itt áll: «a vinculo etc. ut supra usque transeundi».

tue in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatenus in Dei nomine ipsius ecclesie curam suscipias, et ad eam transeas sine mora, ibique et talem exhibeas, ut cum honoris augmento crevisse in virtutibus comproberis. Datum [1] (Laterani tercio idus Marcii anno decimo.)

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni X. ep. 235.)

LXXXV.

1226. Márczius 13.

III. Honorius pápa II. Endre királyt értesíti, hogy Róbert veszprémi püspököt esztergomi érsekké nevezte ki.

Honorius episcopus etc. Karissimo in Christo filio A(ndree) regi Ungarorum illustri salutem etc. . . . Dudum sane Strigoniensi ecclesia pastoris solatio destituta, . . . (Desiderius) Cenadiensis et (Jacobus) Nitriensis episcopi fuerunt in eius archiepiscopum postulati; sed nos . . . neutra ipsarum admissa, . . . iterato eligendi vel postulandi . . . capitulo . . . concessimus potestatem, sed cum . . . quidam postularint eundem Cenadiensem episcopum et alii T(homam) archidiaconum elegissent, . . . electionem cassavimus et postulationem non duximus admittendam . . . Nuper autem — thesaurario, Nicolao, A(ndrea) et Johanne canonicis Strigoniensibus coram nobis comparentibus, nos intellecta voluntate ipsorum . . . (Robertum) Vesprimiensem episcopum, virum dilectum a Deo et hominibus, vita et conversatione preclarum, quem tamquam experti novimus exaltationis tue avidum et regii zelatorem honoris, cum ipse olim sic efficaciter, quo nullus alius efficacius, pro sedanda cum honore tuo discordia inter te ac natum tuum habita laboravit, . . . ex officio nostro providimus in pastorem . . . Quocirca serenitatem regiam rogamus, . . . quatenus diligenter attendens, quam utiliter prospeximus eidem Strigoniensi ecclesie ac tibi et regno tuo . . . ipsum episcopum . . . propensius habeas commendatum . . . Datum Laterani tertio idus Marcii pontificatus nostri anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 113. Anni X. ep. 234. — THEINER. I. 67.)

---

[1] A dátum ki van hagyva a szövegben.

LXXXVI.

1226. Márczius 13.

III. Honorius pápa az esztergomi káptalant értesíti, hogy Róbert veszprémi püspököt esztergomi érsekké nevezte ki.

Honorius episcopus etc. Dilectis in Christo filiis capitulo Strigoniensi salutem etc. . . . Dudum sane Strigoniensi ecclesia pastoris solatio destituta . . . (Desiderius) Cenadiensis et (Jacobus) Nitriensis episcopi fuerunt in eius archiepiscopum postulati, sed . . . nos neutra ipsarum admissa, . . . iterato eligendi vel postulandi . . . vobis concessimus potestatem; sed cum . . . quidam postularint eundem Cenadiensem episcopum et alii T(homam) archidiaconum elegissent, quoniam utriusque partis processus inventus est minus legitimus, electionem cassavimus et postulationem non duximus admittendam . . . Nuper autem dilectis filiis — thesaurario, Nicolao, A(ndrea) et Johanne canonicis Strigoniensibus coram nobis comparentibus vice vestra, nos intellecta voluntate ipsorum . . . (Robertum) Vesprimiensem episcopum, virum dilectum a Deo et hominibus, vita et conversatione preclarum, de quo certi sumus quod . . . (Andree) regis Ungarie et regni sui exaltationem diligit et augmentum, cum nullum alium ad predicta inveniamus tam idoneum . . . ad eandem ecclesiam assumendum, ex officio nostro providimus in pastorem . . . Datum Laterani tercio idus Marcii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni X. ep. 233. — THEINER. I. 66.)

LXXXVII.

1226. Julius 4.

III. Honorius pápa a bakonybéli és vértesi apátoknak, a veszprémi szent-endrei főesperessel meghagyja, hogy a zágrábi püspököt és káptalant, a szent-mártoni apát javára megitélt perköltségek lefizetésére szólítsák föl.

Honorius episcopus etc. Dilectis in Christo filiis — de Bel et — de Wertes abbatibus et — archidiacono de sancto Andrea[1] Vesprimiensis diocesis salu-

[1] A veszprémi egyházmegye szent-endrei főesperességének a történeti emlékekben nyomát nem találjuk.

tem etc. Petentibus dudum . . . (Uria) abbate et conventu monasterii sancti Martini de Pannonia, questiones quas super ecclesiis, decimis et rebus aliis in Simigiensi comitatu contra . . . (Stephanum) episcopum et capitulum Zagrabiense habebant . . . ad examen apostolicum revocari, . . . nos . . . (Briccio) Waciensi episcopo et collegis suis scripsimus, ut . . . in negotiis procedentes, ad nos eadem sufficienter instructa remittere procurarent[1] . . . Iidem . . . causam ad sedem apostolicam remiserunt, prefixo . . . termino partibus, quo . . . in nostra presentia comparerent. Dato itaque super hoc a nobis . . . (Pelagio) Albanensi episcopo auditore, ac coram eo procuratore monasterii comparente, pars adversa non venit, nec procuratorem pro se idoneum destinavit . . . Petente procuratore predicto partem alteram . . . in expensis factis a monasterio condempnari . . . dictus episcopus in sexaginta marcis argenti expensarum . . . prefatos episcopum et capitulum condempnavit, Quocirca mandamus, quatenus ad solutionem expensarum huiusmodi . . . dictos episcopum et capitulum . . . commoneatis, citantes postmodum partes ad nostram presentiam, et proximum festum nativitatis dominice terminum eis peremptorium prefigentes . . . Datum Laterani quarto nonas Julii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 13. Anni X. ep, 322. — THEINER. I. 69.)

LXXXVIII.

1226. Julius II.

III. Honorius pápa a váczi püspököt, a pilisi apátot és a pesti főesperest, a somogymegyei tizedek iránt a szent-mártoni apát és a veszprémi káptalan között fenforgó perben birákul rendeli.

Honorius episcopus, servus servorum Dei. Venerabili fratri . . . (Briccio) episcopo Waciensi, et dilectis filiis — abbati de Peles et — archidiacono Pestiensi Vesprimiensis et Waciensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum olim . . . (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia super questionibus motis ab eis contra Vesprimiense capitulum, super ecclesia sancti Salvatoris de Tord et quibusdam decimis de Simigiensi comitatu plene ipsis provenientibus, quas occasione ecclesie sancti Apollinaris idem capitulum dicitur usurpare, super quibusdam decimis coram dilecto filio nostro G(regorio) sancti Theodori diacono cardinale, tunc capellano felicis recordationis I(nnocentii) pape predecessoris nostri lis extitit apud sedem apostolicam taliter contestata, ut si capitulum exceptiones

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

suas, scilicet excommunicationis in personam abbatis et quod homines suos bobus et rebus aliis spoliaverit dictus abbas, posset probare legitimis litis contestationibus et valeret, nec non et super quibusdam aliis iniuriis adversus predictum capitulum, et causis quas haberent adversus quosdam alios, archidiaconum videlicet, rectores ecclesiarum et presbiteros ac populos comitatus prefati, et super quibusdam decimis et rebus aliis, ad diversos iudices diversas a sede apostolica comissivas litteras impetrarint, nec per eos super predictis, pro quibus sexdecim annis et amplius asserunt inutiliter laboratum, dicti abbas et conventus suam iustitiam potuerunt obtinere; nos de ipsorum et venerabilis fratris nostri (Roberti) Strigoniensis archiepiscopi tunc episcopi Vesprimiensis assensu tibi, frater Waciensis, et venerabili fratri nostro (Bartholomeo) Quinque ecclesiensi episcopo et — abbati de sancto Gothardo Georiensis diocesis super predictis omnibus sub certa forma negotium duximus committendum,[1] qui licet non processissent in causa, duo tamen ipsorum certis exceptionibus certum terminum peremptorium, videlicet festum sancte Pudentiane proxime preteritum partibus assignarunt, quo nostro . . . se conspectui presentarent. Comparente igitur parte monasterii et diutius expectante, tandem coram venerabili fratre nostro — Albanensi episcopo, quem dederamus parti monasterii auditorem, quidam pro Vesprimiensi duntaxat capitulo comparuit procurator, qui licet coram eodem auditore mandatum sufficiens ostendisset, et libellum super predictis et aliis ab alia parte recipiens contendisset aliquantulum cum eodem; ad ultimum tamen dicens, se nolle defendere capitulum supradictum coram dilecto filio magistro O. subdiacono et capellano nostro, quem eidem subrogavimus Albanensi, quasdam litteras pro parte capituli revocatorias sue procurationis ostendit, quibus cum iudicarentur esse suspecte, dictus procurator iuramento prestito fidem fecit litteris; et monasterii pars instarat, ut cum pars altera contumax existeret, quoad illas decimas, super quibus lis extitit contestata, deberet ad calculum sententie definiri, et super eisdem et super aliis, vel adiudicari sibi possessio, vel saltem contumaces ex parte altera in expensis prefatos rectores, sacerdotes et alios, pro quibus non respondit dictus procurator, absentibus incurrendis aggravari, facientes in iudicando, quod iuris et iustitie dictaret ordo observari. Itaque . . . mandamus, quatinus causam super predictis omnibus . . . si partes consenserint, etiam quoad exceptiones fine debito terminetis; alioquin eam ad nos sufficienter instructam ad proxime venturum festum nativitatis dominice remittatis, prefigendo partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui representent. . . . Quod si forte quocunque modo contigerit, ut coram vobis instrui causa non possit, vos quantum de iure poteritis procedentes, partes nichilominus ad eundem terminum ad nostram citetis presentiam . . . Quod si non omnes hiis exequendis potueritis

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Laterani, quinto Idus Julii, pontificatus nostri anno decimo.[1]

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában 45. capsa N. — WENZEL. I. 202.)

LXXXIX.

1227. Január 15.

III. Honorius pápa a fehérvári prépostot és Ipoly kanonokot megbízza, hogy Jánost, Margit görög császárné fiát, ha kötelezettségének megfelelni a boszniai patarénusok ellen harczolni, vonakodnék, arra egyházi büntetések alkalmazásával kényszerítsék.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Johanni nato nobilis mulieris Margarite, quondam imperatricis Constantinopolitane[2] salutem etc. Significavit nobis . . . (Ugolinus) archiepiscopus Colocensis, quod tu, ducentis marcis receptis ab eo, crucis te signaculo insignisti, contra hereticos de Bossina pugnaturus,[3] sed . . . contra dictos hereticos hactenus procedere non curasti . . . Nobilitatem tuam rogamus . . . mandantes, quatinus . . . contra memoratos hereticos, una cum predicto archiepiscopo procedas viriliter et potenter: . . . alioquin . . . (Corardo) preposito et magistro Ipolito canonico Albensibus Vesprimiensis diocesis damus . . . in mandatis, ut te ad complendum promissum . . . per censuram ecclesiasticam . . . compellant . . . Datum Laterani decimo octavo kalendas Februarii anno undecimo.

Et super hoc scribitur illis executoribus.

(Regesta Vaticana. Anni 11. Volumen 13. ep. 406. — THEINER. I. 72.)

---

[1] A szövegben tollhibából áll «octavo». Az oklevél ugyanis, mivel abban Róbert már esztergomi érseknek neveztetik, szükségkép 1226 márczius 13-ika előtt nem állíttathatott ki, 1227 julius 11-ikén pedig III. Honorius már nem élt többé.

[2] Margit, III. Béla leánya, Izsák görög császár neje.

[3] A Bosnyákországban elhatalmasodott patarenusok felekezetéről van szó.

XC.

1227. *Augusztus 20.*

IX. Gergely pápa a váczi és győri püspököknek, a pécsváradi apáttal, meghagyja, hogy a fehérvári káptalant a szent-mártoni apátsággal, Róbert veszprémi püspök előtt kötött egyesség megtartására késztessék.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus (Briccio) Waciensi et (Jacobo) Nitriensi episcopis et dilecto filio abbati Waradiensi Quinque-ecclesiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum causam que inter ipsos ex parte una, et . . . prepositum et canonicos Albenses diocesis Vesprimiensis ex altera, super quibusdam decimis et rebus aliis vertitur, bone memorie H(onorius) papa predecessor noster olim vobis duxerit committendam,[1] et processum fuerit in negotio coram vobis, taudem, de assensu vestro, in venerabilem fratrem nostrum (Robertum) archiepiscopum Strigoniensem, tunc Vesprimiensem episcopum et eius collegas sic extitit sub certa pena a partibus compromissum, ut si alterutra partium nollet arbitrium observare, ipsa solvente penam, procederetur in figura iudicii super negotio principali; et licet iidem arbitri ad arbitrandum processerint, et arbitrio ipsorum non fuerit per annum et amplius contradictum, illud tamen observare pars adversa recusat. Quare postularunt a nobis, ut iuxta formam compromissi, si predicti prepositus et canonici solvere penam quam arbitrio parere maluerint, procedi per vos in negotio mandaremus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos prepositum et canonicos ad observationem arbitrii, per penam in compromisso expressam, sicut est equum, appellatione remota cogatis. Quod si maluerint penam persolvere quam arbitrio prolato parere, in causa ipsa, iuxta priorum continentiam litterarum, servato priori processu iudicii, ratione previa, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo procedentes, infra annum ad nos remittatis causam sufficienter instructam, prefigendo partibus terminum peremptorium, quo cum omnibus munimentis et rationibus suis, per se vel procuratores idoneos, compareant coram nobis, iustam, auctore domino, sententiam recepture. . . . Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Anagnie decimo tertio kalendas Septembris, pontificatus nostri anno primo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 36 capsa, G. — WENZEL. I. 243.)

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

XCI.

1227. *Szeptember 15.*

IX. Gergely pápa a győri püspököt, káptalanának prépostjával és éneklőkanonokjával megbízza, hogy a szent-mártoni apáttól Róbert veszprémi püspök ellen indított perben bizonyos intézkedéseket tegyenek.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Gregorio) episcopo et dilectis filiis preposito et — cantori Georiensi salutem et apostolicam benedictionem . . . (Urias) abbas et conventus sancti Martini in Pannonia, sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum . . . (Robertus) archiepiscopus Strigoniensis, tunc Vesprimiensis episcopus, quandam eorum capellam cum suis hedificiis incendi fecerit, et monachos existentes ibidem bonis omnibus spoliari, et cum super hoc ad . . . (Ugolinum) Colocensem archiepiscopum et suos collegas apostolicas litteras impetrassent,[1] dictus Strigoniensis sedem apostolicam appellasset, sed appellationem suam non est infra tempus legitimum prosecutus . . . Mandamus, quatenus si est ita, negotium ad priores iudices remittatis; alioquin supersedentes eidem, condempnetis in expensis legitimis impetrantes. Quod si non omnes . . . tu frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris . . . Datum Anagnie decimo septimo kalendas Octobris pontificatus nostri anno primo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság Ievéltárában. 35. capsa, X. — WENZEL. I. 246.)

XCII.

1227. *Szeptember 16.*

IX. Gergely pápa Urias szent-mártoni apátnak a monostor elidegenített tizedei és birtokai visszaszerzése körül tett intézkedéseit jóváhagyja.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio (Urie) abbati sancti Martini de Pannonia salutem et apostolicam benedictionem. In nostra proposuisti nuper presencia constitutus,[1] quod . . . recuperasti . . . decimas quasdam a Simigiensi ecclesia, templariis et hospitalariis ac villis suis et Albensibus canonicis, in

[1] Urias apát az ezen pápai iratban megerősített rendelkezéseiről 1226-ban okiratot állított ki) (Fuxhofer-Czinár. I. 75), melynek nemcsak tartalmát, hanem szavait is a pápa átkölcsönzi.

Simigiensi comitatu existentibus atque latinis Albensibus populis Vesprimiensis episcopi et etiam a Bissenis; . . . redditus . . . ad mensam fratrum tuorum spectantes . . . restituisti et eis adiunxisti; proventibus ecclesiarum sancte Marie, sancti Wilibaldi, sancti Martini de Pannonia et sancti Martini de Keurishig; de Tepey et sancti Ladislai de Seliz ac omnium sanctorum de Temerd[1] luminaribus tui monasterii deputatis. Nos ergo . . . quod a te . . . factum est . . . confirmamus . . . Datum Anagnie decimo sexto kalendas Octobris pontificatus nostri anno primo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 18. capsa, V. — WENZEL. I. 247.

XCIII.

1228. April 29.

IX. Gergely pápa káplánját, Egyedet, kit Magyarországba követül küldött, megbízza, hogy a szent-mártoni monostor és a veszprémi káptalan között fenforgó perben biráskodjék.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Egidio subdiacono et capellano nostro salutem et apostolicam benedictionem. Ex insinuatione . . . (Urie) abbatis et conventus sancti Martini de Pannonia nobis innotuit, quod causas inter ipsos . . . et capitulum Vesprimiense . . . (que) super quibusdam decimis et ecclesia sancti salvatoris de villa Tord agitari noscuntur, . . . abbati de Boccon et coniudicibus suis . . . committentes,[2] eis mandavimus inter alia, ut si capitulum ipsum infra duos menses, post susceptionem litterarum nostrarum, exceptiones quasdam apud sedem apostolicam propositas non probaret, ex tunc in causis procederent supradictis, et ipsas, si de partium voluntate procederet, fine debito terminarent; alioquin usque ad festum proximum pentecostes ad nos remitterent sufficienter instructas, iniungentes partibus, ut coram nobis predicto termino comparerent . . . Cumque citate partes comparuerunt termino assignato, pars adversa, quod tertius predictorum iudicum absens erat et se per litteras excusabat, usque ad proxime preteritas octavas nativitatis domini petiit terminum prorogari. Et licet ipsi e contrario proponerent, quod cum a susceptione litterarum duos menses ad probandas exceptiones haberent, procedere super principali iudices ipsi debebant; nichilominus tamen illis contradicentibus . . . postulatum terminum parti alteri concesserint; in quo cum . . . pars adversa proponeret se adhuc habere duorum

[1] Ezen helyek közől a veszprémi egyházmegye (Somogymegye) területén feküdt: Kőröshegy (ma mezőváros), Tepej (ma már nem létezik, Somogyvár vidékén feküdt) és Seliz (ma Szent Jakab.)

[2] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

mensium spatium ad probandum exceptiones easdem, quia iudices interloquendo dixerunt, quod ab illo die usque ad duos menses futuros probare illas poterat, et noluerunt, humiliter requisiti, interlocutoriam huiusmodi, cum tempus ad hoc indultum effluxerit, revocare, iidem nostram audientiam appellarunt . . . Mandamus, quatinus si est ita, revocato in statum debitum quicquid post appellationem huius modi temere inveneris attemptatum, in principali, iuxta prioris mandati nostri tenorem previa ratione procedas . . . Ceterum cum supradicti iudices . . . ex malitia mandatum apostolicum minus diligenter executi dicantur, penam eorum, pro tanta culpa debitam, audientie nostre duximus reservandam. Datum Reate tertio kalendas Maii pontificatus nostri anno secundo.

(Egyik eredeti példánya a veszprémi káptalan (Decimæ Simigienses num. 1.) a másik a szent-mártoni főapátság levéltárában. — WENZEL. I. 253.)

XCIV.

1229. Julius 6.

IX. Gergely pápa magyarországi követe, Egyed, a szent-mártoni monostor és a fehérvári káptalan között fenforgó perben egyességet hoz létre.

Universis presentes litteras inspecturis Egidius domini pape subdiaconus et capellanus salutem in eo qui est vera salus. Cum de speciali mandato et auctoritate sedis apostolice inter U(riam) abbatem et conventum sancti Martini de Pannonia ex una parte et C(orardum) prepositum et capitulum Albensis ecclesie ex altera, super decimis possessionum canonicorum et populorum Albensis ecclesie in comitatu Simigiensi existentium; . . . coram nobis questio verteretur, post longas et multas disceptationes, ad multam instantiam et exhortationem nostram, talis . . . inter eos compositio intervenit: quod si prepositus et capitulum Albense possent ab Andrea illustri rege Ungarie obtinere, quod unum timinum salium, regalium in Posonio monasterio sancti Martini concedet annuatim, ut in privilegio Albensium continetur, sicut et sui antecessores lites inter ecclesias exortas talis donationis munificentia sepius sopiere, abbas et conventus sancti Martini a petitione omnium decimarum possessionum Albensis ecclesie et sancti Nycolai[1] . . . in comitatu Simigiensi . . . existentium perpetuo . . . discedent; . . . ita tamen quod predicti Albenses ponerent suis expensis dictum abbatem in possessione predictorum salium; et de nonaginta marcis et de omnibus, que occasione dictarum decimarum, abbas vel aliquis nomine monasterii sancti Martini aliquo tempore ab

[1] A szent Miklósról czímzett fehérvári prépostság.

Albensibus petierant, tam dictus abbas et conventus eiusdem, quam predicti prepositus et capitulum mandato et arbitrio nostro et magistri Manasses archidiaconi de Saswar . . . starent . . . Et tam abbas cum duobus monachis suis, in anima omnium monachorum suorum, quam prepositus, cum duobus canonicis suis, in anima omnium canonicorum Albensium promiserunt . . . observare omnia supradicta, prestito corporaliter iuramento. Cum igitur Albenses privilegium . . . impetrassent, et . . . pro dictis salibus . . . in nostra presentia, abbatem Sancti Martini in possessionem induci fecissent, de voluntate utriusque partis ita statuimus, . . . quod abbas et conventus sancti Martini . . . non habebunt a modo recursum ad ecclesiam Albensem pro sepedictis decimis, . . . sed pax erit super hoc facto perpetua inter ipsos. Item statuimus, quod omnes possessiones Albensis ecclesie . . . in comitatu Simigiensi usque ad tempora privilegii super hoc obtempti existentes, et in privilegio A(ndree) illustris regis Ungarie annotate, a solutione decimarum perpetuo sint immunes; si quas vero decimales de cetero Albenses . . . acquisierint, . . . decimas in posterum solvant . . . Item statuimus, quod Albenses non impediant abbatem et conventum sancti Martini . . . quominus . . . unum timinum salium regalium in Posonio . . . percipiat annuatim. Item statuimus, quod vinum prepositi et canonicorum et communitatis Albensis ecclesie et sancti Nycolai clericorum et populorum predictarum ecclesiarum . . . educatur; vinum vero emptitium nullus canonico rum vel populorum Albensis ecclesie educat . . . Item statuimus, quod si abbas et conventus sancti Martini, vel prepositus et capitulum Albense . . . contra tenorem dicti privilegii aliquid facerent, in penam quingentarum marcarum inciderent, et quecumque pars contra faceret, medietatem predicte pene ecclesie Romane solveret, et medietatem, parti arbitrium observanti . . . Actum est hoc in hospitali sancti Stephani regis in Strigonio, anno incarnacionis Christi millesimo ducentesimo vicesimo nono, pontificatus domini Gregorii noni pape anno tertio, mense Julio die sexta, indictione secunda.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 36. capsa, P. — WENZEL. I. 266.)

XCIII.

1230. April 19.

IX. Gergely pápa a bakonybéli apátságot a szent-szék pártfogása alá fogadja, javai, jövedelmei, jogai és kiváltságai birtokában megerősíti.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis (Martino) abbati monasterii sancti Mauricii in Bocon silva Pannoniorum siti, eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum . . . Vestris iustis

postulacionibus clementer annuimus et monasterium sancti Mauricii . . . sub beati Petri et nostram protectionem suscipimus . . . Quecumqe bona idem monasterium . . . possidet . . . firma vobis vestrisque successoribus . . . permaneant. In quibus hoc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, . . . ibidemque capella sancte Marie super rupem sancti Gerardi et super ortum Sorvul et Marie Magdalene.

In episcopatu Geuriensi capellam sancte crucis sub monte Manci, capellam omnium sanctorum in Cuppan.

In episcopatu Vesprimiensi capellam beati Marci evangeliste in Endred, capellam sancti Stephani regis in Borsot.[2]

In episcopatu Waradiensi capellam salvatoris mundi secus fluvium Krisium . . .

Omnium prediorum vestrorum et hospitum . . . nullus episcopus decimas exigere . . . presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos . . . ad conversionem recipere . . Crisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum . . . a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere; alioquin ad quem malueritis catholicum adeatis episcopum . . . Obeunte vero te, nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astucia seu violencia proponatur, nisi quem fratres . . . secundum . . . beati Benedicti regulam providerint eligendum . . . Nullus episcopus audeat in iam dicto monasterio, aut capellis eidem subiectis missas publicas celebrare, aut ordines facere, nisi ab abbate eiusdem loci fuerit invitatus, nec clericos aut presbiteros illius loci iudicare, excommunicare, aut ad sinodum vocare. Libertates quoque et immunitates a . . . Romanis pontificibus, . . . regibus et principibus, vel aliis fidelibus . . . vobis indultas . . . confirmamus . . . Datum Laterani . . . tercio decimo kalendas Maii . . . MCCXXX.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 49 capsa, Q. qu, qu. — WENZEL. I. 272.)

---

[1] Endréd ma is a szent Benedek-rend birtoka és plébánia.

[2] Ily nevű helylyel az oklevelekben nem találkozunk.

XCVI.

1230. *Julius 8.*

Egyed, pápai követ, a szent-mártoni apátság és a veszprémi káptalan között a somogymegyei tizedek tárgyában fenforgó perben itéletet hoz.

In Christi nomine Amen. Super causa, que inter abbatem et conventum sancti Martini de Pannonia ex una parte, et — prepositum et capitulum Vesprimiense ex altera vertitur, nos Egidius domini pape subdiaconus et capellanus litteras et mandatum domini pape recepimus in hunc modum: . . .[1]

Cumque auctoritate dicti mandati partibus ad nostram presentiam convocatis, abbas et conventus supradicti talem porrexerint libellum:

Nos abbas et conventus sancti Martini specificamus Vesprimiensi capitulo, salvo iure corrigendi, addendi et minuendi libellum super quibusdam decimis quarundam villarum integrarum, quarundam particularium, quas decimas nobis debitas violenter diripuit, nomine ecclesie sancti Apolinaris, que sita est iuxta monasterium Symigiense in villa magna, et habet parochianos suos pro se; sed ipsi Vesprimienses canonici a villis parrochianalibus aliarum ecclesiarum auferunt decimas nobis debitas, scilicet villarum Gerc, Mach, Sag, Beren, Almad, Wosian, Corthon, Faisci, Bard; que dicte ville ecclesias parrochianales pro se habent; preterea decimas villarum Chegl et Amach disturbare de novo ceperunt, quia dicte ville longius sunt, quam dieta una et ecclesias pro se habent, et respectu ecclesiarum illarum etiam decimas novalium a Sclavis provenientes nobis debitas et a nobis receptas a VII. annis retro, quia illi Sclavi non plures habent annos quam VIIII ex quo destruere et colere ceperunt silvas de Seliz, que silve semper a tempore sancti regis de apibus et porcis et aliis animalibus nobis persolvebant decimas; similiter repetimus de villa Chernech, que curia regalis fuit, sed modo donata est nobilibus, et decem villarum pertinentium ad eandem curiam et circum adiacentium, quarum villarum nomina sunt hec: In villa Morad XXVII mansiones; in villa Scub et altera Scub XL mansiones; in villa Kariag sunt XXV mansiones; in villa Bolchas sunt XXV mansiones; in villa Chycou sunt XXX mansiones; in villa Sycova sunt XV mansiones; in villa sancte Marie sunt XL mansiones; in villa Birzence sunt XL mansiones; in villa Baratala sunt XL mansiones; in villa Zunug sunt XVI mansiones; in curia Cyrnic sunt C et VII mansiones; in villa Boda sunt XXII mansiones; in villa Garab iuxta aquam CXIII mansiones; in villa Bolugd sunt

[1] L. XCI. szám alatt.

XXX mansiones; in villa Gregorfolva sunt VIII mansiones; in villa Coc sunt XX mansiones pulsatorum, primo pertinebant ad sanctum Martinum, modo persolvunt decimas Johanni archidiacono; in villa Curc XV mansiones; in villa Rechen XXXIII; in villa Mach XXXIII; in villa Egude XXXIII; in villa Lura XXV; in villa sancti Sixti XXII; in villa Kecil XXXV; in villa Amach XL, altera Amach XXV; in villa Rupul CCC mansiones Sclavonicorum; in villa Dedna XL mansiones Sclavonicorum; in villa Rengeusar sunt X. Ista sunt annumerata, salvo iure addendi, vel minuendi; et omne ius nostrum deducimus in iudicium, decimas nobis debitas, quas fraudulenter dirripiunt a nobis, dicas capetiarum in eis minus faciendo et recipiendo a singulis capetiis duos obulos, vel unum frisaticum, ut eis libentius et festinantius reddantur, et postquam receperint, decimatores eorum fugiendo recedunt et quandocunque eos invenerunt decimatores nostri ibi, ipsos verberari et spoliari fecerunt cum hominibus dictarum villarum, quia minus accipitur ab eis, ideo plus favent parti canonicorum, ita quod ecclesie nostre talia faciendo enorme dampnum faciunt, ad estimationem XXX marcarum singulis annis, et hoc facere inceperunt ab inceptione causarum; nam ante inceptionem causarum minus dampni, fere decimam partem faciebant; sed postquam incepta fuit causa, singulis annis, vel fere singulis mensibus exacerbaverunt et augmentaverunt violentiam suam contra ecclesiam nostram, et adhuc plus conantur. Inde est, quod supplicamus sanctitati vestre, ut inhibeatis eis, ne plus dampnare, vel gravare velint ecclesiam nostram, et precipiatis eisdem, ut iniuste a nobis ablata restituant. Item repetimus ab eisdem ecclesiam sancti Salvatoris[1] fundatam in fundo nostro ante curiam nostram, cum quarta parte decimationis parrochianorum eiusdem ecclesie, quod nobis debebatur et debetur, scilicet fructus temporales, quos habuimus a L annis retro, usque ad tempus Hemerici regis; et repetimus residentiam monachorum nostrorum habitam usque ad dictum tempus.

Demum de utriusque partis consensu attestationibus receptis et hinc inde rationibus plurimis propositis coram nobis compromiserunt in nos voluntarii sub hac forma:

In Christi nomine Amen. Abbas sancti Martini, de consensu conventus sui, et prepositus et custos Vesprimiensis, de consensu capituli sui, compromiserunt in magistrum Egidium, domini pape subdiaconum et capellanum, sub pena ducentarum marcarum argenti, super controversiam que vertitur inter ipsos, super quibusdam decimis comitatus Symigiensis, scilicet: super tribus partibus decimarum sancti Apolinaris, et super tribus partibus decimarum spectantium ad curiam de Chernech, super quibus attestationes sunt recepte; ita quod ipsi ratum habebunt, quidquid predictus magister Egidius, super hac causa a domino papa iudex dele-

[1] Tord.

gatus, sive amicabiliter tamquam arbitrator, sive tanquam iudex sententialiter ordinare, vel mandare voluerit. Item promiserunt sub eadem pena, quod in terminis et in aliis, que ad dictam causam pertinent, parebunt mandato ipsius, nec aliquo tempore in hiis, que ipse ordinaverit de predicta controversia, contradicent; et si aliqua pars contrafaceret, solvat penam supradictam parti arbitrium observanti, et nichilominus teneatur arbitrium observare. Item idem dominus de consilio bonorum virorum, cum quibus ipse deliberare voluerit, visis privilegiis, instrumentis, rationibus et attestationibus utriusque partis, et non facta copia ipsorum, partibus statuet, quod videbitur statuendum. Item de consensu utriusque partis data fuit sibi potestas addendi, minuendi, vel immutandi, secundum quod sibi visum fuerit sub eadem pena. Item in Letare Jerusalem[1] partes comparebunt coram eo, si fuerit Albe, vel Bude, vel Strigonii; alioquin in alio termino, quem ipse assignaverit suis litteris. Actum apud hospitale Albense quintodecimo Kal. Martii, pontificatus domini Gregorii pape noni anno secundo.[2] Et tenentur partes procurare, quod conventus sancti Martini et capitulum Vesprimiense ratum habebunt, quod supradictum est.

Nos igitur de consilio iurisperitorum, scilicet Ubaldi prepositi sancti Thome, magistri Helie prepositi sancti Laurentii, et magistri Manasses, archidiaconi de Saxwar, consiliariorum de voluntate utriusque partis ad consilium electorum, statuimus, et arbitrando pro bono pacis precipimus, sub pena ducentarum marcarum boni argenti in compromisso statuta, quod capitulum Vesprimiense, sine contradictione abbatis et conventus sancti Martini, recipiat in perpetuum decimas novem villarum, quarum nomina sunt hec: villa Orda, villa Thour, villa Berin, villa Alchi, villa Wosod, villa Almad, maior villa Berin, villa Mach et villa Sagu; et istis solis sit contentum. Monasterium vero sancti Martini sine contradictione capituli Vesprimiensis recipiat in perpetuum decimas de Appati et omnium aliarum villarum, qui in libello suprascripto plenius declarantur. Et hec omnia suprascripta statuimus et precipiendo mandamus ab utraque parte firmiter observari sub pena predicta, qua soluta hoc arbitrium in sua semper maneat firmitate. Pronunciatum fuit hoc arbitrium ab ipso magistro Egidio suprascripto apud hospitale sancti regis in Strigonio, in capella sancti Alexii. Presentibus Laurentio magistro predicti hospitalis, Everardo cellarario Pelisiensi, Gerardo priore sancte Marie de campis et fratre Bernardo, magistro Johanne, magistro Petro Ungaro, et magistro Bartholomeo clericis ipsius magistri Egidii, et Alberto eiusdem dapifero et monacho de Clus, et magistro Jacobo physcico, canonico sancti Thome Strigoniensis. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo die octavo Julio . . . exeunte, indictiove tercia, pontificatus domini Gregorii pape noni anno quarto.

(Egyik eredeti példánya a veszprémi káptalan (Decimæ Simigienses. 1.) a másik a szentmártoni főapátság levéltárában. 32. capsa, V. — WENZEL. I. 280.)

[1] Márczius 17-dikén.

[2] 1229 február 15.

A pápai iratban foglalt helynevek (betűrendben) magyarázata.

Alch, ma nem létezik. (Csánki. II. 586.)

Almad, ma nem létezik. (U. o.)

Amach, talán Andacs. (U. o.)

Apati. Három ilyen nevű somogymegyei hely fordul elő a középkori oklevelekben. (587.)

Sancti Apollinaris. Ilyen nevű hely a középkori oklevelekben nem fordul elő.

Baratala, talán Baráti. (589.)

Bard, Bárd, Kaposvártól délnyugatra. (590.)

Beren, Berény. Hat ilyen nevű somogymegyei hely fordul elő a középkori oklevelekben. (592.)

Berzencze, (593.)

Boda, talán Bodafalva vagy Bodófalva. (594.)

Bolchas, Bolhás, Nagy-Atád és Csurgó közt. (U. o.)

Bolugd, Balogd, puszta Nagy-Bajom határában. (589.)

Chege, Csege, puszta Bálványos közelében. (597.)

Chenek, *Chernek*, talán Csernekfalva, mely Kaposvár táján feküdt. (597.)

Chykou, talán Csicsó. (598.)

Coc. Meg nem határozhatjuk.

Corthou. L. a II. számú oklevélre tett 5. jegyzetet.

Curc. Meg nem határozhatjuk.

Cyrnic. Meg nem határozhatjuk.

Dedna, talán Denna. (600.)

Egude, talán Edde vagy Egsed. (602.)

Fajsci, Fajsz, Sárdtól éjszakra. (604.)

Garab, ma nem létezik. (607.)

Gerc, Gércse, ma nem létezik. (608.)

Gregorfalva, kétségkívül azonos a Sancti Gregorii plébániával, mely a pápai tizedlajstrom tanusága szerint a somogyi főesperességben létezett. (Ortvai. I. 304.)

Kariag, talán Karád (Csánki. 617.)

Kecil, Keczel. Ma puszta Kaposvár mellett. (618.)

Lura. Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

Mach, Macs. Ma már nem létezik. (626.)

S. Mariae villa, talán Mariad. Ma már nem létezik. (627.)

Morad, talán Marót. (627.)

Orda, Balaton-Csehi mellett. (633.)

Recsen. Meg nem határozhatjuk.

Rengeusar, Rengősár. Ma már nem létezik. (638.)

Rupul, Rupol, Ropoly. Ma puszta Gálosfa közelében. (639.)

Sagu, Ság. Három ilyen nevű hely volt Somogymegyében. (638.)

Seliz, Zselicz, a szent Jakabról czímzett monostor székhelye. Ma Szent-Jakab. (644.)

Scub talán Szobb.

S. Sixti villa. Meg nem határozhatjuk.

Sycovo, valószinűleg azonos a Sikva, Zsikva nevű helylyel. Ma Zsitva puszta, Nagy-Atád közelében. (658.)

Thour. Meg nem határozhatjuk.

Wosian. Meg nem határozhatjuk.

Wosod, Vasad. Ma puszta Öreg-Lak mellett. (655.)

Zunug. Meg nem határozhatjuk.

XCVII.

1231. *April 18.*

Egyed pápai követ előtt a szent-mártoni apátság és a veszprémi káptalan, a somogymegyei tizedek tárgyában egyességre lépnek.

Omnibus presentem paginam inspecturis Egidius domini pape subdyaconus et capellanus salutem in vero salvatore. Novit universitas vestra quod abbas et conventus sancti Martini de Pannonia in concambium ville Orda et ville Touri, quarum decimas preposito et capitulo Vesprimiensi adiudicaveramus,[1] dederint eisdem preposito et capitulo decimas aliarum villarum, videlicet Apaty, cum omni decimatione sua, . . . cum omnibus pertinenciis decimationum aliarum villarum, ad eandem villam Apaty pertinentium, que sunt parochiales ecclesie sancti Georgii, et similiter dederunt decimas villarum Gudoh, . . . que sunt parochiales ecclesie omnium sanctorum; ita tamen quod si suprema decimatione predictarum villarum Orda et Touri de decimis predictarum villarum compleri non possent, nos coram quibus super predictis causa vertebatur, de consensu et voluntate utriusque partis, venerabili abbati et archidiacono Symigiensibus duximus admittendum, quod suprema ipsa decimatione villarum per eosdem suppleantur; ipsis de censensu utriusque partis plenariam dantes potestatem quod predicta omnia taliter exequantur, quod ea effectui mancipentur, et dictis preposito et capitulo decimationes predictarum villarum . . . assignent, . . . in possessionem omnium predictorum plenarie inducentes . . . Et hec acta sunt . . . feria sexta post dominicam qua cantatur iubilate.

(Átírva a fehérvári káptalan XIV. századbeli okiratában, a veszprémi káptalan levéltárában. Decimæ comitatus Simigiensis n. 22.)

XCVIII.

1231. *April 24.*

IX. Gergely pápa a III. Incze pápától, a veszprémi püspökség és a szent-mártoni apátság között, a somogymegyei tizedek tárgyában létrehozott egyességet megerősíti.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis (Urie) abbati et conventui sancti Martini de Pannonia ordinis sancti Benedicti salutem et apostolicam

[1] Az 1230 július 18-ikán hozott itéletet érti. L. XCVI. szám alatt.

benedictionem . . . Vestris justis precibus inclinati, compositionem inter vos ex parte una et ecclesiam [1] Vesprimiensem ex altera, per . . . Innocentium papam . . , super quibusdam decimis in comitatu Simigiensi existentibus amicabiliter initam, [2] . . . confirmamus . . . Datum Laterani octavo kalendas Maii pontificatus nostri anno quinto.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 34. capsa, E. — WENZEL. I. 287.)

XCIX.

1231. Október 20.

IX. Gergely pápa a zirczi és somogyvári apátoknak, a zirczi perjellel, megbízást ád, hogy a szent-mártoni apátság és a fehérvári káptalan között fenforgó tized-perben itéljenek.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — de Boccon et — Simigiensi abbatibus et priori de Bocon Vesprimiensis diocesis salutem etc. — Exhibita nobis dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii sancti Martini de Pannonia petitio continebat, quod cum super causa, que inter ipsos ex parte una et prepositum et capitulum Albensis ecclesie super quibusdam decimationibus et arbitrio quodam super ipsis prolato ex altera vertebatur, post diversas commissiones ad dilectum filium (Egidium) subdiaconum et capellanum nostrum, tunc in Ungaria commorantem, nostras litteras impetrassent, demum ipse ac magister M(anasses) archidiaconus de Saswar, in quos utrinque tanquam in arbitros, procurante parte altera extitit compromissum, taliter arbitrati fuerunt, quod si dictus prepositus et capitulum obtinerent decem milia salium regalium que tenent in Posonio, a carissimo filio nostro (Andrea) illustri rege Ungarie ab ipso concedi monasterio memorato, ita quod in eodem loco ponerent suis expensis prefatos abbatem et conventum in possessionem salium predictorum, pars monasterii ab earundem decimationum petitione cessaret; [3] postmodum vero, licet sales ipsos dicto monasterio rex ipse per litteras suas concesserit, tamen prepositus et capitulum supradicti, nec in termino constituto, nec post illum et plures alios expectati, possessionem ipsorum salium dederunt eisdem, quamvis jamdictus abbas, prote tatione premissa, quod non erat

[1] Az «ecclesiam» szó a hártya megrepedése következtében olvashatatlan; de a közel egykorú «Liber ruber» nevezetű szent-mártoni chartulariumban található. WENZEL hibásan iktatta az «episcopus» szót; mert ha ez állott volna az eredetiben, meg kellett volna előznie a «venerabilis frater» szavaknak.

[2] L. XXXIV. szám alatt.

[3] L. a XCIV. szám alatt közlött pápai iratot.

in possessionem inductus ab eis, quinquaginta marcas frisaticorum,[1] pro redditu salium unius anni, precibus quorundam inductus et compulsus quibusdam minis et terroribus recepisset; cumque indulto adhuc ipsis anni spatio, inutiliter sicut prius duxerint expectandum, demum post querelas multiplices, vocem ad nos appellationis emisit, octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli proxime preteritas sibi terminum prefigendo, qui tandem in nostra presentia constitutus, humiliter supplicavit, ut cum iidem prepositus et capitulum conditioni non paruerint, que in arbitrio continetur; mandaremus, eo non obstante, de jam dictis decimationibus eidem monasterio integre responderi. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si vobis constiterit de premissis, cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur, predictum arbitrium et quicquid secutum est ex eo, vel ob id, absque more dispendio, auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, irritum decernatis; super decimis postmodum, dampnis et expensis, que hac occasione monasterium ipsum sustinuit, quod justum fuerit statuentes, et facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari . . . Datum Reate tercio decimo kalendas Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

(Regesta Vatic. Vol. 15. Anni V. ep. 151. THEINER. I. 99.)

C.

1231. November 11.

IX. Gergely pápa a győri püspököt, káptalana prépostjával és éneklőkanonokjával megbízza, hogy a pilisi apátot, ki a szent-mártoni apáttal kötött egyesség föltételeit megszegte, ezeknek megtartására kényszerítsék.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri (Gregorio) episcopo et dilectis filiis (Bulch) preposito et — cantori Jauriensi salutem et apostolicam benedictionem . . . (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia nobis conquerendo monstrarunt, quod orta olim inter ipsos . . . et abbatem et conventum Pellisiensem Vesprimiensis diocesis . . . super quibusdam decimis questione, demum in . . . Egidium subdiaconum et capellanum nostrum, tunc in Ungaria existentem, fuit hinc inde, tanquam in arbitrum, compromissum, qui equum inter partes arbitrium promulgavit,[2] quod supradictus abbas et conventus Pellisiensis observare . . .

[1] Frisachi pénzek.

[2] Az okirat, mely ezen egyességről állíttatott ki, nem maradt fönn.

contradicunt . . . Mandamus, quatinus ipsos ad eiusdem observationem arbitrii . . . per penam in compromisso expressam . . . cogatis. Quod si non omnes . . . tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Reate tertio idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 35. capsa, Aa. — WENZEL. I. 289.)

CI.

1232. Január 28.

IX. Gergely pápa III. Incze pápának a veszprémi püspök és a szent-mártoni monostor között fenforgott perben hozott ítéletét megerősíti.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis (Urie) abbati et conventui sancti Martini de Pannonia salutem etc. Cum in presentia nostra fili abbas constitutus . . . postularis, ut diffinitivam sententiam pro monasterio vestro, contra . . . (Bartholomeum) Vesprimiensem episcopum, super decimis comitatus Semigiensis . . . a . . . I(nnocentio) papa . . . prolatam, apostolico munimine roborantes, eam litteris nostris inseri mandaremus; . . . sententiam ipsam . . . communimus, tenorem cuius prout in regestro . . . noscitur contineri, presenti pagine . . . iussimus adnotari. Qui talis est[2] . . .

Datum Reate quinto kalendas Februarii pontificatus nostri anno quinto.

(Regesta Vatic. Volum. 15. Anni V. ep. 185. — THEINER. I. 100.)

CII.

1232. Julius 15.

IX. Gergely pápa a veszprémi püspököt fölhívja, hogy a szent-mártoni monostor és a somogyi főesperesség papjai között, tizedek tárgyában, létrejött egyesség foganatosításáról gondoskodjék.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Bartholomeo) episcopo Vesprimiensi salutem et apostolicam benedictionem . . . (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia nobis humiliter supplicarunt, ut compositionem, que inter ipsos ex parte una, et archidiaconum Simigiensem, rectores ecclesiarum

[1] L. XXXIV. szám alatt.

et presbiteros archidiaconatus ipsius . . . ex altera, super decimacionibus hominum condicionalium, propria cellaria et orrea habentium, in comitatu et archidiaconatu Simigiensi existentium, amicabiliter intervenit, observari per te inviolabiliter faceremus . . . Mandamus, quatenus compositionem eandem . . . facias . . . per censuram ecclesiasticam . . . observari. Alioquin . . . (Jacobo) Nitriensi episcopo et de Chut [1] et de Rabacuz archidiaconis Strigoniensis et Geuriensis diocesium . . . iniungimus, [2] ut te in executione mandati nostri cessante, ipsi illud . . . exequantur. Datum Spoleti idibus Julii pontificatus nostri anno sexto.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 39. capsa. U. — WENZEL. I. 300.)

CIII.

1232. Julius 23.

IX. Gergely pápa a zirczi és tihanyi apátokat, a rábaközi főesperessel megbízza, hogy a zágrábi püspök és a szent-mártoni apát között, a somogymegyei tizedek tárgyában létrejött egyességet hajtsák végre.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis de — Bochon et de — Tichon abbatibus et — archidiacono de Roba Vesprimiensis et Jauriensis diocesium salutem etc. Tempore . . . I(nnocentii) pape . . . (Urias) abbas sancti Martini de Pannonia ab episcopo et canonicis Zagrabiensis ecclesie . . . decimas frugum et aliarum rerum partis comitatus Simigiensis qui est ultra fluvium Dravam, nec non et capellarum sancti Barnabe,[2] sancte crucis [3] et sancte trinitatis,[4] existentium in Vesprimiensi diocesi citra Dravam . . . et omne ius suum in iudicium circa premissa deducens

---

[1] KNAUZ megjegyzi erre a helyre: «Archidiaconatum de Csut in diocesi Strigoniensi exstitisse hoc unicum est vestigium». Monumenta. I. 284. Habár ezen kérdés tárgyalása ettől az okirattártól távol áll, nem mulaszthatjuk el az esztergomi egyházmegye történetíróit az 1264 február 13-dikán kelt pápai iratra figyelmeztetni, a mely «archidiacono sancti Leustachii in ecclesia Strigoniensi» van intézve. Szent Eustáchról czímzett főesperesség létezéséről sem szólnak más történeti emlékek. Nem kevéssé meglepő, hogy míg 1232-ben *csuti* és 1264-ben *szent Eusztáchi* főesperessel találkozunk: ugyancsak 1264-ben IV. Béla a premontrei rend részére a *szent Eusztáchról czímzett csúti* prépostságot alapítja, azokból a birtokokból, a miket Nyitramegyében, a mai Érsekujvár vidékén, a kúnoktól, kihágásaik miatt, elvett. (BALICS. II. 2. 262.) Valószínű tehát, hogy a csúti és szent Eusztáchi főesperesség azonos volt, és Nyitramegyének az esztergomi érsekséghez tartozó területét foglalta magában. XIII. századbeli oklevelekben az esztergomi egyházhoz tartozó nyitrai főesperességgel nem találkozunk. (ORTVAI. I. 4.)

[2] A pápai tizedlajstrombau a somogyi főesperesség területén előfordul «De sancto Barlaba». Az 1556. évi dikális lajstromban pedig előfordul Szent-Borbás falu a Dráva mellett.

[3] [4] Szent-Keresztről és Szent-Háromságról nevezett plébániákkal a tizedlajstromban nem találkozunk.

. . . privilegium sancti Stephani regis, et confirmationes . . . Alexandri, Urbani et Clementis Romanorum pontificum, ad intentionem suam fundandam super principale produxit . . . Post longi temporis tractum . . . tandem ad apostolice sedis examen partes negotium reduxerant, cui finem sententia dare non potuit, eo quod litis contestationem legitimam acta iudicii non habebant . . . Partes . . . ad huiusmodi compositionem pervenerunt, videlicet quod abbas pro se ac monasterio decimas et omnia alia . . . ultra fluvium Dravam infra Zagrabiensem diocesim versus Sclavoniam episcopo et ecclesie Zagrabiensi . . . dimisit; . . . episcopus vero pro se ac ecclesia sua decimas quatuor capellarum, scilicet sancte Marie, sancte trinitatis, sancti Barnabe et sancte crucis versus Ungariam, et quicquid iuris in eisdem capellis habebat, abbati et monasterio memorato dimisit . . . Compositionem huiusmodi . . . gratam et ratam habentes, . . . mandamus quatenus . . . faciatis inviolabiliter observari . . . Datum Reate decimo kalendas Augusti pontificatus nostri anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volum. 16. Anni VI. ep. 47. — FEJÉR. III., I. 290. — THEINER. I. 105. — Ezen ügyben 1232 julius 24-dikén a zágrábi püspökhöz intézett pápai iratot, mely az egyességet megerősíti, kiadta TKALCIC Monumenta historica episcopatus Zagrabiensis. I. 73. — WENZEL. XI. 243.)

CIV.

1233. Szeptember 11.

Jakab, palestrinai bíbornok-püspök, pápai követ, a szent-mártoni apát és a somogymegyei papok között, a tizedek tárgyában, egyességet hoz létre.

Jacobus miseracione divina Prenestinus electus apostolice sedis legatus, universis presentes litteras inspecturis, salutem in domino . . . Cum inter fratrem Joancam, procuratorem Urie abbatis et conventus sancti Martini de sacro monte Pannonie ex una, et Berillum sacerdotem sancti Georgii de villa Joba,[1] procuratorem seu sindicum sacerdotum de Samard,[2] de Gan,[3] de Endred,[4] de Keurushig,[5] de

[1] Joba plébánia a pápai tizedlajstromban nem fordul elő. De előfordul a somogyi főesperesség plébániái között két «Sancti Georgii». Ezeknek egyike hihetőleg azonos a «sancti Georgii de Joba» plébániával.

[2] Ma Zamardi plébánia.

[3] Ma Ságvár fiókja.

[4] Ma Endréd plébánia.

[5] Köröshegy.

Zovlad,[1] de Cepel,[2] de Tur,[3] de Gomas,[4] de Chega,[5] de Kerali,[6] et de Joba, et ceterarum ecclesiarum, in comitatu Simigiensi existencium ex altera, questio in nostri presentia verteretur, questionis cuius tenor talis est:

Vobis domino J(acobo) Prenestino electo apostolice sedis legato conqueror, . . . ego Joanca procurator . . . abbatis et tocius conventus sancti Martini de Pannonia, et peto quod inhibeatis sacerdotibus in comitatu Simigiensi existentibus, . . . ut cessent ab exaccione cubulorum . . . ab hominibus cuiusvis condicionis, propria horrea et cellaria habentibus; . . . dampna autem que singuli eorum, singulis annis, ab octo annis infra, nobis fecerunt, extimamus quolibet anno, pro singulis eorum unam marcam argenti . . . Item petimus, quod faciatis nobis solvi, a singulis eorum, tres marcas argenti, in quibus fuerunt condempnati nobis a iudicibus delegatis, videlicet (Briccio) episcopo Waciensi et suis coniudicibus. Item petimus resarciri dampna, que racione huius facti passi sumus eundo ad Romanam curiam . . . in prosecucione huius cause, que omnia extimamus . . . septuaginta marcas.

. . . Posicionibus, confessionibus et allegationibus, ab utraque parte factis, placuit utrique parti a lite recedere et ad talem . . . concordiam devenire:

Ego Berillus sacerdos ecclesie sancti Georgii de Joba, procurator sacerdotum Simigiensium iuro in animam meam, . . . quod iurare faciam . . . predictos sacerdotes . . . quod nos non impediemus . . . quominus dominus abbas et conventus sancti Martini . . . ab omnibus hominibus . . . propria horrea et cellaria habentibus decimas . . . exigant iuxta morem; et . . . . quandocumque requisiti fuerimus . . . per interdictum ecclesie ad solucionem decimarum eosdem diligentius compellemus.

. . . In testimonium dicte composicionis presentes dedimus litteras . . . Actum Strigonii tercio idus Septembris anno gracie MCCXXXIII . . .

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 29. capsa I. — WENZEL. I. 312.)

---

[1] Ma Szolád plébánia.
[2] Ma Csepely, Karád fiókja.
[3] Ma Látrány fiókja.
[4] Ma Gamas plébánia.
[5] Ma Csege, Kőröshegy fiókja.
[6] Ma Rinya-Szent-Király, Görgeteg fiókja.

CV.

1233. *Szeptember 11.*

Bertalan veszprémi püspök, a pápai követ előtt, a szent-mártoni apáttól bepereltetvén, ezzel egyességre lép.

Universis presentes litteras inspecturis Bartholomeus, divina permissione Wesprimiensis episcopus salutem in domino . . . Cum venerabilis (Urias) abbas et conventus beati Martini de sacro monte Pannonie traheret nos in causam coram . . . J(acobo) Prenestino electo apostolice sedis legato, super capella de villa Samsou,[1] quam ipsi dicebant, quod nos ipsam fieri faciebamus in eorum preiudicium et gravamen . . . et iniuriam matricis ecclesie ipsorum in Keurushig, nos . . . promisimus viva voce, quod . . . illud ius habeant ipsi in capella iam dicta, quod in ipsa matrice ecclesia habere noscuntur . . . Actum anno domini millesimo CCXXX tercio, mense Septembris.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 26. capsa Bb. — WENZEL. I. 314.)

CVI.

1234. *Márczius 7.*

IX. Gergely Kálmán herczeget fölhivja, hogy a szent-mártoni monostortól elvett somogymegyei tizedeket bocsássa vissza.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Colomanno duci Sclavonie[2] salutem et apostolicam benedictionem. Significantibus . . . (Uria) abbate et conventu sancti Martini de Pannonia, . . . miramur, quod . . . tu quasdam decimas in comitatu Simigiensi, pertinentes ad ipsos . . . tuis usibus applicasti . . . Nobilitatem tuam monemus . . . mandantes, quatinus decimas ipsas . . . monasterio restituas memorato, et alias illud habeas propensius commendatum, ita quod dominum tibi reddas inde placatum . . . Datum Perusii nonas Martii pontificatus nostri anno octavo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 31. capsa M. (Két teljesen megegyező eredeti példányban). — WENZEL. I. 316.)

---

[1] Sámson, ma plébánia Somogymegyében.

[2] II. Endre fia, IV. Béla öcscse.

CVII.

1234. Márczius 8.

Jakab, palestrinai bíbornok-püspök, pápai követ, a szent-mártoni apátság és a székesfehérvári káptalan között fenforgó perben itéletet hoz, mely az Egyed, pápai követtől hozott itéletet részben megváltoztatja.

In nomine Domini amen. Cum dominus Urias abbas, Thomas custos, et Joancha monachi procuratores conventus sancti Martini de Pannonia ex parte una, et magister Marcus, canonicus et procurator ad hoc prepositi et capituli, Cosme quondam episcopi Geuriensis[1] et omnium canonicorum et clericorum Albensis ecclesie et sancti Nicolai hospitalis Albensis et sancti Herrici ecclesiarum ex altera, de bona voluntate compromiserint in nos Jacobum miseratione divina Prenestinum electum apostolice sedis legatum, et fratrem Enoch ordinis predicatorum et magistrum Saulum archidiaconum Nitriensem de omnibus questionibus, que vertebantur inter ipsos super decimis possessionum dicte Albensis ecclesie, et possessionum canonicorum et clericorum Albensium et possessionum sancti Nycholai, hospitalis Albensis et sancti Herrici,[2] nec non domini Cosme, episcopi quondam Geuriensis et aliarum capellarum ad ecclesiam Albensem pertinentium, sicut in privilegio domini A(ndree) regis, de quo fit mentio in arbitrio prolato per magistrum Egidium, domini pape subdiaconum et capellanum, continetur;[3] hoc scilicet modo, ut secundum formam predicti arbitrii lati per prefatum magistrum E(gidium) in arbitrando procederemus, habentes potestatem illud idem arbitrium mutandi, corrigendi . . . et declarandi . . .

Nos commissum nobis officium exequi cupientes, petitiones utriusque partis recepimus. Ex parte namque abbatis contra prepositum et canonicos Albenses nobis fuit porrecta petitio in hunc modum:

Vobis sancto patri ac domino J(acobo) Dei gratia electo Prenestino, apostolice sedis legato et in hac parte coarbitro, et vobis fratri Enoch ordinis predicatorum, et magistro Saulo archidiacono Nitriensi, eiusdem legati coarbitris, conquerimur nos abbas et conventus sancti Martini de sacro monte Pannonie, de preposito et capitulo Albensi, qui decimas monasterio beati Martini debitas . . . ad ipsos pertinentes, in Simigiensi comitatu existentes, contra iustitiam, detinent et solvere

---

[1] Kozma, 1219—1224 között fordul elő az oklevelekben mint győri püspök.
[2] Emerici.
[3] L. XCIV. szám alatt.

contradicunt. Item conquerimur de eisdem, quod populos suos, et ceteros ad ipsos confluentes . . . decimas solvere predicte ecclesie sancti Martini non permittunt. Item conquerimur de eisdem, qui de possessionibus ecclesie sancti Henrici, nec non sancti Nicholai hospitalis Albensis, ecclesiarum Albensium et de possessionibus et populis omnium capellarum ad ipsos Albenses pertinentium, decimas nobis solvere non permittunt. Unde super premissis omnibus iustitiam petimus exhiberi, et eisdem precipi . . . ne ulterius decimas nobis et ecclesie nostre subtrahant; et quod non prohibeant . . . quominus a supradictis omnibus decime integre nobis persolvantur. Item petimus restitui nos et ecclesiam nostram in possessionem vel quasi perceptionis decimarum omnium Cosme episcopi, quibus per prepositum et capitulum Albense sumus spoliati, petentes nobis fructus a decem annis infra perceptos, vel qui percipi potuerunt, vel eorum extimationem singulis annis quindecim marcas argenti. Item petimus de omnibus dampnis, que fecerunt et faciunt, dando sigillum indifferenter . . . exportantibus vinum tempore vindemiarum de comitatu Symigiensi et alias in suis ibidem hospitiis vinum retinentibus, in quo a viginti annis inrra, quolibet anno in quinquaginta marcis argenti, ecclesiam nostram dampnificarunt . . .: supplicantes, ut . . . inhibeatis eisdem, ne sigilla sua exportantibus vina seu retinentibus supradicto modo dare presumpmant, cum non ipsi, sed nos sigilla dare debeamus, in signum decimationis per nos facte, ne per nos, seu per alios possint impediri tanquam indecimata deferentes. Specialiter conquerentes dicimus, quod in anno proximo iam transacto, ultra quantitatem dampni predictam occasione sigilli indifferenter cuilibet concessi, in centum et quinquaginta tunellis vini dampnificati sumus per eosdem, super quo iustitiam petimus exhiberi. Item petimus nobis restitui fructus decimarum ab eisdem a quadriennio infra perceptos, vel qui percipi potuerunt, vel eorum extimationem, octoginta marcas argenti. Item petimus dampna et expensas occasione huius questionis factas, que et quas extimamus mille et trecentas marcas argenti. Item petimus expensas faciendas . . .

Ex parte vero Albensium contra abbatem et conventum sancti Martini de Pannonia porrecta nobis fuit petitio in hac forma:

A vobis, domino J(acobo) Prenestino electo, apostolice sedis legato et fratre Enoch, ordinis predicatorum, et magistro Saulo, archidiacono Nitriensi, arbitris communiter electis, petit Marcus procurator et canonicus Albensis, procuratorio nomine prepositi et capituli Albensis, quatenus condempnetis et compellatis abbatem s(ancti) M(artini) et conventum eius ad restitutionem omnium, que dictus abbas consequutus est per arbitrium latum a magistro Egidio, domini pape subdiacono et capellano, que sunt hec: videlicet centum et quindecim marce, et ad restitutionem privilegii domini regis, quatenus Albenses dari fecerunt super salibus regalibus in Posonio, quod ita fuit; et salium, quos ipsi Albenses percipere potuissent, quos extimant ducentas marcas, cum dictus abbas predictum arbitrium a partibus emologa-

tum et iuramento firmatum petierit irritari. Item petit mille et quingentas marcasi quas dictus abbas dictos prepositum et capitulum in multis causis et compositionibus contra iustitiam coegit expendere super decimis, quas a canonicis et populis Albensis ecclesie petiit in comitatu Symigiensi. Item petit penam centum marcarum pro eo, quod instrumenta omnia, secundum quod sibi mandatum fuerat sub eadem pena a magistro Egidio domini pape subdiacono et capellano et coarbitris, non resignavit, quibus nunc usus est coram vobis. Item petit, quod imponatur abbat, et conventui silentium imperpetuum super decimis canonicorum et populorum Albensis ecclesie in comitatu Symigiensi, cum nullum ius habeat in eisdem.

Lite igitur super predictis petitionibus contestata, utrinque receptis testibus . . . visis privilegiis . . . quia nobis constitit evidenter, decimas comitatus Symigiensis, de quibus pars monasterii sancti Martini in suprascripto libello rationem petiit, ad ipsum monasterium de iure spectare, et quia accepimus ex confessione procuratoris Albensis ecclesiam Albensem nichil aliud spirituale habere, quod posset dare monasterio sancti Martini in permutationem decimarum, quas ab Albensi ecclesia postulabat, nisi vicesimam decimarum comitatus eiusdem, quam ex donatione regia ad se spectare dicebant, que omnino erat insufficiens, ad permutationem decimarum, quas pars monasterii postulabat, . . . corrigentes in hac parte magistri Egidii arbitrium . . . pronuntiamus, . . . quod ecclesia Albensis et canonici eiusdem ecclesie, presertim Cosmas, quondam episcopus Geuriensis, de omnibus. . . possessionibus . . . ad ipsos pertinentibus, in Symigiensi comitatu existentibus, et de omnibus rebus, que decimari debent monasterio s(ancti) M(artini) de Pannonia, decimas integre . . . . persolvant. Arbitramur etiam . . . . quod non . . . impediant, . . . dicti Albenses, quominus de possessionibus et rebus, que decimari debent, ecclesiarum sancti Herrici et sancti Nicholai hospitalis Albensis et omnium capellarum et clericorum et populorum ad ipsam ecclesiam Albensem pertinentium existentibus in comitatu iam dicto, prefato monasterio, . . . decime integre persolvantur. Item arbitramur, . . . quod abbas et conventus monasterii prefati restituant Albensi ecclesie privilegia, vel privilegium domini regis, que vel quod Albenses ei dederunt, vel dari fecerunt super salibus regalibus in Posonio, in permutationem decimarum psarum, que fuit per sedem apostolicam irritata. Item in hoc arbitrium predicti magistri Egidii approbantes statuimus et laudamus, quod vinum prepositi et canonicorum et communitatis Albensis ecclesie et sancti Nicholai et clericorum predictarum ecclesiarum cum sigillo canonicorum Albensium ab uno ex canonicis dato et iurato quod fraudem non faciat, abbati s(ancti) M(artini) de alio vino asportando, et presente homine abbatis ac similiter iurato, quod malitiose non contradicat, educatur. Vinum vero emptitium nullus canonicorum, vel populorum Albensis ecclesie educat, nisi homini abbatis, si presens fuerit, et ire voluerit, verum venditorem assignet; si vero homo abbatis absens fuerit, vel presens ire noluerit, assignato venditore sacerdoti loci in presentia trium de melioribus hominibus ibidem cohabitantibus,

libere recedat. Ab aliis autem,[1] que continentur in petitionibus supradictis . . . partem utramque . . . absolvimus . . . Que omnia et singula precipimus ab utraque parte fieri et servari . . . sub pena centum marcarum in singulis commissa capituis, qua soluta parti arbitrium observanti, hoc nostrum arbitrium . . . perpetuo in sua maneat firmitate. Actum est hoc . . . arbitrium in Suprunio, presente domino Roberto archiepiscopo Strigoniensi, domino Johanne episcopo Bosnensi, Rombaldo magistro hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani Ungarie et Sclavonie, magistro Zoen lectore Bachiensi, magistro Renaldo archidiacono Pathensi et pluribus aliis clericis et magnatibus Ungarie . . . Anno . . . millesimo ducentesimo tricesimo quarto pontificatus domini Gregorii noni pape anno septimo mense Marcio, die octava indictione VII.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 33. capsa, X, V. — WENZEL. I. 324.)

CVIII.

1234. Márczius 19.

IX. Gergely a veszprémi és nyitrai püspököket, a pilisi apáttal, megbízza, hogy a Demeter veszprémmegyei nemes ellen, a pápai követtől kimondott kiközösítési ítéletet hirdessék ki.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus (Bartholomeo) Vesprimiensi et (Jacobo) Nitriensi episcopis et dilecto filio — abbati de Pelis Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum (Urie) abbatis et conventus sancti Martini fuit propositum coram nobis, quod cum ipsi Demetrium militem Vesprimiensis diocesis, super monasterio sancte Marie de monte Quizin[1] . . . ad ipsos spectante, quod idem D(emetrius) detinet occupatum, . . . coram . . . E(gidio) subdiacono et capellano nostro, tunc in Ungaria existente,[2] auctoritate apostolica traxissent in causam, idem capellanus, propter illius contumaciam, excommunicavit eundem; . . . sed dictus D(emetrius), eo contempto, in ipsa iam perstitit contumaciter per sex annos, prefatum monasterium per violentiam detinendo . . . Mandamus, quatinus, si est ita, eandem sententiam . . . publicantes, servari eam usque ad satisfactionem congruam . . . faciatis . . . Datum Perusii quartodecimo kalendas Aprilis pontificatus nostri anno octavo.

(Eredetije az országos levéltárában. — WENZEL. XI. 269.)

---

[1] Németujvár. (Güssing.)

[2] A fentebb közlött pápai iratok tanúsága szerint, 1228-ban küldetett Magyarországba.

CIX.

1234. Junius 21.

IX. Gergely pápa a fehérvári káptalan részére Jakab palestrinai püspöktől, a szent-szék követétől, megállapított szabályokat jóváhagyja.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis capitulo Albensi salutem etc. . . . Presentata siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum dilectus filius noster Jacobus Prenestinus electus, tunc in partibus Hungarie apostolice sedis legatus,[1] causa inquisitionis ad vestram ecclesiam accessit, idem, ipsius ecclesie pensatis facultatibus, eiusque prebendis maioribus et minoribus coequatis, duxit deliberatione provida statuendum, ut eadem ecclesia sit contenta quadragenario canonicorum numero, quorum sint decem et septem presbiteri, facientes in ipsa ecclesia residentiam personalem; mandans nihilominus, quod dicti canonici cappis nigris utantur in choro, amotis ex illa perpetuo clericis uxoratis; ibidem alia salubriter statuendo; ex quibus cum dicta ecclesia credatur et honorem et commodum perceptura, petiistis illa apostolico munimine roborari. Nos igitur vestris iustis precibus grato concurrentes assensu, quod per dictum electum super his factum est, et in ipsius litteris confectis[2] exinde plenius continetur, ratum habentes et firmum, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; nisi forsan in tantum eiusdem ecclesie facultates excreverint, quod in ea canonicorum numerus debeat merito augmentari, auctoritate sedis apostolice semper salva. Datum Reate undecima kalendas Julii anno octavo.

(Fejér, III., II. 387.)

---

[1] 1233—7 működött Magyarországban.
[2] Ez az okirat nem maradt fönn.

CX.

1235. Julius 23.

IX. Gergely a somogyvári és tihanyi apátokat, a tihanyi dékánnal, megbízza, hogy az egyházi kiközösítest, a mit a pápai követ bizonyos veszpremmegyei lakosok ellen, a monostor tagjain elkövetett erőszakosságok miatt kimondott, foganatosítsák.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — Simigiensi et — Tychoniensi abbatibus et decano Tychoniensi Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem . . , (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia nobis significare curarunt, quod cum olim ipsi Demetrium, Budou, Vrulou, Benedictum et alios homines de villa Vizha Vesprimiensis diocesis, coram . . . Egidio subdiacono et capellano nostro, de mandato nostro tunc in Ungaria commorante, super combustione capelle sancti Jacobi de Heremo, monasterio ipsi subiecte, et iniectione manuum violenta in monachos et conversos eiusdem, nec non dampnis et iniuriis irrogatis eisdem, traxisset in causam, idem capellanus in eos . . . excommunicationis sententiam promulgavit . . .; sed ipsi . . . in eadem excommunicationis sententia iam per sex annos dampnabiliter perstiterunt, nichilominus se divinis temere ingerendo . . . Mandamus, quatinus predictam excommunicationis sententiam . . . faciatis usque ad satisfactionem condignam . . . observari, et singulis diebus dominicis et festivis . . . excommunicatos publice nuntietis et faciatis ab omnibus arctius evitari, donec passis iniuriam satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi . . . Datum Perusii decimo kalendas Augusti pontificatus nostri anno nono.

(Átírva a következő szám alatt közlött oklevélben. — WENZEL. I. 334.)

CXI.

1235. szeptember táján.

A somogyvári és tihanyi apátok, a tihanyi dékánnal, a veszprémi püspököt fölhívják, hogy az egyházi kiközösítést, a mivel a pápai követ bizonyos veszprémi lakosokat sújtott, foganatosítsa.

Reverendo in Christo patri ac domino B(artholomeo) Dei gracia Vesprimiensi episcopo nos Simigiensis et Ticoniensis abbates et decanus Ticoniensis, executores

MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

a sumpmo Pontifice (delegati) orationes in domino. Noverit vestra paternitas nos litteras domini pape recepisse sub hac forma: [1]

Unde consulimus paternitatem vestram et hortamur, quatenus, sicut continetur in presentibus litteris faciatis inviolabiliter observari, et dictos excommunicatos et villam evitetis. Et hec omnia ut observetis, auctoritate qua fungimur precipimus, alioquin contra fautores, secundum quod ius dictaret, procederemus.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 40. capsa, X. — WENZEL. I. 343.)

CXII.

1235. Szeptember 26.

IX. Gergely pápa a pilisi és bélaforrási apátokat, a bácsi főesperessel, az esztergomi érsek és az aradi prépost között fenforgó perben birákul rendeli.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — de Pelis et — Bellifontis abbatibus et archidiacono Baciensi Vesprimiensis et Colocensis diocesium salutem etc. Significavit nobis (Albertus) prepositus Orodiensis, quod cum prepositura sua regalis existat, ad nos in spiritualibus pertinens pleno iure, . . . (Robertus) Strigoniensis archiepiscopus qui non est diocesanus vel metropolitanus ipsius, iurisdictionem sibi tam in eius persona quam dicta prepositura contendens, post appellationem ad nos interpositam, excommunicationis sententiam protulit in eundem. Quare humiliter supplicavit, ut eadem sententia relaxata, . . . providere salubriter super alio dignaremur. Quocirca precipiendo mandamus, quatenus ab ipso recepta idonea cautione, quod si apparuerit eum iuste ligatum, super hiis satisfaciat super quibus excommunicatus habetur, . . . impendatis eidem absolutionis beneficium ad cautelam, audituri postmodum que hinc inde proposita fuerint, causam sufficienter instructam nostro examini transmissuri, prefigendo partibus terminum competentem, quo . . . nostro se conspectui representent . . . Datum Assisii septimo kalendas Octobris pontificatus nostri anno nono.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni IX. ep. 242. — THEINER. I. 137.)

[1] L. a megelőző szám alatt.

CXIII.

1235. *November 17.*

IX. Gergely pápa a győri püspököt, a zirczi apátot és az aradi prépostot megbízza, hogy a kalocsai érsek ellen, mivel egy kiközösített világi urat pártfogása alá fogadott, a kellő rendszabályokat foganatosítsák.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Gregorio) episcopo Geuriensi et dilectis filiis — abbati de Bokon Cisterciensis ordinis et (Alberto) preposito (Orodiensi) Vesprimiensis et Cenadiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Significantibus . . . (Uria) abbate et conventu monasterii sancti Martini de Pannonia nobis innotuit, quod contra Fabianum militem Strigoniensis diocesis, super eo, quod ecclesiam sancti spiritus, terras . . . palatia et alias res ipsorum, contra iustitiam detinebat, . . . (Jacobus) Nitriensis episcopus eiusque college . . . excommunicationis sententiam mandaverunt usque satisfactionem servari condignam, et eum . . . arctius evitari; verum . . . (Ugolinus) Colocensis, archiepiscopus non solum non vitavit eundem, . . . verum predictam ecclesiam, ad desiderium illius . . . accedens, eiectis inde monachis et conversis, per violentiam spoliavit . . . Mandamus, quatinus quod iustum fuerit . . . statuatis . , . Datum Viterbii quintodecimo kalendas Decembris pontificatus nostri anno nono.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 53. Capsa H. h. — WENZEL. II. 30.)

CXIV.

1236. *Február 8.*

IX. Gergely pápa a pilisi apátságot a szent-szék pártfogása alá fogadja, és II. Endre király adományozását megerősíti.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati et conventui monasterii de Peleis in Ungaria Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis salutem etc . . . Personas vestras et locum [1] . . . sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem annuum redditum centum marcharum, quem dotis causa . . . A(ndreas)

[1] Ez a bulla a regesta-kötetbe csak rövid kivonatban van beiktatva. A «locum» után ez áll: «in modum protectionis usque suscipimus.»

rex Ungarie percipiendum in salibus . . . de Zolochi monasterio vestro, tempore dedicationis ipsius, pia liberalitate concessit . . . confirmamus . . . Datum Viterbii sexto idus Februarii pontificatus nostri anno nono.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni IX. ep. 376. — THEINER. I. 143.)

CXV.

1236. Junius 19.

IX. Gergely pápa a pécsváradi, tihanyi és ercsi apátokat megbízza, hogy a csanádmegyei bisztrai apát gyilkosai ellen a kiközösítés büntetését ünnepélyesen hirdessék ki, és a bűnrészességgel vádolt csanádi püspök ellen vizsgálatot indítsanak.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — Waradiensi, — de Thion [1] et — de Erte [2] abbatibus Quinqueecclesiensis et Vesprimiensis diocesis salutem etc. Turbata est anima nostra valde . . . super immanitate detestandi facinoris, quod quidam . . . familiares ut dicitur (Bulch) Cenadiensis episcopi in necem . . . — abbatis monasterii Bistriensis crudeliter perpetrarunt . . . Mandamus, quatenus predictos sacrilegos et omnes quorum ope scelus est huiusmodi perpetratum . . . faciatis . . . excommunicatos solemniter nuntiari, . . . loca etiam ad que ipsos devenire contigerit, quamdiu ibi fuerint, supponatis ecclesiastico interdicto . . . Quia in premissis excessibus eiusdem episcopi dicitur esse manus, volumus et mandamus, ut . . . de omnibus circumstantiis diligentissime inquirentes, que inveneritis, studeatis vestris litteris nobis fideliter intimare . . . Datum Interamni tertio decimo kalendas Julii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni X. ep. 126. — THEINER. I. 145.)

---

[1] Tihany.
[2] Ercsi.

CXVI.

1236. Augusztus 25.

IX. Gergely pápa a pecsi püspököt, a pécsváradi apátot és a veszprémi prépostot megbízza, hogy a váradi püspök-választás ügyében vizsgálatot indítsanak.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri (Bartholomeo) episcopo Quinqueecclesiensi, dilectis filiis abbati — Waradiensi Quinqueecclesiensis diocesis et (Henrico?) preposito Vesprimiensi salutem etc. Alexander et Johannes canonici Waradiensis ecclesie, suo et maioris ac sanioris partis capituli nomine, ut dicebant, in nostra presentia constituti, exposuerunt, quod cum ipsa ecclesia pastoris solatio destituta, iidem magistrum Primogenitum subdiaconum nostrum elegissent sibi canonice in pastorem, quidam de canonicis post electionem ipsam B(enedictum) lectorem Strigoniensem excommunicatum . . . eligere presumpserunt, idemque, electione sua, per quasdam litteras surrepticias confectas nomine capituli, per . . . (Ugolinum) Colocensem archiepiscopum . . . perperam confirmata, in eandem ecclesiam per laicalem potentiam faciens se intrudi, . . . iidem canonici ad nostram duxerunt audientiam appellandum, quorum appellatione contempta, . . . fuerunt bonis omnibus spoliati . . . Mandamus, quatenus . . . de veritate ac falsitate scripture premisse . . . sollicite cognoscentes, ac recipientes testes, quos idem P(rimogenitus) super spoliatione predicta produxerit coram vobis, que inveneritis ad nos . . . fideliter remittatis, prefixo partibus termino . . . quo . . . compareant coram nobis . . . Datum Reate octavo kalendas Septembris anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni X. ep. 208. — THEINER. I. 148.)

CXVII.

1236. Augusztus 28.

IX. Gergely pápa a pécsi püspököt, a pécsváradi apátot és a veszprémi prepostot megbízza, hogy Primogenitus váradi választott püspök részére a váradi püspökség jövedelmeiből százötven márka ezüstöt fizessenek ki.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri (Bartholomeo) episcopo Quinqueecclesiensi et dilectis filiis — abbati Waradiensi Quinqueecclesiensis diocesis et — preposito Vesprimiensi salutem etc. Cum dilecti filii nostri Th(eobaldus) . . . et

E(gidius) . . . cardinales, quos in causa electionis, que inter . . . Primogenitum subdiaconum nostrum et electores suos ad Waradiensem ecclesiam ex parte una et B(enedictum) Waradiensem episcopum ex altera vertitur, concessimus auditores, dicto Primogenito . . . dederint licentiam contrahendi debitum usque ad centum quinquaginta marcas boni argenti super bonis episcopi et ecclesie predictorum, . . . mandamus, quatenus subdiacono memorato vel eius creditoribus de prefata pecunia . . . de bonis episcopi et ecclesie predictorum . . . satisfieri faciatis . . . Datum Reate quinto kalendas Septembris anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni X. ep. 211. — THEINER. I. 142.)

CXVIII.

1236. Szeptember 3.

IX. Gergely pápa a vértesi és zsámbéki apátokat, az esztergomi Szent-Tamás prépostság prépostjával megbízza, hogy a csanádi prépostot és káptalant a szent-szék elé idézzék meg.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis de Wertes[1] et — de Zambo[2] abbatibus Vesprimiensis diocesis et — preposito sancti Thome Strigoniensis salutem etc. Ex parte conventus monasterii Bistriensis fuit propositum coram nobis, quod . . . prepositus et capitulum Cenadienses homines eius . . . indebitis exactionibus aggravantes, ipsis quia cupiditati non satisfaciunt eorundem, ecclesiastica denegari faciunt sacramenta . . . Mandamus, quatenus dictis preposito et capitulo prefigatis terminum . . . quo se nostro conspectui, per procuratorem idoneum representent . . . Datum Reate tertio nonas Septembris pontificatus nostri anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni X. ep, 216. — THEINER. I. 155.)

---

[1] A szent-keresztről czimzett vértesi apátság, a veszprémi egyházmegyében feküdt.

[2] Valószinüleg a zámi apát értetik. Arra nézve, hogy a zámi apátság hol feküdt, eltérők a vélemények, melyek Veszprém, Bihar és Szabolcs megyék között oszolnak meg. BALICS. II. 2. 255.

CXIX.

1237. Május 20.

IX. Gergely pápa a veszprémi püspököt, a zirczi apátot és a János-lovagok magyarországi perjelét megbízza, hogy a fehérvári prépostot a prépostságba helyezzék vissza.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri (Bartholomeo) episcopo Wesprimiensi, dilectis filiis abbati de Bochom, Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis et fratri R(embaldo) priori hospitalis Jerosolimitani in Ungaria salutem etc. . . . Mandamus, quatenus cum . . . (Jacobus) Prenestinus episcopus . . . vobis iniunxerit, ut Michaelem latorem presentium, ad Albensem preposituram, et ad ea que sunt prepositure annexa restituere procuretis, id exequi sine more dispendio studeatis, non obstante, quod olim Albensi capitulo per litteras nostras iniunximus,[1] ut eidem non intenderent quousque a nobis mandatum reciperent speciale . . . Datum Viterbii tertiodecimo kalendas Junii anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni XI. ep. 99. — THEINER, I. 154.)

CXX.

1237. Május 20.

IX. Gergely pápa a fehérvári káptalannak meghagyja, hogy a prépostságba visszahelyezett Miklós prépostnak engedelmeskedjék.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis capitulo Albensi Vesprimiensis diocesis salutem etc . . . Mandamus, quatenus cum a . . . B(artholomeo) Vesprimiensi episcopo et . . . — abbate de Bochom et fratre Rembaudo priore provinciali hospitalis Jerosolimitani in Ungaria . . . Michael lator presentium ad Albensem preposituram . . . fuerit restitutus, et ipsi vobis iniunxerint, ut intendatis eidem, id efficere sine more dispendio procuretis . . . Datum Viterbii tertiodecimo kalendas Junii anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni XI. ep. 98. — THEINER. I. 154.)

---

[1] Ezt a levelet nem birjuk.

CXXI.

1237. *Május 20.*

IX. Gergely pápa a zalavári, tihanyi és szekszárdi apátoknak meghagyja, hogy a veszprémi püspököt a római szent-szek elé megidézzék.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — sancti Adriani de Sala — de Ticha et de Sucksard abbatibus Vesprimiensis et Quinqueecclesiensis diocesis salutem etc. Abbas et conventus monasterii sancti salvatoris de Caparnuch ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, gravem ad nos transmisere querelam, quod . . . (Bartholomeus) Vesprimiensis episcopus . . . monasterium ipsum indebitis exactionibus aggravans et molestans, singulis annis unum equum ab eis, contra iustitiam, exigit, et quotiens vult in anno, visitationis vel alia de causa, ad monasterium idem accedens, trahensque moram ibidem cum personarum et evectionum multitudine effrenata, bona monasterii pro sua voluntate consumit, ita quod fratres in eo degentes vix habent unde valeant sustentari; et licet de laboribus eorum decimas accipiat ab eisdem, cogit eos tamen ad solvendum pecuniam pro decimis memoratis, alias eis gravis plurimum et iniuriosus existens. Quare iidem abbas et conventus huiusmodi gravamina non valentes ulterius tolerare, ad nostram audientiam appellarunt; et cum idem abbas iter arripuisset ad nostram presentiam veniendi, dictus episcopus in eos generaliter et specialiter in quosdam eorum excommunicationis sententiam promulgavit, et in liminibus prefati monasterii spinas in signum apposuit, ne quis illud causa orandi audeat intrare. Unde nobis lacrimabiliter supplicarunt, ut cum in partibus illis nequeant de pari contendere cum eodem, utpote qui post ipsum abbatem ad capiendum eum et carceri mancipandum armatos dicitur destinasse, propter quod ipsi abbati redire ad propria non est tutum, super hoc providere . . . curaremus . . . Mandamus quatenus, si est ita, eundem episcopum . . . peremptorie citare curetis, ut infra competentem terminum, quem ei duxeritis prefigendum, per se, vel per procuratorem idoneum, compareat coram nobis, facturus et recepturus super hiis quod iustitia svadebit . . . Datum Viterbii duodecimo kalendas Junii anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni XI. ep. 94. — THEINER. I. 154.)

CXXII.

1237. *Augusztus 27.*

IX. Gergely pápa a zirczi apátot, a János-lovagok perjelét és Lukács győri kanonokot megbízza, hogy a csanádi püspököt, a mennyiben szembaja miatt a főpásztori hivatal betöltésére alkalmatlannak találják, lemondásra késztessék.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati de Bochan Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis, R(embaudo) priori hospitalis Jerosolimitani in Ungaria et magistro Luce canonico Jauriensi salutem etc. Cum . . . (Bulch) Cenadiensis episcopus adeo sit infirmitate gravatus . . . quod ad exercendum officium pastorale pene penitus inutilis sit effectus, mandamus, quatenus, inquisita super his diligentius rei veritate, si rem inveneritis ita esse, ipsum ad cedendum monere attentius et inducere studeatis, eoque cedente recipiatis cessionem huiusmodi vice nostra, faciatis ei de bonis Cenadiensis ecclesie . . . provisionem congruam assignari, . . . et supersedere curetis de receptione testium, quam mandavimus vobis per alias litteras nostras faciendam[1], prefigentes capitulo Cenadiensis ecclesie terminum . . . infra quem, cum consilio vestro, sibi provideant per electionem canonicam de persona idonea in pastorem . . . Quod si dictus episcopus acquiescere vestre monitioni noluerit, vos ei coadiutorem in temporalibus et spiritualibus deputetis . . . Datum Viterbii quinto kalendas Septembris anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni XI. ep. 213. — THEINER. I. 158.)

CXXIII.

1237. *Szeptember 1.*

IX. Gergely pápa a zirczi apátot, a János-lovagok perjelét és Lukács győri kanonokot megbízza, hogy a csanádi püspök ellen vizsgálatot indítsanak.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati de Bochan Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis, Rembaudo priori hospitalis Jerosolimitani in Ungaria et magistro Luce canonico Jauriensi salutem etc. . . . Cum olim intellectis que (Bulch) Cenadiensis episcopus adversus — abbatem et monasterium Bistrienses dicebatur dampnabiliter commisisse, ipsum citari fecerimus peremptorie, ut coram

[1] L. CXV. szám alatt.

nobis certo termino compareret . . .[1] Verum cum dictus abbas miserabiliter fuerit interfectus, et in nece ipsius adesse manus iam dicti episcopi dicerentur, et propter hoc per . . . — Waradiensem abbatem et coiudices suos inquisitionem fieri fecerimus contra eum[2] quia fuit dictus procurator episcopi protestatus, quod posset si vellet obicere in dicta testium et personas; . . . iuxta formam iudicibus eisdem traditam, . . . faciatis . . . testes quos utraque pars ad reprobandum testes partis alterius duxerit producendos . . . examinetis prudenter, depositiones ipsorum . . . nobis fideliter transmissuri . . . Datum Viterbii kalendas Septembris pontificatus nostri anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 18. Anni XI. ep. 217. — THEINER. I. 158.)

CXXIV.

1238. Május 18.

IX. Gergely pápa a veszprémi püspök és a kapornoki monostor között létrejött egyességet megerősíti.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis (Andree?) abbati et conventui sancti salvatoris de Copurnoch ordinis sancti Benedicti Vesprimiensis diocesis salutem etc . . . Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum in causa que inter vos . . . et . . . (Bartholomeum) episcopum Vesprimiensem, . . . super eo videlicet, quod dictus episcopus iuribus episcopalibus in vestro monasterio non contentus, illud multipliciter aggravabat, accedendo scilicet illuc quotiescumque volebat in anno visitationis vel alia causa, et morando ibidem in monasterii sumptibus, cum personarum et evectionum multitudine effrenata, item quod extorquebat a vobis . . . equum et alia munera . . ., ac quibusdam aliis articulis vertebatur; . . . S(tephanum) sancte Marie in Transtiberim presbiterum cardinalem tibi, fili abbas, tam tuo quam vestro fili conventus nomine, ac Sebastiano canonico Vesprimiensi, procuratore dicti episcopi, apud sedem apostolicam constitutis, concessimus auditorem; tandem, eodem cardinale mediante, amicabilis inter partes compositio intervenit[3] . . . Nos . . . compositionem ipsam . . . confirmamus . . . Datum Laterani quintodecimo kalendas Junii pontificatus nostri anno duodecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 19. Anni XII. ep. 116. — THEINER. I. 163.)

---

[1] Ezt az oklevelet nem birjuk.
[2] L. a CXV. szám alatt.
[3] Az egyesség szövege az oklevélbe nincs fölvéve.

CXXV.

1238. Julius 28.

IX. Gergely pápa a zirczi apátot, a János-lovagok perjelét és Lukács soproni főesperest megbízza, hogy a csanádi püspök mellé alkalmas segédpüspököt rendeljenek.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati de Bochan Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis, Rembaudo magistro hospitalis Jerosolimitani in Ungaria et magistro Luce canonico Jauriensi salutem etc. . . . Vos, sicut nobis per vestras litteras intimastis, licet inveneritis eundem episcopum (Cenadiensem) pati tantum defectum luminis, quod inabilis sit ad pontificale officium exercendum, quia tamen ipsum alias non invenistis alias gravi infirmitate corporis laborare, ad executionem mandati nostri[1] procedere dubitastis. Ideoque mandamus, quatenus hoc non obstante . . . nisi ipse episcopus cedere velit, a vobis monitus diligenter, coadiutorem ei tam in spiritualibus quam in temporalibus idoneum deputetis . . . Datum Anagnie quinto kalendas Augusti anno duodecimo.

(Regesta Vaticana. Volum. 19. Anni XII. ep. 189. — THEINER. I. 164.)

CXXVI.

1240. Február 10.

IX. Gergely pápa a II. Endre király és a somogyvári monostor között létrejött egyességet megerősíti.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati et conventui Simigiensi ordinis sancti Benedicti Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod inter vos . . . et clare memorie Andream regem Ungarie . . . super quibusdam annuis mensuris vini, cibriones vulgariter appellatis, provenientis de vineis nove plantationis, sitis iuxta villam Enge, in terra capelle vestre de Marchia Quinqueecclesiensis diocesis, questione suborta, idem rex, comperto . . . quod dicte mensure vini . . . sibi solvi non debuerint . . . ipsas memorate capelle dimisit . . . Nos itaque . . . quod a dicto rege . . . factum est . . . confirmamus . . . Datum Laterani sexto idus Februarii anno terciodecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 19. Anni XIII. ep. 232. — THEINER. I. 173.)

---

[1] L. CXII. szám alatt.

CXXVII.

1240. *Február 18.*

IX. Gergely pápa a szent-mártoni apátság és a somogymegyei papság közt fenforgó tized-perben intézkedik.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis — de Bochon cisterciensis ordinis et — de Tuchon abbatibus et — priori de Bochon Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Exposuerunt nobis dilecti filii (Urias) abbas et conventus sancti Martini de Pannonia ordinis sancti Benedicti, quod cum inter ipsos ex parte una et sacerdotes comitatus Simigiensis, Vesprimiensis diocesis ex altera coram . . . (Jacobo) Prenestino episcopo tunc in partibus illis apostolice sedis legato[1] super quibusdam decimis questio verteretur, mediante tandem ipso episcopo amicabilis inter eos compositio intervenit, ad quam observandam dicti sacerdotes se iuramenti vinculo astrinxerunt; sed iidem contra iuramentum prestitum temere venientes compositionem ipsam observare recusant. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictos sacerdotes, ut compositionem eandem sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, ac in ipsius episcopi litteris dicitur plenius contineri, sicut tenentur observent, monitione premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani, duodecimo kalendas Martii, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 30. capsa, D. — WENZEL. II. 102.)

CXXVIII.

1240. *Márczius 29.*

IX. Gergely pápa a pilisi apátnak, a budai őrkanonoknak és a veszprémi prépostnak megbízást ád, hogy a fehérvári káptalanban kánoni vizsgálatot foganatosítsanak.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis (Johanni?) abbati de Pelis Cisterciensis ordinis, (Thome) thesaurario Budensi Vesprimiensis diocesis et (Henrico) pre-

[1] 1233—37 működött Magyarországban.

posito Vesprimiensi salutem etc. . . . Canonici Albensis ecclesie ad nos sua insinuatione clamarunt, quod Michael qui pro preposito se gerit ipsorum . . . Albensem ecclesiam peccatorum nigredine obscuravit; . . . iudicia quidem et beneficia ecclesiastica exponit venalia, illa pretii allegatione proferens, ista conferens intercessione mercedis, ad ecclesie quoque predicte bona temerarias manus extendens, ea, contradicentibus ipsis, dilapidando consumit; cancellariam . . . (Bele) illustris regis Hungarie, ad eandem ecclesiam pertinentem, alienare presumpsit, iuramenti de conservandis iuribus et libertatibus eius prestiti temerator; nonnullos etiam ipsius ecclesie servos, contemptis et irrequisitis prefatis canonicis de facto . . . libertati donavit, et adhuc eiusdem ecclesie detrahere dominio aliorum liberatione conatur; homines insuper ecclesie iamdicte, ut ab eis per iniuriam extorsionis excutiat ad quod iure debiti non tenentur, arcet compedibus, tamdiu cruciatibus torqueri faciens et cruciari tormentis, donec invite redemptionis acerbitas rigorem exulcerantis intendat, nec minus tamen in eos taliis, collectis et aliis exactionibus seviens, nequitie sue plenarie satisfacit; villam quoque ecclesie prefate destruxit, associatis multitudine armatorum, eiusdem villegvir inibus in offensam virginalis pudicitie violatis, et in contumeliam pudoris feminei, tractatis mulieribus impudenter; comitatus vero curialem et terrestres, iuramenti religione contempta, vendit in enormem ipsius ecclesie et hominum lesionem; et licet debitum pene sit, per excommunicationis vinculum, quo prepositus ipse tenetur, suis exigentibus culpis, in parte solutum, idem tamen ex huiusmodi solutione se artius obligans, divina, que sibi clavis interdixit ecclesie, ausu nefario quantum est in ipso prophanat, ab eorum communione amplius se interdicto precidens, dum in illud incidit per contemptum. Et ut brevis sermo texat telam prolixi narratus, si excessus eius seriose relationis textus exprimeret, et auditus enormitatum horrore stuperet, et olfatus, cum relatus ipse putore scelerum displiceret, infectus ære fetoris baiulo turbaretur. Quare prefati canonici suppliciter petierunt, . . . ut Albensi ecclesie condolentes . . . eius imminenti ruine, quam eiusdem prepositi sceleribus aggravata minatur, occurrere curaremus. Quia vero . . . cunctis tenemur ecclesiis cura diligenti prospicere, . . . mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam personaliter accedentes, . . . inquiratis super premissis, si super eis famam eiusdem prepositi inveneritis lesam, sollicite veritatem, et eam fideliter conscribentes sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam, sepedicto preposito terminum assignantes, quo se nostro conspectui personaliter representet, pro meritis recepturus Quod si prepositus idem super hiis non extiterit infamatus, cum Albensis ecclesia sedem apostolicam nullo respiciat mediante, ac ideo circa statum eius diligentiori sollertia nos oporteat vigilare, vice nostra tam in sepefato preposito quam in prenominatis canonicis visitationis exerceatis officium, corrigentes et reformantes que corrigenda et reformanda videritis in eisdem, rescribendo nobis si que forte fuerint, que vestro studio non poterunt reformari. Provideatis autem in utroque casu, ne interim propter dubium, litis eventum Albensis ecclesia

in spiritualibus et temporalibus dispendium aliquod patiatur . . . Datum Laterani quarto kalendas Aprilis anno decimoquarto.

(Regesta Vaticana. Volum. 20. Anni XIV. ep. 4. — THEINER. I. 175.)

CXXIX.

1240. April 2.

IX. Gergely pápa IV. Béla királynak a somogymegyei tizedek tárgyában tett rendelkezését megerősíti.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis (Urie) abbati et conventui sancti Martini de Pannonia ordinis sancti Benedicti Jauriensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Significastis siquidem nobis, quod cum vos decimas bladi, vini et quarundam aliarum rerum in comitatu Simigiensi perceperitis ab antiquo, carissimus in Christo filius noster (Bela) Ungarie rex illustris vicesimam partem decimarum ipsarum, quam inclite recordationis predecessores eius, vestri monasterii fundatores, percipere consveverant, duxit pia liberalitate ipsi monasterio relaxandam, prout in suis litteris inde confectis dicitur contineri. Vestris igitur precibus inclinati, quod super hoc a dicto rege pie ac provide factum est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani quarto nonas Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 32. capsa, S. — WENZEL. II. 103.)

CXXX.

1241. Február 7.

IX. Gergely pápa a pilisi apátot és magyarországi követét Civitellai Jánost megbízza, hogy a csanádi püspök mellé segédpüspököt rendeljenek.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati de Pelis Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis et J(ohanni) de Civitella subdiacono et capellano nostro salutem etc. Cum olim nostris auribus esset intimatum quod . . . (Bulch) Cenadiensis episcopus oculorum lumine esset destitutus, . . . super hoc (Rembaldo) magistro hospitalis, — abbati de Bachon et Luce canonico Jauriensi sub certa forma direximus scripta nostra;[1] verum . . . dictus magister et eius college, ipsum episcopum iniquo favore foventes, . . . in executione mandati . . . procedere neglexerunt . . . Mandamus, quatenus . . . si eum oculorum lumine destitutum, aut senio inveneritis sic esse confractum, coadiutorem idoneum adiungatis eidem . . . Datum Laterani septimo idus Februarii anno quartodecimo.

(Regesta Vaticana, Volum. 20. Anni XIV. ep. 219. — THEINER. I. 177.)

CXXXI.

1241. Február 12.

IX. Gergely pápa Civitellai Jánost, magyarországi követét, fölhatalmazza, hogy azokat, kik fogadalmat tettek, hogy a szent föld fölszabadítására mennek, a fogadalomtól föloldhassa, ha arra kötelezik magokat, hogy Frigyes császár ellen fegyvert fognak, és azt a pénzösszeget a mit a szentföldi út és táborozás igényelt volna, a szent-föld javára a pilisi apát kezeihez lefizetik.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Johanni de Civitella subdiacono et capellano nostro salutem etc. Cum tibi duxerimus iniungendum, ut contra Fridericum dictum imperatorem . . . in regno Ungarie verbum crucis proponeres, et nonnulli in dicto regno in terre sancte subsidium susceperint signum crucis, ex quo impedimentum non modicum tuo proposito generatur; . . . devotioni tue ut vota cruce signatorum ipsorum, in defensionem ecclesie, contra Fridericum eundem . . . commutare valeas,

[1] L. CXXV. szám alatt.

dummodo expensas quas facturi essent . . . in manibus tuis et . . . abbatis de Pelis . . . et Benedicti canonici Strigoniensis assignent, in defensionem huiusmodi transmittendas . . . Datum Laterani secundo idus Februarii anno quartodecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 20. Anni XIV. ep. 217. — THEINER. I. 178.)

CXXXII.

1241. Február 25.

IX. Gergely pápa magyarországi követét Civitellai Jánost megbízza, hogy a megválasztott fehérvári prépostot erősítse meg.

Gregorius episcopus etc. . . . dilecto filio Johanni de Civitella subdiacono et capellano nostro salutem et apostolicam benedictionem. Transmissa nobis capituli Albensis ecclesie, ad nos nullo medio pertinentis, petitio continebat, quod nuper Albensi prepositura vacante, ipsi, sicut moris est, a (Bela) rege Ungarie illustri petita licentia et obtenta, magistrum (Benedictum) Budensem prepositum, virum utique litteratum, providum et honestum, aule regie cancellarium . . . habita concessione venerabilis fratris nostri (Mathie) archiepiscopi Strigoniensis, a quo postularunt eundem, in Albensem prepositum elegerunt. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut cum dictus magister pro confirmationis munere obtinendo hoc tempore ad apostolicam sedem venire non possit, super hoc provide curaremus eidem. Quocirca mandamus, quatenus . . . si electionem ipsam inveneris de persona idonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica confirmare procures, ab ipso, nostro et Romane ecclesie nomine, iuramentum fidelitatis, sub forma quam sub bulla nostra tibi transmittimus, de verbo ad verbum, per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas, nobis fideliter per proprium nuncium, quam citius transmittere non postponas; alioquin ea cassata, facias ipsi ecclesie de persona idonea per electionem canonicam provideri. Datum Laterani quinto kalendas Martii pontificatus nostri anno quartodecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 20. Anni XIV. ep. 232. — FEJÉR. IV., I., 215.)

CXXXIII.

1241. Junius 17.

IX. Gergely pápa a fehérvári prépostot abban a kiváltságban részesíti, hogy őt, míg a tatárok Magyarországban időznek, senki perbe ne foghassa.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio B(enedicto) preposito ecclesie Albensis Vesprimiensis diocesis salutem etc. Cum peccatis exigentibus Tartari pro parte Ungariam occuparint, propter quod ipsius defensioni te intendere oportet, devotioni tue, ne super prepositura Albensis ecclesie ac suis iuribus, persecutione Tartarorum in Ungaria durante, auctoritate ordinaria seu apostolica in causam trahi valeas, presentibus indulgemus . . . . . Datum Laterani quintodecimo kalendas Julii anno quintodecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 20. Anni XV. ep. 77. — THEINER. I. 185.)

CXXXIV.

1241. Junius 29.

IX. Gergely pápa a veszprémi püspököt fölhatalmazza, hogy Germanus mestert, törvénytelen születése daczára pappá szentelhesse.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri (Bartholomeo) episcopo Vesprimiensi salutem etc. . . . Magister Germanus, clericus tue diocesis, in nostra constitutus presentia, nobis humiliter supplicavit, ut cum super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, cum ipso de mandato nostro, quod . . . in presbiteratum promoveri possit, sicut asserit, duxeris dispensandum, quod ecclesiasticum beneficium curam habens animarum annexam recipere valeat, dispensare . . . curaremus . . . Mandamus, quatenus . . . si inveneris, quod sit bone conversationis et vite, . . . cum eo, de cuius litterarum scientia et honestate morum laudabile nobis testimonium perhibetur, super hoc dispensare procures . . . Datum Laterani tertio kalendas Julii anno quinto decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 20. Anni XV. ep. 62. — THEINER. I. 183.

CXXXV.

1243. Julius 13.

IV. Incze pápa a fehérvári dominikánusok perjelét, míg Béla király udvaránál időz, a gyóntató-székben széleskörű hatalommal ruházza föl.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio — priori de ordine predicatorum Albensi in Ungaria salutem etc. . . . Ut in curia . . . regis Ungarie moraturus, fidelium Christi de Ungaria . . . confessiones audire, . . . nec non et illis . . . qui pro dampnis illatis ecclesiis, ac pro iniectione manuum in clericos . . . excommunicatione igati . . . ad te duxerint recurrendum, absolutionis beneficium . . . impertiri valeas, . . . concedimus facultatem . . . Datum Anagnie tercio idus Julii pontificatus nostri anno primo.

(Regesta. Vaticana. Volumen 21. Anni I. ep. 14. — THEINER. I. 186.)

CXXXVI.

1243. Julius 15.

IV. Incze pápa az esztergomi nagyprépostot, az esztergomi szent-György-mezei prépostot es a győri prépostot megbízza, hogy a kalocsai káptalantól érsekké megválasztott Benedek fehérvári prépostot, ha a választás ellen senki kifogást nem emel, erősítsék meg.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis (Achilli) maioris ecclesie et — sancti Georgii Strigoniensis et (Chepano) Geuriensi prepositis salutem etc. Vacante Colocensi ecclesia . . . capitulum ipsius . . . (Benedictum) prepositum Albensem in pastorem suum unanimiter . . . elegerunt . . . Mandamus, nisi contra ipsum prepositum aliquis contradictor appareat, . . . vos electionem de ipso factam . . . confirmetis . . . Datum Anagnie idibus Julii anno primo.

(Regesta Vaticana. Volumen 21. Anni I. ep. 19. — THEINER. I. 187.)

CXXXVII.

1244. Decz̨ember 20.

IV. Incze pápa az esztergomi érseknek, a nyitrai püspökkel és a pilisi apáttal, megbízást ád, hogy a veszprémi püspök és a szent-mártoni apátság között fenforgó perben biráskodjanak.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus (Stephano) archiepiscopo Strigoniensi et (Adamo) episcopo Nitriensi, et dilecto filio (Johanni) abbati de Pelis ordinis Cisterciensis Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum (Salamonis) abbatis et conventus monasterii de Pannonia ordinis sancti Benedicti nobis extitit intimatum, quod cum ipsi contra venerabilem fratrem nostrum episcopum et capitulum Vesprimiense, super ecclesia sancti salvatoris de Tordh Vesprimiensis diocesis, ad eorum monasterium pertinente, ad certos iudices apostolicas litteras impetrassent,[1] quorum nomina monachus eiusdem monasterii, quem iidem abbas et conventus pro suis negotiis ad sedem apostolicam destinarunt, se ignorare dicebat, cum litteris in quibus nomina continebantur eorum, et aliis rebus suis fuerit, veniendo ad sedem apostolicam, sicut asserit, spoliatus, et cum diutius coram eis in causa fuisset, litterarum ipsarnm auctoritate, processum, quia dicti iudices fuerunt a Tartaris interfecti, causa ipsa non potuit fine debito terminari. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, in causa ipsa, dictorum iudicum legitimo servato processu, ratione previa procedatis, iuxta priorum continentiam litterarum. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lugduni tertiodecimo kalendas Januarii pontificatus nostri anno secundo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 39 capsa, H. — WENZEL. II. 162.)

---

[1] Ez a pápai irat nem maradt tönn.

CXXXVIII.

1244. Deczember 20.

IV. Incze pápa az esztergomi érseket, a nyitrai püspököt és a pilisi apátot a szent-mártoni monostor és Demeter győrmegyei nemes között fenforgó perben birákul rendeli.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus (Stephano) archiepiscopo Strigoniensi et (Adamo) episcopo Nitriensi et dilecto filio (Johanni) abbati de Pelis ordinis cisterciensis Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte . . . (Salomonis) abbatis et conventus monasterii sancti Martini de Pannonia nobis extitit intimatum, quod cum ipsi contra nobilem virum Demetrium Jauriensis diocesis super quadam insula, que Obda vulgariter nuncupatur, ad certos iudices apostolicas litteras impetrassent, . . . et diutius coram eis in causa fuisset . . . processum, quia dicti iudices fuerunt a Tartaris interfecti, causa ipsa non potuit fine debito terminari. Quocirca . . . mandamus, quatinus, si est ita, in causa ipsa dictorum iudicum legitimo servato processu, ratione previa procedatis, iuxta priorum continentiam litterarum . . . Datum Lugduni decimo tertio kalendas Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 7. capsa, G. — WENZEL. II. 164.)

CXXXIX.

1244. Deczember 26.

IV. Incze pápa a fehérvári Szent-Miklós-káptalan prépostját fölhatalmazza, hogy a prepostság mellett még egy másik javadalmat is birhasson.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio S(maragdo) preposito ecclesie sancti Nicolai Albensis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Ut, cum prepositure ecclesie tue sancti Nicolai Albensis redditus sint adeo tenues et exiles, quod ex eis nequeas comode sustentari . . . recipere valeas aliud beneficium curam habens animarum annexam, . . . et una cum prepositura ipsa libere retinere . . . indulgemus . . . Datum Lugduni decimo septimo kalendas Januarii anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen 21. Anni II. ep. 34. — THEINER. I. 191.)

CXL.

1245. *Január 2.*

IV. Incze pápa az esztergomi érseket, a nyitrai püspököt és a pilisi apátot a szent-mártoni monostor és Nádasdi Miklós mester közt fenforgó perben birákul rendeli.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus (Stephano) archiepiscopo Strigoniensi et (Adamo) episcopo Nitriensi et dilecto filio (Johanni) abbati de Pelis ordinis Cisterciensium Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte . . . (Salomonis) abbati et sconventus monasterii sancti Martini de Pannonia . . . nobis extitit intimatum, quod cum ipsi contra magistrum Nicolaum, filium Nicolai de Nadosth et quosdam alios Vesprimiensis et Cunadiensis diocesis super villa, . . . Nelka[1] ad eorum monasterium pertinente, et rebus aliis ad certos iudices apostolicas litteras impetrassent, . . . et diutius coram eis . . . fuisset processum, quia dicti iudices fuerunt a Tartaris interfecti, causa ipsa non potuit fine debito terminari. Quocirca discretioni vestre . . . mandamus, quatenus, si est ita, in causa ipsa dictorum iudicum legitimo servato processu, ratione previa procedatis, iuxta priorum continentiam litterarum . . . Datum Lugduni quarto nonas Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 39. capsa, G. — WENZEL. II. 169.)

CXLI.

1245. *Február 28.*

IV. Incze pápa a kalocsai érseket, a pilisi és szent-gotthárdi apátokat megbízza, hogy Zeland veszprémi püspök megválasztása ügyében vizsgálatot indítsanak.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri (Benedicto) archiepiscopo Colocensi salutem etc. Ex parte (Bele) regis Hungarie illustris nobis est oblata querela, quod cum, de antiqua regni sui consuetudine hactenus pacifice observata, in electionibus pontificum consensus regius debeat postulari, canonici Vesprimiensis ecclesie, contra consuetudinem huiusmodi temere venientes, assensu eius, sicut debuit, minime requisito, qui commode requiri potuisset et de iure debebat, magistrum Zelandum,

[1] Nyalka.

eorum concanonicum, in Vesprimiensem episcopum elegerunt; quam electionem (Stephanus) archiepiscopus Strigoniensis. loci metropolitanus, post appellationem ad nos legitime interpositam, confirmavit; alias quoque tam ipse, quam alii prelati et clerici eiusdem regni, post vastitatem datam a Tartaris, iura et libertates ipsius regis pro sua diminuunt voluntate, in eius non modicum preiudicium et gravamen. Quia vero eiusdem regis gravamina, quem speciali prerogativa prosequimur, sustinere nolumus, nec debemus, cui potius ex tanto discrimine, quod pertulisse dinoscitur, paterno compacientes affectu, adesse in suis opportunitatibus proponimus et prodesse, . . . mandamus, quatenus requisita super premissis omnibus diligentius veritate, nobis, que inveneritis, fideliter rescribatis . . . Datum Lugduni secundo kalendas Martii pontificatus nostri anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volnmen 21. Anni II. ep. 331. — THEINER. I. 193.)

BÉKEFI. (A pilisi apátság története, 313) kőzöl PRAY kéziratgyűjteményének XIV. kötetéből egy 1245 april havában a kalocsai érsekhez, a pilisi és szent-gotthardi apátokhoz intézett pápai iratot, a melynek szövege az itt közlöttel szóról-szóra megegyez.

CXLII.

1245. Augusztus 8.

IV. Incze pápa a zirczi apátot és perjelt a veszprémi éneklő-kanonok és a kapornoki apátság között fenforgó perben bírákul rendeli.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati et — priori de Boccan Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Magistri Symonis cantoris ecclesie Vesprimiensis recepimus questionem, quod abbas et conventus sancti salvatoris de Copornuch Vesprimiensis diocesis quandam possessionem que vocatur Lanz,[1] ad ipsum cantorem de iure spectantem, detinsent et ei reddere contradicunt. Itaque discretioni vestre . . . mandamus, quatinus . . . causam, appellatione remota, fine debito decidatis . . . Datum Lugduni sexto idus Augusti pontificatus nostri anno tertio.

(Eredetije, pecsét nélkül, a veszprémi káptalan levéltárában. Láncz. num. 1.)

[1] Láncz.

CXLIII.

1245. Augusztus 27.

IV. Incze pápa a bakonybéli apátot, az esztergomi szent Tamás káptalan prépostját és az esztergomi főesperest a veszprémi püspök és a béla-forrási apátság közt fenforgó perben bírákul rendeli.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati de Bel Vesprimiensis diocesis et — preposito sancti Thome et — archidiacono Strigoniensi salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster (Zelandus) Vesprimiensis episcopus sua nobis exposuit questione, quod — abbas et conventus Bellifontis, Cisterciensis ordinis, Colocensis diocesis,[1] ecclesiam sancti Gerardi in minori Pest,[2] Vesprimiensis diocesis, ad ipsum episcopum de iure spectantem, contra iustitiam occuparunt et detineant occupatam in eius preiudicium et gravamen, super decimis et rebus aliis iniuriantes eidem. Ideo discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari . . . Datum Lugduni sexto kalendas Septembris pontificatus nostri anno tertio.

(Eredetije, pecséttel, a veszprémi káptalan levéltárában. Capsa 106. Decimæ Budenses. n. 1.)

CXLIV.

1245. Szeptember 26.

IV. Incze pápa a zirczi apátnak és perjelnek, a győri préposttal megbízást ád, hogy a veszprémi püspök és szent-mártoni apátság közt fenforgó joghatósági kérdésben biráskodjanak.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati et — priori de Boconio Vesprimiensis diocesis et — preposito Jauriensi salutem. Venerabilis frater noster (Zelandus) episcopus Vesprimiensis nobis conquerendo monstravit, quomodo abbas sancti Martini de Pannonia, eo irrequisito penitus et invito, quandam capel

[1] A béla-forrási apátságot, Péterváradon, IV. Béla 1237-ben alapította. *Rupp.* III. 27. Az apátságnak Buda vidékén is voltak birtokai.

[2] A szent Gellért tiszteletére emelt budai templom. *Rupp.* Buda és Pest.



1245. IV. INCZE PÁPA BULLÁJA. (CXLIII. SZÁM ALATT.)

lam in villa que Higmogos[1] vulgariter appellatur, lege sibi diocesana subiecta, de novo, temeritate propria, construxit. Ideo discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio aut timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum nihilominus exequantur. Datum Lugduni sexto kalendas Octobris pontificatus nostri anno tertio.

(Eredeti példánya után 1821-ben közölte HORVÁTH: Egyházi értekezések. III. 178. — FEJÉR. IV., I. 368.)

CXLV.

1246. Julius 20.

IV. Incze pápa a szent-mártoni apátot, a veszprémi főesperest és a győri őr-kanonokokat megbízza, hogy a boszniai püspökségnek a kalocsai érsekség alá rendelése kérdésében jelentést tegyenek.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis (Salomoni) abbati sancti Martini de sacro monte Pannonie, archidiacono et — thesaurario ecclesie Vesprimiensis et Jauriensis diocesium salutem etc. Ex parte . . . (Pousa) Bosnensis episcopi fuit propositum coram nobis, quod cum dudum ecclesia Bosnensi vacante, . . . Ragusiensis archiepiscopus, eo tempore ipsius ecclesie metropolitanus, ibidem quendam hereticum in episcopum prefecisset, . . . bone memorie J(acobus) Penestrinus episcopus, tunc in illis partibus apostolice sedis legatus, . . . Bosnensem ecclesiam Ragusiensi ecclesie . . . subtrahens, ab eius subiectione . . . exemit . . . Cum eadem terra purgari pravitate predicta nequeat sine magno auxilio ecclesie Colocensis . . . prefatus episcopus, et etiam . . . (Bela) rex Ungarie illustris . . . supplicarunt, ut predictam Bosnensem ecclesiam eidem Colocens ecclesiei subicere . . . curaremus . . . Mandamus, quatenus super hiis inquiratis diligenter rei veritatem, et quod inveneritis nobis fideliter rescribatis . . . Datum Lugduni terciodecimo kalendas Augusti anno quarto.

(Regesta Vaticana. Volumen. 21. Anni IV. ep. 39. — THEINER. I. 201.)

[1] Hegymagas, ma Tapolcza fiókja.

CXLVI.

1246. Augusztus 13.

IV. Incze pápa a zirczi monostor apátját és dékánját a veszprémi püspök es a szent-mártoni apát között fenforgó perben birákul rendeli.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati et — priori de Baconio Vesprimiensis diocesis salutem etc. Querelam venerabilis fratris nostri (Bartholomei) episcopi Vesprimiensis continentem, quod (Salomon) abbas (et conventus) sancti Martini de Pannonia quasdam capellas sue diocesis, ad ipsum de iure pertinentes, tam incendio, quam alias ausu sacrilego destruentes, presbiteros subiectos ipsi episcopo trahunt temere ad iudicium seculare, ipsos, quia, prout nec debent, litigare in seculari iudicio eisque obedire recusant, violenter capiunt et capi faciunt, ac ligatos duci turpiter iuxta equos, in ordinis clericalis obprobrium, et in eiusdem quoque episcopi preiudicium et contemptum; iidem quoque sancti salvatoris de Turd et sancti Martini de Keureshyg et quorundam aliorum ecclesias et capellas, ad ipsum episcopum de iure spectantes, contra iustitiam detinent occupatas; ecclesias alias in sua diocesi, absque ipsius consensu, temeritate propria construentes. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lugduni idibus Augusti pontificatus nostri anno tertio.

(Eredetije a veszprémi káptalan levéltárában. — FEJÉR. IX., VII. 660.)

CXLVII.

1247. Augusztus 7.

IV. Incze pápa a pilisi apátot és perjelt, úgy szintén az egri prépostot, az esztergomi érsek és a szent-mártoni apát között fenforgó perben birákul rendeli.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis (Johanni) abbati et — priori de Pelys, Cisterciensis ordinis, Vesprimiensis diocesis, et (Nicolao) preposito ecclesie Agriensis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte . . . (Stephani) archiepiscopi Strigoniensis nobis est oblata querela, quod cum ipse ac predecessores eius consueverint in monasterio sancti Martini de Pannonia, . . . tanquam

metropolitanus, processionaliter recipi et in eodem monasterio cum palleo celebrare; (Salamon) abbas et conventus ipsius monasterii, spiritu rebellionis assumpto, ei super hoc iniuriosi existunt plurimum et molesti. Volentes igitur, ut corrigant excessum huiusmodi per se ipsos, dictos abbatem et conventum rogandos duximus . . . ut eundem archiepiscopum, cum ad eorum monasterium accesserit, . . . processionaliter admittentes, eum ibidem cum palleo libere celebrare permittant. Quocirca . . . mandamus, quatinus si dicti abbas et conventus mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos partibus convocatis. audiatis causam, et appellatione remota, fine canonico terminetis . . . Datum Lugduni, septimo idus Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

(Eredetije a prímási világi levéltárban. — KNAUZ. I. 368.)

CXLVIII.

1247. Augusztus 26.

IV. Incze pápa a győri püspököt, az egresi apátot és a fehérvári dominikánusok perjelét megbízza, hogy a boszniai püspökségnek a kalocsai érsekség alá rendelése kérdésében jelentést tegyenek.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri (Astolpho) episcopo Jauriensi et dilectis filiis — abbati de Egres Cisterciensis ordinis ac — priori predicatorum Albensis Cenadiensis et Vesprimiensis diocesium salutem etc. Ex parte . . . (Benedicti) archiepiscopi Colocensis et (Pousa) episcopi Bosnensis fuit propositum coram nobis, quod . . . diocesis Bosnensis, que ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinet, totaliter lapsa sit . . . in perfidiam heretice pravitatis . . . Quare . . . supplicarunt, ut cum . . . Colocensis ecclesia, per cuius . . . auxilium reduci speratur ad unitatem ecclesie, non parum in prosecutione ipsius negotii sit exhausta, eandem Bosnensem ecclesiam ei subicere curaremus . . . Mandamus, quatinus, si rem . . . inveneritis ita esse, predictam Bosnensem ecclesiam . . . subiciatis . . . Colocensi ecclesie . . . Datum Lugduni septimo kalendas Septembris anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 21. Anni V. ep. 155. — THEINER. I. 204.)

CXLIX.

1247. *Szeptember 27.*

IV. Incze pápa a pilisi, szent-mártoni és dombói apátokat megbízza, hogy a kalocsai érsekség és a pécsi püspökség területe között a határokat igazítsák ki.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis (Johanni) de Pelis et (Salomoni) sancti Martini et — sancti Georgii de Domo[1] sancti Benedicti ordinis abbatibus Vesprimiensis, Jauriensis et Colocensis diocesium salutem etc. Cum . . . Colocensis diocesis ex parte diocesis Quinqueecclesiensis, cui est contigua, non habeat certos fines, . . . mandamus, quatinus . . . si easdem dioceses inveneritis fuisse aliquo tempore limitatas, predictos archiepiscopum et episcopum antiquis terminis . . . faciatis . . . manere contentos; . . . alioquin easdem dioceses . . . limitetis. Datum Lugduni quinto kalendas Octobris anno quinto.

(Regesta Vaticana. Volumen 21. Anni V. ep. 213. — THEINER. I. 205.)

CL.

1248. *Augusztus 18.*

IV. Incze pápa az esztergomi prépostot megbízza, hogy a veszprémi püspöknek a püspökséghez tartozó javak és jövedelmek erőszakos lefoglalása tárgyában előterjesztett panaszát vizsgálja meg, és igazságot szolgáltasson.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio — preposito ecclesie Strigoniensis salutem et apostolicam benedictionem. Querelam venerabilis fratris nostri (Bartholomei) episcopi Vesprimiensis recepimus continentem, quod (Farcasius) prepositus et capitulum Albense, magister et fratres domorum sancti Stephani regis de Strigonio et de Calidis aquis iuxta Budam, nobiles viri[2] . . . et Paulus Oth comites, et quidam alii clerici et laici Strigoniensis et Vesprimiensis civitatuum et diocesium, super ecclesia beate Marie de novo monte Budensi, ad eundem episcopum pleno iure spectante, decimis, terris, redditibus debitis, possessionibus et tributis fori Albensis et rebus aliis iniuriantur eidem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis, audias causam et appellatione

[1] Dombo.
[2] Három szó olvashatatlan.

remota debito fine decidas, . . . proviso, ne in terras dictorum nobilium excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi a nobis super hoc mandatum receperis speciale . . . . Datum Lugduni quintodecimo kalendas Septembris pontificatus nostri anno sexto.

(Eredetije, pecsét nélkül, a veszprémi káptalan levéltárában. Capsa 106. Decimae Budenses n. 2.)

CLI.

1248. Október 1.

IV. Incze pápa a csanádi püspököt, a szerémi püspököt és a pilisi apátot megbízza, hogy a zágrábi püspök-választás ügyében vizsgálatot indítsanak.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Bulch) Cenadiensi et (Oliverio) Sirmiensi episcopis et dilecto filio (Johanni) abbati de Pelis Cisterciensis ordinis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Albertus archidiaconus Zagrabiensis ecclesie, in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum capitulum eiusdem ecclesie pastore vacantis, haberent de pontificis substitutione tractatum, . . . sciens nonnullos de ipso capitulo fore maioris excommunicationis sententia innodatos . . . eos . . . admonuit, ne iidem . . . deberent ad eligendum admitti; sed ipsi . . . eundem archidiaconum de capitulo turpiter eiecerunt, . . . post appellationem ipsius . . . ad sedem apostolicam interiectam, . . . Philippum . . . regine Ungarie cancellarium, patientem in etate defectum . . . eligere . . . presumpserunt . . . Mandamus, quatenus . . . inquisita . . . veritate, quod canonicum fuerit, si de partium voluntate processerit, . . . decernatis . . .; alioquin causam sufficienter instructam ad apostolice sedis remittatis examen . . . . Datum Lugduni kalendas Octobris anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volum. 21. Anni VI. ep. 177. — THEINER. I. 207.)

CLII.

1249. Márczius 18.

IV. Incze pápa a fehérvári káptalani templomnak búcsút engedélyez.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis (Farcasio) preposito et capitulo ecclesie Albensis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Cum . . . vobis duxerimus indulgendum, ut in festivitatibus beate virginis Marie . . . nec non sanctorum regum, quorum inibi corpora requiescunt, festivitatibus, valeatis omnibus vere penitenti-

bus et confessis, ad ecclesiam ipsam cum devotione accedentibus, quadraginta dierum indulgentiam elargiri;[1] . . . volumus huiusmodi gratiam ad nativitatis domini, resurrectionis eiusdem, pentecostes et apostolorum omnium festivitates, circa ecclesie vestre et ecclesiarum vobis subiectarum parrochianos extendi. Datum Lugduni quintodecimo kalendas Aprilis anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volumen 21. Anni VI. ep. 424. — THEINER. I. 207.)

CLIII.

1250. *Julius 9.*

IV. Incze pápa a fehérvári káptalant fölhatalmazza, hogy az elidegenített házakat és jogokat visszakövetelhesse.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis (Farcasio) preposito et capitulo Albensi Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Ex parte quidem vestra fuit propositum coram nobis, quod cum . . . (Bela) rex Ungarie illustris, post recessum Tartarorum de partibus vestris, habitatores suburbii castri Albensis in idem castrum transferri fecisset, ut tutius et fortius propter multitudinem populi redderetur, habitatores ipsi prepositi et Sancti Henrici nec non canonicorum palatia cum curiis eorundem ac terram arabilem et etiam que est in eodem suburbio, in qua multi conditionales ac hospites vestre ecclesie morabantur, sibi conferri ab eodem rege, ac remitti omnino tributum fori, quod eadem habebat ecclesia, in ipsius ecclesie grave preiudicium procurarunt. Et licet predictis regi et habitatoribus aliquandiu super hiis duxeritis resistendum, propter indignationem tamen ipsius regis, oportuit vos tandem vestrum in hoc prebere assensum, et etiam concedere inde litteras quodammodo violenter. Quare nobis humiliter supplicastis, ut eidem ecclesiae super recuperandis predictis, . . . providere paterna diligentia curaremus. Nos igitur . . . vobis et successoribus vestris revocandi predicta, cum facultatem habueritis, ad ius et proprietatem ipsius ecclesie . . . plenam concedimus auctoritate presentium facultatem . . . Datum Lugduni septimo idus Julii, anno octavo.

(Regesta Vaticana. Volumen 22. Anni VIII. ep. 17. THEINER, I. 208.)

---

[1] Ez a pápai bulla nem maradt fönn.

CLIV.

1250. *Julius 11.*

IV. Incze pápa a fehérvári prépostot és káptalant, mivel az esztergomi ersek érseki jog-hatóságának meghódolni vonakodtak, maga elé idézi.

Innocentius episcopus . . . Dilectis filiis (Salamon) sancti Martini de Pannonia et — de Toplucha abbatibus sancti Benedicti et Cisterciensis ordinum Jauriensis et Zagrabiensis diocesis, salutem . . . Sua nobis . . . archiepiscopus Strigoniensis conquestione monstravit, quod prepositus et capitulum Albense ad eius provincialem synodum accedere vel mittere, ut tenentur, pro sue voluntatis arbitrio contradicunt. Cum igitur super eo quod dictus prepositus et capitulum archiepiscopum ipsum recipere processionaliter et celebrare cum pallio in eorum ecclesia non permittunt, apud sedem apostolicam questio ventiletur, et cause non sit continentia dividenda . . . discretioni vestre . . . mandamus, quatinus dictos prepositum et capitulum . . . citare curetis, ut . . . per se vel procuratores idoneos . . . eodem termino quo se debent, cum depositionibus testium, iuxta formam . . . episcopo Sirmiensi et vobis traditam apostolico conspectui presentare, compareant coram nobis, facturi et recepturi quod dictaverit ordo iuris. Quod autem inde feceritis, nobis infra eundem terminum vestris litteris . . . intimetis . . . Datum Lugduni quinto idus Julii pontificatus nostri anno octavo.

(Eredetije az országos levéltárban. FEJÉR két ízben közölte: (V. I. 294 és IX. III. 169) először III. Inczének, másodszor VI. Inczének tulajdonítván.

CLV.

1252. *Február 3.*

IV. Incze pápa a kalocsai érseket megbízza, hogy a János-lovagok magyarországi főnökétől ajánlott Mihály veszprémi clericust valamelyik magyarországi káptalanban kanonokká helyezze be.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri (Benedicto) archiepiscopo Colocensi salutem etc. . . . Michaelem clericum Vesprimiensem, cui de litterarum scientia et bonis moribus laudabile testimonium perhibetur, obtentu . . . fratris Rambaldi, preceptoris domus hospitalis Jerosolimitani in Ungaria, supplicantis nobis pro ipso, volentes prosequi favore gratioso, mandamus quatenus clericum ipsum in aliqua

ecclesiarum regni Ungarie, auctoritate nostra, per te vel alium, recipi facias in canonicum, et facias ei provideri, sive provideas de beneficio, si quod ibidem vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas . . . Datum Perusii tertio nonas Februarii anno nono.

(Regesta Vaticana. Volumen 22. Anni IX. ep. 361. — THEINER. I. 212.)

CLVI.

1252. *Február 13.*

IV. Incze pápa az Eufrosina királynétól és III. Béla királytól a János-lovagok fehérvári monostora részére tett adományozásokat megerősíti.

Innocentius . . . Dilectis filiis (Rembaldo) preceptori et fratribus hospitalis Jerosolymitani in Ungaria et Sclavonia salutem . . . Exhibita sane nobis vestra petitio continebat, quod bone memorie Martirius Strigoniensis archiepiscopus [1] in ecclesia beati Stephani regis de Alba, que est in domo hospitalis Jerosolymitani Vesprimiensis diocesis, lapidem primum ponere, et struere cepit eandem; sed quia, morte preventus, ecclesiam ipsam non potuit consummare, clare memorie Eufrosyna regina Ungarie . . . pro suorum ac inclyte recordationis Geysse viri et Bele nati suorum, regum Ungarie, remedio peccatorum, . . . prefatam ecclesiam complevit et variis possessionibus copiose dotavit, et eidem demum, ob ipsius religionem et honestatem, dimisit libere retinendam, quod ipse rex Bela postmodum approbavit, prout in ipsius regis confectis superinde litteris, aurea bulla munitis, plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem regina et Bela rege pie ac provide factum est, ratum habentes et gratum, ecclesiam ipsam cum omnibus suis pertinentiis, . . . vobis et per vos hospitali predicto . . . confirmamus; tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus ad cautelam inseri facientes, qui talis est [2]. . . Datum Perusii idibus Februarii, pontificatus nostri anno nono.

(Eredetije az országos levéltárban. Diplom. L. 28. — PRAY. Prioratus Auraneæ. 116. — FEJÉR. IV., II. 125.)

---

[1] 1151—1158 között fordul elő az okiratokban.

[2] Átírja III. Béla király 1191-ben kelt adománylevelét.

CLVII.

1252. *November 13.*

IV. Incze pápa a szent-mártoni és pilisi apátokat meghízza, hogy Vancsai István esztergomi érsek részére a csallóközi tizedeket biztosítsák.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano episcopo Prenestino salutem etc. . . . Videri non debet indignum, te, quem ad supportandum nobiscum laboriosam orbis sarcinam Romana ecclesia evocavit . . . ad eiusdem Strigoniensis ecclesie non avelli prorsus uberibus . . . Cum decimationes ad Strigoniensem archiepiscopatum spectantes distingvantur in tredecim . . . portiones, illam earundem decimationum portionem, . . . que Collocuz[1] sive minus Posonium dicitur . . . tibi pro tua sustentatione concedimus . . . Datum Perusii idibus Novembris anno decimo.

(Salomon) sancti Martini de Pannonia ordinis sancti Benedicti et (Johannes) de Pelixio Cisterciensis ordinis abbates . . . dati sunt super hoc conservatores . . .

(Regesta Vaticana. Volumen 22. Anni X. ep. 227. — THEINER. I. 213.)

CLVIII.

1252. *Deczember 30.*

IV. Incze pápa a veszprémi és váczi püspököket meghízza, hogy az esztergomi érsekség administratorává rendelt Vancsai István bíbornok részére az érsekség jövedelmeinek kiszolgáltatását eszközöljék.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Zelando) Vesprimiensi et (Haymo) Waciensi episcopis salutem etc. Dudum erga personam . . . (Stephani) episcopi Prenestini, tunc archiepiscopi Strigoniensis . . . oculos dirigentes, . . . digne providimus, ut ipsum . . . in Romana ecclesia poneremus . . . Nolentes, ut Strigoniensis ecclesia . . . pro tali ac tanto pastore subtracto diutius ingemiscat . . . curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus ei . . . duximus committendam . . . Mandamus, quatenus eidem . . . faciatis de omnibus redditibus . . . archiepiscopalibus . . . integre responderi . . . Datum Perusii tertio kalendas Januarii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 22. Anni X. ep. 308. — THEINER. I. 314.)

[1] Csallóköz.

CLIX.

1253. Január 13.

IV. Incze pápa Smaragd pozsonyi és hantai prépostot fölhatalmazza, hogy ha egy más egyházi javadalmat nyer el, ama prépostságok egyikét megtarthassa.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Smeraldo preposito Posoniensi . . . salutem etc. . . . Tibi . . . indulgemus, ut Posoniensis et Hantensis ecclesiarum preposituras, Strigoniensis et Vesprimiensis diocesium, quas curam animarum habentes te proponis adeptum, ita quod si aliam prepositurarum vel dignitatem ecclesiasticam offerre tibi contigerit, liceat tibi dimissa altera prepositurarum ipsarum, quam malueris, eam recipere, ipsamque cum priori libere retinere . . . Datum Perusii idibus Januarii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 22. Anni X. ep. 351. — THEINER. I. 216.)

CLX.

1253. Január 18.

IV. Incze pápa az esztergomi érsek intézkedését, mely szerint a tatároktól elpusztított ercsi karthauzi zárdát a cziszterczi-rendnek adta át, jóváhagyja.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis — abbati et conventui de Toplica Cisterciensis ordinis Zagrabiensis diocesis salutem etc. . . . Cum igitur, sicut lecta coram nobis ex parte vestra petitio continebat, venerabilis frater noster (Stephanus) episcopus Prenestinus, tunc Strigoniensis archiepiscopus, in monasterio sancti Nicolai de Erche sibi subiecto, Vesprimiensis diocesis, in quo fratres Carthusiensis ordinis aliquando morabantur, post recessum Tartarorum, a quibus idem monasterium adeo destructum extitit, quod de personis eiusdem Carthusiensis ordinis non poterat commode reformari, quosdam monachos et conversos vestri monasterii collocavit; nos vestris devotis supplicationibus inclinati, quod ab eodem archiepiscopo in hac parte provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus . . . Datum Perusii quintodecimo kalendas Februarii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen. 22. Anni X. ep. 509. — THEINER. I. 216.)

CLXI.

1253. *Február 8.*

IV. Incze pápa a somogyi főesperest megbízza, hogy a piacenzai püspök egyik káplánját valamelyik magyarországi káptalanban kanonoki javadalommal lássa el.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Genito archidiacono Simigiensi in Vesprimiensi ecclesia salutem etc. Cum . . . (Albertus) episcopus Placentinus, pro . . . magistro Johanne Buxio capellano suo . . . apostolicam gratiam . . . personaliter duxerit implorandam . . . mandamus, quatenus eidem de personatu . . . in cathedrali vel alia ecclesia regni Ungarie . . . auctoritate nostra provideas . . . Datum Perusii sexto idus Februarii anno decimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 22. Anni X. ep. 856. — THEINER. I. 217.)

CLXII.

1253. *Julius 23.*

IV. Incze pápa a budai olvasó-kanonokot fölhatalmazza, hogy még egy másik javadalmat birhasson.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio magistro Ambrosio lectori ecclesie Budensis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Tibi indulgemus ut preter lectoriam ecclesie Budensis . . . possis aliud beneficium ecclesiasticum vel dignitatem . . . in regno Ungarie licite recipere . . . Datum Assisii decimo kalendas Augusti anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 23. Anni XI. ep. 59. — THEINER. I. 222.)

CLXIII.

1253. Október.

A béla-forrási és zirczi apátok, mint pápai bírák előtt, a veszprémi egyházmegye papsága, a püspök és káptalan ellen fenforgó perben, a római szent-székhez fölebbez.

Anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio. Cum nos — divina miseracione de Belefonte, — de sancto Gothardo abbates Cisterciensis ordinis, — prior de Bocon eiusdem ordinis, subdelegati domini (Farcasii) prepositi Albensis, conservatoris a domino papa constituti, in maiori ecclesia Albensi, in octavis beati Martini po tribunali sedentes, venerabilis pater episcopus Vesprimiensis, prepositus, archidiaconi et canonici Vesprimienses comparuerunt coram nobis ex parte una, duo tantum sacerdotes ex altera, licet universi sacerdotes Vesprimiensis diocesis fuissent cilati ad nostram presentiam, et antequam litteras apostolicas [1] eisdem legi faceremus, iidem sacerdotes litteras appellationis nobis optulerunt, sub hoc forma:

Nos universi sacerdotes Vesprimiensis diocesis, ponentes nos et fautores nostros, ecclesias nostras et omnia bona ecclesiarum nostrarum sub protectione sedis apostolice, dominum nostrum episcopum, prepositum, archidiaconos et totum capitulum, super litteris sine consensu domini pape, tacita veritate et suggesta falsitate emanatas, quibus nos indebite nituntur aggravare, et quod, salva appellacione et citacione nostra pendente, multa super nos sunt per ipsos innovata; (contra) huiusmodi litteras et iudices, cum non ex voluntate parcium sitis iudices delegati, et non per dominum apostolicum assignati, sed ex falsa suggestione predictarum litterarum; similiter appellamus, appellacioni nistre medium quadragesimale proxime venturum terminum assignamus.

Nullas tamen litteras procuracionis sue predicti sacerdotes duo habuerunt, et a presencia nostra statim cotumaciter recesserunt. Nos autem habito consilio predictorum, quibusdam personis religiosis per ¡nostras litteras iniunximus, quod sacerdotes Vesprimiensis diocesis moneant et inducant, iuxta formam litterarum domini pape nobis datarum, ut venerabili patri episcopo Vesprimiensi, tamquam ordinario suo, debitam exhibeant reverenciam et honorem, ac iusta sua monita et precepta devote studeant observare; ac preposito et capitulo Vesprimiensi de medietate omnium proventuum ecclesiarum suarum satisfaciant, ut tenentur; similiter etiam archidiaconis suis procuraciones, cathedratica ae alia sua iura debita integra-

[1] Ezt a pápai iratot nem bírjuk.

liter persolvant, et eisdem obedienciam et reverenciam impendant; et ad convincendam maliciam sacerdotum Vesprimiensis diocesis, eosdem sacerdotes ab octava beati Martini ad quindenam perhemtorie citent iterato ad nostram presenciam, mandatum apostolicum audituros; alioquin tunc in causa ipsa, quantum de iure poterimus, procedemus. Locus Albe apud maiorem ecclesiam.

(Eredetije egy ép és egy csonka pecséttel, a veszprémi káptalan levéltárában. Saladiensis comitatus decimæ n. 3.)

CLXIV.

1253. *November 4.*

IV. Incze pápa a tihanyi, földvári, dombói és egyéb benedek-rendi monostorok római megbizottjait fölhatalmazza, hogy ezen monostorok terhére 150 ezüst márka kölcsönt köthessenek.

Innocentius episcopus etc. Dilectis fratribus Antonio et Dionisio procuratoribus dilectorum filiorum (Pauli) Tichoniensis — de Feldvar — de Dumbo — de Modocha et (Favi) sancti Martini de Pannonia . . . et aliorum monasteriorum, abbatum et conventuum de Ungaria ordinis sancti Benedicti salutem etc. . . . Vobis contrahendi mutuum . . . usque ad summam centum quinquaginta marcarum . . . et obligandi creditoribus bona dictorum monasteriorum et conventuum . . . concedimus facultatem . . . Datum Assisii secundo nonas Septembris anno undecimo.

(Regesta Vaticana. Volumen 23. Anni XI. ep. 155. — THEINER. I. 224.)

Fejér IV. II. 240. közli IV. Incze pápának 1254 január 20-ikán «Archidiacono et capitulo Albensi» czímzett iratát, a melyben azt abban a kiváltságban részesíti, «ut prebende cedentium vel decedentium canonicorum . . . nullis . . . conferri possint, nisi fuerint in eodem ordine vel maiori, in quo cedentes vel decedentes fuerant.» Már a czímezés és a kiváltság természete arra utal, hogy az nem magyarországi káptalan részére adományoztatott. Ezt kétségtelenné teszi egy ugyanazon napon, ugyanazon káptalan javára kiállított pápai irat, melyben «abbas sanctorum apostolorum Astensis» a káptalan jogvédőjévé rendeltetik. Aste város Felső-Olaszországban az egykori mont-ferratói őrgrófságban fekszik és közel hozzá van Alba városa. A két oklevél eszerint az ezen városban létezett káptalant illeti.

CLXV.

1254. *Október 2.*

IV. Incze pápa a pilisi és zirczi apátokat megbízza, hogy az esztergomi érseket és káptalant a részökre adományozott kiváltságok birtokában oltalmazzák meg.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — de Pelys et — de Boccon abbatibus Cysterciensis ordinis Vesprimiensis dyocesis salutem et apostolicam

benedictionem. . . . Ex speciali devocione, quam . . . (Benedictus) archiepiscopus et . . . capitulum Strigoniense ad nos et Romanam ecclesiam habere noscuntur, . . . eis per nostras litteras duximus indulgendum, ut nullus delegatus . . . auctoritate sedis apostolice in eos vel ecclesiam ipsorum excommunicacionis, suspensionis vel interdicti sentencias promulgare . . . valeat, absque speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam et expressam de huiusmodi mencionem. Quocirca discrecioni vestre . . . mandamus, quatenus dictos archiepiscopum, capitulum et ecclesiam non permittatis super hiis . . . ab aliquibus indebite molestari . . . Datum Anagnie sexto nonas Octobris pontificatus nostri anno duodecimo.

(1333. évi átirata az esztergomi főkáptalan levéltárában. — KNAUZ. I. 420.)

CLXVI.

1257. Márczius 5.

IV. Sándor pápa a nyulak-szigeti apácza-zárdát, a megyés püspök és a tartományi érsek hatósága alól kiveszi és közvetlenül az apostoli széknek rendeli alá.

Alexander episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Benedicto) archiepiscopo Strigoniensi salutem et apostolicam benedictionem. Inducit nos claritas meritorum . . . (Bele) illustris regis Ungarie, quod sedem apostolicam . . . inveniat graciosam . . . Sane idem rex, . . . quoddam monasterium monialium, in proprio fundo, infra insulam leporum, tue diocesis,[1] sicut accepimus, fecit studiose construi, et unam de filiabus suis[2] collocans in eodem, illud de bonis propriis iam ita dotavit, et adhuc dotare proponit, quod persone ibidem divinis laudibus insistentes, possint ex dotibus huiusmodi perpetuis temporibus commode sustentari. Quia vero in affectu ipsius regis ferventer haberi dicitur, ut dictum monasterium in ius et proprietatem ecclesie Romane perpetuo admittatur, . . . fraternitatem tuam rogamus, . . . mandantes, quatenus predictum monasterium ab omni iurisdictione tua et successorum tuorum . . . eximas, ipsumque plena et perpetua munias libertate, iure patronatus dicto regi ac ipsius heredibus reservato . . . Datum Laterani tercio nonas Marcii pontificatus nostri anno tercio.

(Eredetije a magyar országos levéltárban. — KNAUZ. I. 442.)

---

[1] A nyulak- vagy Margitszigetet minden későbbi pápai irat — mint látni fogjuk — a veszprémi egyházmegyéhez tartozónak mondja.

[2] Margit királyleányt.

CLXVII.

1257. *April 29.*

IV. Sándor pápa a nyulak-szigeti apáczák templomának búcsút engedélyez.

Alexander episcopus, servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus — priorisse et conventui monasterii sancte Marie ordinis sancti Augustini Vesprimiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in anniversario consecrationis eiusdem et septem diebus immediate sequentibus, annis singulis, venerabiliter visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum, eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, quarto kalendas Maii, pontificatus nostri anno tertio.

(Eredetije, pecsét nélkül, az országos levéltárban. Diplom. L. 2972. szám.)

CLXVIII.

1259. *Október 11.*

IV. Sándor pápa Mária királynénak megengedi, hogy a Domonkos-rend számára a nyulak szigetén kolostort alapíthasson.

Alexander episcopus servus servorum Dei. Carissime in Christo filie (Marie) regine Ungarie illustri salutem . . . Cum igitur, tamquam Deo devota et religionis amatrix, in municipio, quod in insula Danubii, que insula leporum dicitur, Vesprimiensis diocesis (Bela) Ungarie rex illustris, vir tuus, de novo construxit, ubi multa millia hominum congregari dicuntur, quoddam monasterium sanctimonialium, sub fratrum predicatorum ordinis degencium institutis, fundaveris ac dotaveris copiose, in quo ipsius regis et tua filia et plures alie virgines, genere nobiles, professionis habitum susceperunt, perpetuo inibi domino serviture, cupiasque ibidem fratrum ordinis eiusdem habere conventum, parata, ut asseris, pro fabricandis ecclesia ac domibus, ad opus ipsorum fratrum, sumptus necessarios ministrare; nos . . . priori provinciali predicatorum fratrum in Ungaria nostris damus litteris in mandatis,[1] ut conventum ipsi

[1] Ezen ugyancsak 1259. október 11-én kelt iratban, mely a fentebbivel azonos tartalmú, a pápa elrendeli a tartományi főnöknek «quatenus eiusdem regine desiderio satisfaciens . . . con ventum ipsi loco taliter construendo . . . concedas, quis predictis sororibus divina celebrent . . .» Eredetije ugyanott. Kiadva ugyanott.)

loco taliter construendo . . . concedat, qui predictis sororibus divina celebrent, ipsarum confessiones audiant, eisque ministrent ecclesiastica sacramenta . . . ita tamen, quod locus mansionis fratrum et monasterium sororum competentis distancie spacio distingvantur. Datum Anagnie quinto idus Octobris pontificatus nostri anno quinto.

(Eredetije az országos levéltárban. — Hazai Oklevéltár. 36.)

CLXIX.

1260. April 27.

IV. Sándor pápa IV. Béla királyt fölkéri, rendelkezzék, hogy Tata helysége, melyet Mátéfi István elfoglalt, és a veszprémi püspök, mint IV. Incze pápától kirendelt biró a tatai apátságnak itélt oda, az apátság részére visszaadassék.

Alexander episcopus, servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio illustri regi Ungarie salutem et apostolicam benedictionem . . . — abbas et conventus monasterii de Tata ordinis sancti Benedicti transmissa nobis peticione monstrarunt, quod cum . . . Innocentius papa . . . (Zelando) episcopo Wesprimiensi dedisset . . . in mandatis, uti si ei legitime constaret villam de Tata ad dictum monasterium pertinere, illam amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus eidem monasterio restitueret,[1] idem episcopus, quia sibi de hoc legitime constitit, predictam villam . . . restituit monasterio memorato, nosque quod ab eodem . . . factum extitit, . . . duximus confirmandum. Quia vero nobili viro Stephano Matthey, familiari tuo dictam villam detinente . . . occupatam, iidem abbas et conventus de restitutione, habita sententia huiusmodi nullum potuerant consequi finem iusticie sue, . . . serenitatem tuam attente requirendam duximus, . . . quatenus dictum nobilem, quod villam ipsam eidem abbati et conventui restituere non intermittat . . . compellas . . . Datum Anagnie quinto kalendas Maii pontificatus nostri anno sexto.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 10. Capsa D. — Wenzel. II. 325.)

[1] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

CLXX.

1260. Junius 27.

IV. Sándor pápa a Bertalan veszprémi püspöktől alapított veszprémi apácza-zárda javára kiállított adománylevelet megerősíti.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiabus — priorisse et conventui monialium ecclesie sancte Catarine Vesprimiensis, ordinis sancti Augustini, secundum instituta fratrum predicatorum viventibus, salutem etc. . . . Cum, sicut petitio vestra . . . continebat . . . (Bartholomeus) episcopus Vesprimiensis, monasterii vestri fundator annuum redditum sexdecim marcharum argenti, percipiendum ab eo de bonis episcopatus Vesprimiensis . . . monasterio vestro, de sui assensu capituli . . . concesserit, . . . nos . . . quod super hoc pie ac provide factum est . . . confirmamus . . . tenorem ipsarum litterarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes . . . Bartholomeus Dei gratia Vesprimiensis episcopus . . . Nos beatam Catarinam virginem . . . volentes nobis esse propitiam, . . . in loco Vesprimiensi quandam ecclesiam in honorem eiusdem virginis fabricari fecimus, et in eadem collegium sanctimonialium collocavimus, ad quarum sustentationem sexdecim marcas argenti annuatim, de consensu capituli nostri, de reddituum nostrorum proventibus ordinavimus, in villis Leveld, Meneka, Chytar et Jutos [1] quadringentas capetias et de decimis pertinentibus ad cultellum, id est ad decimas Ker [2] quatuor marcas pro vestibus; item de cultello de Euse [3] centum agnos pro pellitiis et refectione sororum infirmarum; item in cultello de Kal [4] quinquaginta cubulos vini cum eodem cubulo . . . Datum in Erek [5] quinto Kalendas Julii anno domini MCCXL. Henrico preposito, Laurentio cantore, Johanne lectore, Mathia custode, Jaco Symigiensi, Favo Zaladiensi, Kalenda Albensi, Petro Vesprimiensi, Abbate [6] de sancto Andrea,

[1] Ezen helyek közől csak Jutosról szólanak a történeti emlékek (WENZEL. IX. 100.) s ez ma is létezik: Jutas, Veszprém fiókja. Menyeke ma puszta Veszprémmegyében.

[2] Valószinüleg a mai Hagymás-Kér, Veszprémmegyében.

[3] Ősi.

[4] Ezt a helyet közelebbről meg nem határozhatjuk.

[5] Erek nevü puszta létezik ma a veszprémi püspökség birtokaihoz tartozó Sümeg közelében.

[6] A regesta-kötetben világosan «Abbate» áll; mivel azonban itt a veszprémi káptalan főesperesei soroltatnak föl, és (mint láttuk) ezek között szent-andrási főesperesség létezett, itt nem apátról, hanem Abbas nevü főesperesről van szó. Egyébiránt lehetséges, hogy a római másoló az Aba nevet hibásan olvasta és irta le.

Germano Segustiensi archidiaconis . . . Datum Anagnie quinto kalendas Julii anno sexto.

(Regesta Vaticana. Volum. 25. Anni VI. ep. 78. — FEJÉR. IV., I. 192. — THEINER I. 242. — Ezt az adománylevelet 1402-ben IX. Bonifácz ujból megerősítette. Bullarium Ordinis Prædicatorum. II. 432.)

CLXXI.

1261. Szeptember 23.

IV. Orbán pápa a szent-mártoni apátság és a csurgói János-lovagok között a somogymegyei tizedek tárgyában fenforgó perben rendelkezik.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio . . . cantori ecclesie Jauriensis salutem et apostolicam benedictionem. Querelam . . . abbatis et conventus monasterii sancti Martini supra Pannoniam . . . recepimus continentem, quod preceptor et fratres hospitalarii Jerosolymitani de Chirgo Vesprimiensis diocesis super quibusdam decimis et aliis rebus fidem non servarint eisdem. Ideoque discretioni tue . . . mandamus, quatenus acceptis ad latus tuum etiam aliis viris, causam inter partes easdem debito fine decidas . . . Datum Viterbii, nono kalendas Octobris, pontificatus nostri anno primo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 36. capsa, O. — WENZEL. III. 7.)

CLXXII.

1261. Október 3.

IV. Orbán pápa a váczi püspököt, az esztergomi Szent-Tamás káptalan prépostját és a győri éneklő-kanonokot a szent-mártoni monostor és a veszprémi püspökség között fenforgó perben birákul rendeli.

Urbanus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri (Philippo) episcopo Waciensi et dilectis filiis — preposito sancti Thome Strigoniensis et (Jurk) cantori Jauriensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum (Favi) abbatis et conventus monasterii sancti Martini supra Pannoniam, . . . recepimus continentem quod . . . (Paulus) episcopus et capitulum Vesprimiense super quibusdam decimis et rebus aliis iniuriantur eisdem . . . Mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam, et appellatione remota fine debito decidatis, . . . Datum Viterbii tertio mensis Octobris pontificatus nostri anno primo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 40. capsa, W. — WENZEL. III. 8.)

CLXXIII.

1261. Október 3.

IV. Orbán pápa a győri éneklőkanonokot a szent-mártoni apátság és a fehérvári káptalan között fenforgó perben biróul rendeli.

Urbanus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio (Jurk) cantori ecclesie Jauriensis salutem et apostolicam benedictionem. Querelam . . . (Favi) abbatis et conventus monasterii sancti Martini supra Pannoniam, . . . recepimus continentem, quod . . . prepositus et capitulum ecclesie Albensis Vesprimiensis diocesis, super quibusdam decimis et rebus aliis iniuriantur eisdem . . . Mandamus, quatinus partibus convocatis . . . causam debito fine decidas . . . Datum Viterbii tertio nonas Octobris, pontificatus nostri anno primo.

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. 41. capsa, D. — WENZEL. III. 9.)

CLXXIV.

1263. Szeptember 19.

IV. Orbán pápa a pilisi apátot, a fehérvári őrkanonokot és a dominikánusok tartományi főnökét megbízza, hogy a Jób pecsi püspök ellen emelt vádak tárgyában vizsgálatot indítsanak.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis abbati monasterii de Pelys Cisterciensis ordinis et (Feliciano) custodi ecclesie Albensis Vesprimiensis diocesis et — priori provinciali fratrum predicatorum Ungarie salutem etc . . . Debitum . . . officii . . . Alexander papa predecessor noster circa Job episcopum Quinqueecclesiensem exolvens, insolentias et crimina, super quibus delatus fuerat apud eum, per severitatem maluit corrigi, quam . . . per dilectionem in plurimorum scandalum reservari. Significaverunt quidem nobis . . . (Philippus) archiepiscopus Strigoniensis suo et . . . multorum aliorum prelatorum Strigoniensis provincie nomine, . . . quod idem predecessor noster intellecto, quod episcopus ipse famam suam diversis sceleribus . . . dehonestabat — abbatem monasterii Simigiensis, Vesprimiensis diocesis, capi fecerat ac eum, manibus post tergum et pedibus sub ventre equi ligatis et freno ori eius imposito, ignominiose tractari et carceri mancipari; . . . (Benedicto) Strigoniensi archiepiscopo eiusque collegis inquisitionem faciendam . . . duxit . . . committendum [1]

[1] Ezt a pápai iratot nem birjuk.

Verum . . . dictus episcopus, huiusmodi negocio iam incepto, fecit promotores ipsius negocii eisdem litteris et etiam beneficiis que in dicta Quinqueecclesiensi diocesi obtinebant, spoliari; propter quod in eodem negotio non potuit haberi processus . . . Discretioni vestre mandamus, quatenus . . . super premissis . . . et super aliis criminibus . . . inquiratis sollicite veritatem, que inveneritis . . . nobis . . . transmissuri . . . Porro si idem episcopus fuerit inventus de dilapidatione suspectus, omne genus alienationis et mutui penitus interdicatis eidem; et si ipse in aliquos suos subditos excommunicationis sententiam promulgavit, . . . absolvatis eosdem; non permittentes eos vel alios canonicos, pendente predicte inquisitionis negotio . . . ab eodem episcopo . . . molestari . . . Datum apud Urbem veterem terciodecimo kalendas Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 211. — FEJÉR. IV., III. 168.)

CLXXV.

1263. Szeptember 25.

IV. Orbán pápa Timotheus zalai főesperest zágrábi püspökké nevezi ki.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Timotheo electo Zagrabiensi salutem etc . . . Sane Zagrabiensi ecclesia episcopi solacio destituta, . . . prepositus et capitulum ipsius ecclesie convenientes in unum, . . . Stephanum, capellanum nostrum, nepotem venerabilis fratris nostri (Stephani) episcopi Penestrini prepositum ecclesie Posoniensis, patientem in etate defectum in Zagrabiensem episcopum . . . postularunt. Nos autem, presentata nobis postulatione huiusmodi, provisionem et ordinationem eiusdem Zagrabiensis ecclesie dicto episcopo Penestrino duximus committendas. Et licet in eodem Stephano imperfectum etatis suppleret generis et morum nobilitas, matura discretio et scientia litteralis; tamen predictus episcopus, nolens ad carnem et sanguinem habere respectum, de te, tunc subdiacono et capellano nostro, archidiacono de Zala in ecclesia Vesprimiensi et canonico Zagrabiensi, predicte Zagrabiensi ecclesie, auctoritate sibi a nobis in hac parte comissa, providit. Nos itaque . . . huiusmodi provisionem, auctoritate apostolica duximus confirmandam . . . Datum apud Urbem Veterem, octavo kalendas Octobris anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 7. — THEINER. I. 246.)

CLXXVI.

1263. Szeptember 25.

IV. Orbán pápa Vancsai István palestrinai bíbornok-püspököt fölhatalmazza, hogy a Timotheus zalai főesperesnek a zágrábi püspökségre emeltetésével megüresedett javadalmakat adományozhassa.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri (Stephano) episcopo Penestrino salutem etc. Tuam volentes honorare personam, . . . conferendi . . . beneficia ecclesiastica . . . que Tymotheus Zagrabiensis electus . . . in regno Ungarie obtinebat . . . fraternitati tue liberam concedimus . . . facultatem. Datum apud Urbem veterem septimo kalendas Octobris anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 66. — THEINER. I. 263.)

CLXXVII.

1263. Deczember 21.

IV. Orbán pápa a visegrádi várnak és egész Pilismegyének IV. Béla királytól neje Mária királyné részére történt adományozását megerősíti.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Christo filie M(arie) illustri regine Ungarie salutem etc. . . . Tua et . . . (Bele) illustris regis Ungarie, viri tui, petitio . . . continebat, quod idem rex . . . disposuit, ut in locis convenientibus ipsius regni faceret castra construi . . .; cum autem tunc quendam montem tunc desertum in silva que Pelys dicitur existentem, pro castro . . . inibi construendo ab ipso rege dari tibi . . . petivisses, idem rex . . . tibi . . . donavit eundem, . . . in quo tu . . . castrum quod Wissegrad dicitur, fecisti opere sumptuoso construi, ad quod necessitatis tempore vidue, orphani ac fideles alii . . . possint confugere . . . Postmodum vero prefatus rex . . . tibi castrum ipsum, cum comitatu et districtu de Pelys . . . contulit, . . . ductus illa consideratione potissime, quod cum tu quoddam monasterium in insula Danubii, ad honorem gloriose virginis Marie, construi fecisses de propriis bonis tuis, sue decebat altitudinis claritatem, quod ipse sicut de aliorum bonorum suorum affluentia, ita et de suis liberis honorem dignum impenderet maiestati omnium conditoris. Sic etiam per inspirationem Dei mirificam factum esse conspicitur, quod idem rex . . . carissimam in Christo filiam nostram Margaritam natam suam obtulit gloriose virgini, suis laudibus in eodem monasterio perpetuo

servituram. Et quia plurime generose virgines regni predicti, fere centum numero, in monasterio ipso . . . convenerunt, voluit rex prefatus, ut huiusmodi ancille Christi, urgente necessitatis tempore, se in eodem castro recipere valeant, et in eius secretario virtutum domino famulari. Porro, ut libera disponendi ac ordinandi de ipso castro penes te potestas remaneat . . . statuit ordinando, ut predictum castrum uni ex suis et tuis liberis . . . in vita donare vel in morte legare valeas, . . . sicut in patentibus litteris eiusdem regis . . . continetur. Quare pro ipsius regis et tua parte instanter petebabur a nobis, ut . . . donationem . . . et ordinationem huiusmodi apostolico curaremus munimine roborari. Nos itaque . . . donationem . . . et ordinationem predictam . . . auctoritate apostolica confirmamus [1] . . . Datum apud Urbem veterem duodecimo kalendas Januarii anno tercio. [2]

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni 29. III. ep. 1416. — THEINER. I. 252.)

CLXXVIII.

1263—4.

IV. Orbán pápa Pál, veszprémi püspököt megbízza, hogy a pálos-remetéket, a mennyiben az életök fentartására szükségesekkel rendelkeznek, a Szent-Ágoston szabályai szerint való szervezkedésre fölhatalmazhassa.

. . . Provincialis et alii priores ac fratres (sancte crucis de eremo per Hungariam constituti) . . . olim ad felicis recordationis Urbani IV. presentiam accedentes, sibi humiliter supplicarant, ut eis regulam beati Augustini, ad quam de cultu eremitico se transferre cupiebant, concedere dignaretur; quorum precibus misericorditer annuens, bone memorie Paulo Vesprimiensi episcopo suis dedit litteris in mandatis, ut eis, dummodo de quibus sustentari possent facultates habeant, regulam ipsam apostolica auctoritate concederet, si ei expediens videretur. Et quia per inquisitionem ipsius episcopi compertum extitit, quod tunc temporis non erat eis competentia facultatum, que sufficeret ad observantiam regule memorate, concessioni huiusmodi supersedens, eadem auctoritate indulsit eisdem, ut in predictis locis et domibus, quibus tunc erant, tanquam licita collegia, in cultu eremitico liceret ipsis de cetero domino famulari . . .

(Egy 1308. évi oklevélben. Annales Ordinis sancti Pauli. 101.)

---

[1] A pápa egész terjedelmében átírja IV. Béla 1259-ben kiállított adománylevelét.

[2] A pápa 1264 julius 15-dikén az esztergomi érsekhez intézett bullájában ezen adományozás megerősítését megujítván, az érseket utasitja, hogy a királynét a visegrádi vár birtokában oltalmazza meg, és azok ellen, kik őt háborgatnák, az egyházi büntetéseket alkalmazza. (Regesta anni III. ep. 1811. THEINER. I. 271.)

CLXXIX.

1264. Január 1.

Vancsai István palestrinai bibornok-püspök a zalai főesperességet saját unokaöcscsének, János győri főesperesnek adományozza.

Stephanus miseratione divina Penestrinus episcopus dilecto nepoti suo Joanni, archidiacono Jauriensi, domini pape capellano, salutem in Domino. Noveritis nos recepisse litteras apostolicas in hac forma:[1] . . .

Harum igitur auctoritate litterarum archidiaconatum Zaladiensem, canonicatum et prebendam, quos venerabilis pater Tymotheus, Zagrabiensis episcopus promotionis sue tempore in Vesprimiensi ecclesia obtinebat, vacantes per promotionem ipsius episcopi, tibi . . . conferimus, . . . dilectum notarium nostrum Thomasinum tuo nomine investientes per nostrum annulum de eisdem. Non obstante, . . . quod alias beneficiatus existas . . . Actum apud Urbem Veterem in hospitio nostro, anno Domini MCCLXIIII. pontificatus domini Urbani pape IIII. anno tertio, indictione septima die primo Januarii.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 66. — THEINER. I. 263.)

CLXXX.

1264. Január 12.

IV. Orbán pápa a veszprémi püspököt megbízza, hogy Róbert, pápai subdiaconust a részére adományozott pécsi kanonokságba és valkói főesperességbe iktassa be.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri (Paulo) episcopo Vesprimiensi salutem etc. . . . Robertus subdiaconus noster . . . proposuit coram nobis, quod . . . (Stephanus) Prenestinus episcopus archidiaconatum de Vulto[2] nec non canonicatum et prebendam . . . in Quinqueecclesiensi ecclesia . . . eidem contulit . . . Mandamus, quatenus . . . predictum Robertum . . . in corporalem possessionem archidiaconatus et prebende . . . inducens . . . facias eum . . . ad archidiaconatum ipsum admitti et ad prefatam prebendam in canonicum recipi . . . Datum apud Urbemveterem secundo idus Januarii anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 27. — THEINER. I. 260.)

[1] L. CLXXIV. szám alatt. [2] Valkó.

CLXXXI.

1264. Január 18.

IV. Orbán pápa a nyulak-szigeti apácza-monostort a szent-szék pártfogása alá fogadja.

Urbanus episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus — priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii beate Marie virginis de insula ordinis sancti Augustini Vesprimiensis diocesis, secundum instituta fratrum ordinis predicatorum viventibus, salutem et apostolicam benedictionem . . . . Dilecte in domino filie, . . . personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipate, cum omnibus bonis, que impresentiarum racionabiliter possidet, aut in futurum . . . poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem domos, ortos, terras, redditus, possessiones, et alia bona vestra . . . vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus . . . . Datum apud Urbem veterem decimoquinto kalendas Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

(Eredetije a magyar országos levéltárban. Diplomatikai levéltár. 2973. szám.)

CLXXXII.

1264. Február 12.

IV. Orbán pápa Farkas, megválasztott fehérvári prépostnak, négy hónapi halasztást enged, a megerősítés kieszközlése végett Rómában való megjelenésre.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio magistro Forcasio electo in prepositum ecclesie Albensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Vesprimiensis diocesis, aule carissimi in Christo filii nostri (Bele) regis Ungarie illustris vicecancellario salutem etc. . . . Lecta coram nobis tue petitionis series continebat, quod licet tu, qui in prepositum Albensis ecclesie canonice . . . sis electus, in votis habueris, te pro petenda confirmatione . . . ad apostolicam sedem personaliter conferre, tamen discriminibus gverrarum . . . obicem opponentibus, nequis commode . . . desiderium tuum adimplere, super quo . . . provideri . . . postulasti . . . Tibi ad veniendum ad nostram presentiam . . . quatuor mensium spatium indulgemus, ita quod infra illud . . . ad sedem prefatam . . . accedere tenearis . . . Datum apud Urbemveterem secundo idus Februarii anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 356. — THEINER. I. 266.)

CLXXXIII.

1264. Február 13.

IV. Orbán pápa László csúti főesperest fölhatalmazza, hogy az esztergomi káptalanban birt főesperesség megtartása mellett, a győri, veszprémi vagy pécsi egyházmegyében egy javadalmat fogadhasson el.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio magistro Ladislao archidiacono sancti Leustachii in ecclesia Strigoniensi,[1] clerico carissimi in Christo filii nostri (Bele) regis Ungarie illustris salutem etc. . . . Ut preter archidiaconatum sancti Leustachii, curam animarum habentem, . . . possis in Jauriensi, vel Vesprimiensi, vel Quinque-ecclesiensi diocesibus, unicum aliud beneficium ecclesiasticum . . . recipere et cum predicto archidiaconatu libere retinere . . . tecum . . . dispensamus . . . Datum apud Urbem veterem idibus Februarii anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 359. — THEINER. I. 266.)

CLXXXIV.

1264. Márczius 11.

IV. Orbán pápa a zalai főesperességnek János, győri esperes főrészére történt adományozását megerősíti.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Johanni archidiacono Jauriensi capellano nostro, nepoti venerabilis fratris nostri (Stephani) episcopi Penestrini salutem etc. In nostra presentia proposuisti constitutus, quod . . . (Stephanus) Penestrinus episcopus . . . archidiaconatum Zaladiensem, nec non canonicatum et prebendam . . . in Vesprimiensi ecclesia . . . tibi . . . contulit . . . Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo Penestrino factum est . . . confirmamus[2] . . . Datum apud Urbem veterem quinto idus Martii anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 66. — THEINER. 263.)

---

[1] Itt átírja a CLXXIV. és CLXXV. számok alatt közlött okiratokat.
[2] Lásd az 1232 julius 15-dikén kelt pápai irathoz csatolt jegyzetet.

CLXXXV.

1264. April 30.

IV. Orbán pápa az esztergomi prépostot megbízza, hogy De Meniis Endrét a fehérvári káptalanban kanonoki javadalommal lássa el.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio — preposito ecclesie Strigoniensis salutem etc. De dilecto filio Andrea clerico, nato . . . Andree de Meniis laici Strigoniensis diocesis, in etate tenera constituto, nobis datur intelligi, quod ipse . . . virum producere debeat moribus placidum et scientia gratiosum . . . Mandamus quatenus clericum ipsum . . . in ecclesia Albensi . . . recipi facias in canonicum, . . . eique provideas de prebenda . . . Datum apud Urbem veterem secundo kalendas Maii anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 679. — THEINER. I. 268.)

CLXXXVI.

1264. Julius 15.

IV. Orbán pápa a veszprémi püspököt megbízza, hogy Béla herczeget az atyjától IV. Béla királytól részére adományozott várak birtokában oltalmazza meg.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri (Paulo) episcopo Vesprimiensi salutem etc. Quia . . . (Bela) dux Sclavonie Deo et ecclesie devotus esse dinoscitur, personam suam libenter prosequi volumus benigni exhibitione favoris . . . (Bela) Ungarie rex illustris, pater eius, . . . de Nitria, de Posonio, de Musum, de Supprio et Ferreum castra regni Ungarie . . . eidem donavit . . . Mandamus, quatenus prefatum ducem non permittas super premissis . . . ab aliquibus indebite molestari . . . Datum apud Urbem veterem idibus Julii pontificatus nostri anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 1816. — THEINER. I. 273.)

CLXXXVII.

1264. Julius 16.

IV. Orbán pápa a veszprémi püspököt megbízza, hogy István ifjabb királyt az Anna halicsi és boszniai herczegnőtől elvett várak visszaadására birja.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri (Paulo) episcopo Vesprimiensi salutem etc. Mente vigili . . . debet illa omnia sublimitas S(tephani) regis . . . devitare, in quibus . . . offensa Dei . . . contineri videtur . . . Sane . . . Anna vidua, soror eius, ducissa Gallicie ac de Bosna . . . et . . . Michael et Bela orphani nati eius, gravi nobis conquestione monstrarunt, quod dictus rex eos . . . castris et . . . villis . . . spoliavit . . . Mandamus, quatenus, si est ita, memoratum Stephanum regem ad restituendum . . . supradicta per censuram ecclesiasticam . . . compellas . . . Datum apud Urbem veterem decimoseptimo kalendas Augusti anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 825. — THEINER. I. 276.)

CLXXXVIII.

1264. Augusztus 21.

IV. Orbán pápa a pilisi apátot, a dominikánusok tartományi főnökét és a fehérvári őrkanonokot utasítja, hogy a Jób pécsi püspök ellen vizsgálat megindításával megbízott pécsi kanonok részére a pécsi püspökség jövedelméből a szükséges összeget fizettessék ki.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis — abbati de Pelys, — priori provinciali fratri predicatorum in Ungaria et (Feliciano) custodi ecclesie Albensis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Andreas prepositus sancti Johannis, Tristaynus cantor et Gregorius canonici Quinqueecclesienses, nobis exponere curaverunt, quod nos . . . inquisitionem faciendam contra . . . Job Quinqueecclesiensem episcopum . . . duximus committendum. Sane prepositus, cantor et canonicus predicti, qui negotium inquisitionis huius prosequuntur, negotium ipsum non possunt prosequi, cum per eundem episcopum redditibus et aliis bonis suis fuerint spoliati . . . Mandamus, quatenus, si est ita, preposito, cantori et canonico predictis . . . de bonis episcopalibus Quinqueecclesiensibus faciatis . . . expensas necessarias ministrari . . . Datum apud Urbemveterem duodecimo kalendas Septembris anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 1002. — THEINER. I. 277.)

CLXXXIX.

1264. Augusztus 20.

IV. Orbán pápa az esztergomi szent-György-mezei prépostot megbízza, hogy Egyed győri papot a budai káptalanban kanonoki javadalommal lássa el.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio — preposito ecclesie sancti Georgii Strigoniensis salutem etc. . . . Cum itaque, sicut . . . magister Xistus, capellanus noster, clericus et nuntius . . . B(ele) regis et (Marie) regine Ungarie illustrium nobis asseruit . . . Egidius presbiter Jauriensis diocesis, qui pro ipsorum regis et regine obsequiis ad apostolicam sedem accesserit, et propter hoc non modicum laboraverit, . . . nondum sit assecutus beneficium ecclesiasticum; . . . mandamus, quatenus presbiterum ipsum, si est idoneus, in ecclesia Budensi Vesprimiensis diocesis . . . facias . . . in canonicum . . recipi, ac sibi de prebenda . . . provideri . . . Datum apud Urbemveterem dúodecimo kalendas Septembris pontificatus nostri anno tertio

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 1117. — THEINER. I. 278.)

CXC.

1264. September 2.

IV. Orbán pápa az esztergomi érsekhez intézett levélben említi, hogy régebben az érseket és a veszprémi püspököt, ki akkor még fehérvári prépost volt, megbízta, hogy egy olaszországi püspök javára az esztergomi érseki tartomány papságát adóztassa meg.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri (Philippo) archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Olim tibi et . . . Paulo Vesprimiensi episcopo, tunc preposito ecclesie de Alba[1] super provisione . . episcopo Bisonensi,[2] in certa quantitate pecunie . . . in tua provincia facienda, litteras dicimur direxisse; prelati quoque et clerici eiusdem provincie partem quantitatis huiusmodi pecunie . . . solvere . . . inceperunt; postmodum vero pro alio quodam episcopo de regno Sicilie super provisione . . . ab ecclesiis et monasteriis facienda . . . litteras ad certum executorem dicimur destinasse, qui . . . ordinavit, ut eidem episcopo in centum et quinquaginta libris

[1] Pál 1259—1262 között fordul elő mint fehérvári prépost az oklevelekben.

[2] A bisignanoi püspökök közzétett sorozatában éppen az 1258—1266 évek között hézag van.

Turonensibus deberet . . . annuatim usque ad triennium provideri . . . Cum itaque intentionis nostre non fuerit . . . ut in predicta provincia . . . deberet alio episcopo dicti regni in provisione consimili provideri, . . . mandamus, quatenus . . . in negotio provisionis eiusdem episcopi . . . non . . . permittas prelatos, collegia . . . eiusdem provincie aliquatenus molestari . . . Datum apud Urbemveterem quarto nonas Septembris anno tertio.

(Regesta Vaticana. Volumen 29. Anni III. ep. 1186. — THEINER. I. 278.)

CXCI.

1265. Szeptember 13.

IV. Kelemen pápa a veszprémi egyházmegyéhez tartozó három egyház kegyuraságának, a király és az esztergomi érsek részéről, a béla-forrási apátságra történt átruházását jóváhagyja.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis — abbati et conventui monasterii Belefontis, Cisterciensis ordinis, Colocensis diocesis saluteni etc. . . . Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, uqod . . . (Bela) rex Ungarie illustris et bone memorie (Benedictus) archiepiscopus Strigoniensis monasterii vestri, quod idem rex construxit, ut dicitur, incrementum spiritualiter . . .[1] desiderantes, dictus rex patronatus, idem vers archiepiscopus in(sti)tutionis, de sui assensu capituli, iura que in sancti Gerardi de minori Pest, sancti Andree in Sasad, sancti Martini in Wrs ecclesiis[2] Vesprimiensis diocesis habebat, vobis liberaliter concesserunt, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, concessionem huiusmodi, sicut pie ac provide facta est, ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, presentis scripti patrocinio communimus . . . Datum Perusii idibus Septembris pontificatus nostri anno primo.

(Átírva Bartholomeus archidiaconus Ambianensis pápai káplánnak Datum Pemsii quintodecimo kalendas Octobris anno Clemensis pape quarti primo kelt okiratában. A veszprémi káptalan levéltárában. Capsa 109. Litteræ mamae num. 3.)

---

[1] Két szó olvashatatlan.

[2] A kelenföldi plébániához tartoztak: szent András sassadi és szent Márton örsi kápolnái. FEJÉR. IV. I. 61.

CXCII.

1266. Január 11.

IV. Kelemen pápa a tihanyi apátságot a szent-szék pártfogása alá fogadja, javainak és kiváltságainak birtokában megerősíti.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis — abbati monasterii de Tykhon eiusque fratribus tam presentibus quam futuris, religiosam vitam professis n perpetuum . . . Vestris iustis postulationibus clementer annuímus, et monasteriumi de Thikon Wesprimiensis diocesis . . . sub beati Petri et nostra protectione suscipimus . . . Quecumque bona idem monasterium . . . possidet, aut in futurum . . . poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant, in quibus hec propriis exprimenda duximus vocabulis. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, . . . cellam monachorum que Uruzku vulgariter nominatur, . . . sancti Michaelis, sancti Dominici, sancte Marie Magdalene et sancte Elysabeth capellas, . . . villam Apaty et insulam . . . Thykon, . . . portum supra lacum qui Balatin nominatur et usum piscandi, . . . villas novas et predium quod vocatur Ozefev, terras . . . quas habetis in villa Kuesd, predium de Eurmenes, terras sitas in villa Udvory, predia que de Derguche, de Vasyl, de Pylip et de Urskaal vulgariter nominantur, . . . villam que Thousoch dicitur, terras et possessiones quas habetis in villa Berend, villam Sceviens nominatam, sitam iuxta locum qui dicitur Apathasumlo, terras et possessiones quas habetis in villa Sceuleus apud Vesprim, predium quod Popfuka vulgariter appellatur, et ius patronatus quod in ecclesia sancti Michaelis loci eiusdem habetis, predium de Uilach, cum iure patronatus quod in capella sancte Margarete sita in eodem predio obtinetis, predia de Keyk et de Arach vulgariter nominata, insulam que appellatur Losta, . . . villam . . . de Kodork, villam et predium de Somthod, predium de Zaraztho, predium et villam de Gesnov vel Apaty iuxta Fyzeg, predium de Telky, terras . . . in villa Chopulch et Lapa, predium de Gamas, villam Dos, terras . . . in villa Sag iuxta Jocha, de Chichol et de Kup, predia et villam Mortus iuxta Buchac, predium de Urkutha, et terras . . . in villa Barand iuxta Tholna, et villam de Fod, villam et predium de Beseneu in partibus Baidrogh, cum iure patronatus quod ibidem in capella sancte Marie habetis, lacum mortuum cum omnibus terris ad ipsum pertinentibus, Homuke, terras et possessiones que vocantur Colun.[1] Annuimus redditum denariorum, quem habetis in

[1] CZINÁR az oklevélben előforduló helyneveket így magyarázza: Uruzkő, seu Üreskő, modo Remetelakás. — Asszófő — Kövesd — Őrvényes — Udvari — Dörgicse — Vászon — Philepp — Urskal seu Köveskál — Tósok — Berénd. — Szőllős iuxta Apácza-Somló — Szőllős

loco qui Symigium vulgariter nominatur, annuos redditus denariorum in portibus et mercatis de Tolna et de Pest, et mille zuanos salis quos in Alba singulis annis percipitis a salinariis de Zalath, terras quoque et possessiones, quas . . . rex Ungarie Andreas . . . monasterio vestro commisit, . . . et quicquid iuris in Strigoniensi, Vesprimiensi, Colochensi, Quinqueecclesiensi et Cenadiensi diocesibus obtinetis . . . Liceat quoque vobis clericos vel laicos . . . ad conversionem recipere . . . Crisma vero, oleum sanctum, consecraciones altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum . . . a diocesano suscipiatis episcopo, si idem catholicus fuerit, . . . et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra finem parochie vestre, si eam habetis, nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat . . . Novas et indebitas ex actiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque . . . personis, vobis omnino fieri prohibemus . . . Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem fratres, . . . secundum . . . beati Benedicti regulam providerint eligendum . . . Omnes libertates et immunitates a Romanis pontificibus, . . . regibus, . . . vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas . . . confirmamus . . . Datum Viterbii . . . tercio idus Januarii . . . incarnacionis dominice MCCLX sexto . . . anno . . .

(Eredetije a szent-mártoni főapátság levéltárában. — FEJÉR. VI., II. 87. — WENZEL. III, 140.)

CXCIII.

1266. Julius 4.

IV. Kelemen pápa az esztergomi érseket és a zágrábi püspököt megbízza, hogy Farkas mestert, a megválasztott fehérvári prépostot, kit alkancellári hivatalának teendői a Rómában való megjelenéstől visszatartanak, a szent-szék nevében erősítsék meg.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus (Philippo) archiepiscopo Strigoniensi et (Tymotheo) Zagrabiensi episcopo salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod prepositura Albensis ecclesie, ad ecclesiam Romanam nullo medio pertinentis, olim vacante, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie, magistrum Farchasium vicecancellarium . . . B(ele) regis Ungarie illustris in prepositum ipsius ecclesie, prout

---

pud Vesprimium — Papfoka — Ujlak — Keigh seu Kék supra Füred — Arács — insula Loska — Kodork nunc Kadarka — Szántód — Száraztó seu Szárszó — villa de Giznao iuxta Firegh — prædium de Teleki — villa Szupok nunc Csopak — Lapa — Ságh iuxta Jóka — Csihal — Kap — prædium Martos iuxta Bucsák — Urakuttya — Báránd — Fok — Besenyő — Homok — Kolon. (Monasterologia. I. 167.)

spectabat ad eos, canonice et concorditer elegerunt; sed idem electus confirmationem eiectionis huius petiturus, iuxta . . . Urbani pape predecessoris nostri beneplacitum,[1] ad sedem apostolicam accedere pretermisit, sicut nec ipse commode potuit, quia ratione commissi sibi vicecancellarie officii circa memorati regis erat negotia occupatus; nos autem regis obtentu predicti, qui pro ipso . . . gratiam . . . imploravit, eundem . . . intendentes prosequi gratiose, mandamus, quatenus, si . . . examinatione diligenti premissa, electionem ipsam inveneritis de persona ydonea celebratam, que alias asseritur canonica extitisse, . . . electionem confirmetis eandem, et ipsum pro eiusdem ecclesie preposito haberi et tractari . . . faciatis, recepturi ab eo . . . fidelitatis iuramentum; . . . alioquin eadem electione cassata, inhibeatis . . . capitulo supradicto, ne ad electionem vel postulationem aliquam de preposito in ecclesia ipsa procedat, cuius provisionem nobis specialiter reservantes, decernatis . . . irritum et inane, si secus . . . fuerit attemptatum . . . Datum Viterbii quarto nonas Julii anno secundo.

(Regesta Vaticana, Volumen 29. Anni II. ep. 91. — THEINER. I. 287.)

CXCIV.

1266. Szeptember 24.

IV. Kelemen pápa Enoch szent-ferencz-rendi szerzetest, apostoli gyóntatót, megbízza, hogy a pécsi püspök ellen emelt vádak, egyebek között a somogyvári apáton elkövetett kegyetlenségek, tárgyában vizsgálatot indítson.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio fratri Eneco de ordine minorum, capellano et penitentiario nostro salutem etc. Olim felicis recordationis Alexandri primo et postmodum Urbani . . . Romanorum pontificum crebris clamoribus . . . inculcatis de Job Quinqueecclesiensi episcopo quod ipse . . . notabiliter laborabat incontinentie vitio, . . . non vitabat labe pollui symonie, . . . et quod . . . abbatem monasterii Simigiensis . . . capi fecerat, ac eum manibus post tergum et pedibus sub equi ventre ligatis et ori eius freno imposito ignominiose tractari et carceri mancipari . . . presumpserat; . . . inquisitionem faciendam . . . primo idem predecessor Alexander (Philippo) Strigoniensi archiepiscopo et eius collegis, et postmodum . . . Urbanus abbati de Pelis . . . et custodi ecclesie Albensis . . . ac priori provinciali fratrum predicatorum Ungarie . . . commiserunt;[2] iidem vero abbas et

[1] L. CLXXIV. szám alatt.
[2] L. CLXXXVIII. szám alatt.

prior, dicto custode se per litteras excusante, in negotio inquisitionis huiusmodi . . . procedentes, illud demum . . . ad apostolicum remiserunt examen . . . Mandamus, quatenus . . . super predictis . . . excessibus inquiras diligentius veritatem . . . Datum Viterbii octavo kalendas Octobris anno secundo.

(Regesta Vaticana. Volumen. 29. Anni II. ep. 124, — THEINER. I. 288.)

CXCV.

1267. Február 17.

IV. Kelemen pápa a Domonkos-rend magyarországi tartományi főnökének a nyulak-szigeti apácza-monostorra nézve tett intézkedéseit jóváhagyja.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus priorisse et sororibus monasterii sancte Marie de insula, quondam leporum nuncupata, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum predicatorum viventibus, Vesprimiensis diocesis salutem . . . Lecta siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum . . . Alexander papa . . . intellecto, quod . . . (Bela) rex et (Maria) regina Ungarorum illustres, unam de filiabus suis vellent ponere in vestro monasterio, quod ipsi construxerant, . . . magistro et priori provinciali Ungarie ordinis predicatorum suis dedisset litteris[1] in mandatis, ut idem monasterium eorum ordini incorporare curarent, deputantes vobis aliquos de fratribus ipsis, qui vos regularibus instruerent disciplinis, et informarent ipsius ordinis institutis; tandem dicti magister et prior monasterium ipsum . . . eidem incorporarunt ordini, certo fratrum suorum numero vobis ad premissa exequenda nihilominus deputato. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem . . . factum est, . . . confirmamus . . . Datum Viterbii tertio decimo kalendas Marcii pontificatus nostri anno tertio.

(Eredetije az országos levéltárban. — Hazai Oklevéltár. 48.)

[1] L. CLXVIII. szám alatt.

CXCVI.

1276. Május 20.

V. Incze pápa a nyulak-szigeti apácza-monostort az apostoli szék pártfogása alá fogadja, azt javai és kiváltságai birtokában megerősíti.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus — priorisse monasterii sancte Marie de insula Danubii eiusque sororibus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. . . . Dilecte in Christo filie vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium sancte Mariede in sula Danubii Vesprimiensis diocesis, in quo divino ostis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis seripti privilegio communimus; in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam atque institutionem fratrum predicatorum, in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium . . . possidet, aut in futurum . . . poterit adipisci, firma vobis et eis que vobis successerint et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, ex dono clare memorie Bele regis Ungarie; ius patronatus quod habetis in plebe sancte Marie Budensis; terras, possessiones, tributum et quicquid iuris habetis in monte Budensi et pertinentiis suis; unum molendinum de calidis aquis, cum aquarum decursibus et aliis pertinentiis suis; villam que appellatur Ysa, cum piscatione in qua capiuntur usones, et insulam iuxta eandem villam, stagnum, aquam fluvialem Sytva appellatam et quicquid habetis nfra terminos dicte ville et fluvii; in loco qui dicitur Cholquus, villam Taina et villam Gemulch, . . . terram et villam Potos, sitam in medio fluvii qui dicitur Cholch[1] . . . ; terram Chatar vulgariter appellatam et alteram terram ei contiguam que dicitur Hanta; villam Ynou, in portu Danubii sitam, et alias de Zymgata, et Nemeg et Noghus cum feneto . . . ; de Hasuar, de Sulu et de Veurd villas . . . ; villam Tooxun et villam Voscham, iuxta Danubium; villas Harquian et de Foglhar . . . ; in magna insula villas Moys et Roguld, . . . terram Porce . . . ; piscationem in Danubio que dicitur Queraluhere, . . . et terram ad eandem piscationem pertinentem, ac mancipia que vobis predictus rex . . . condonavit; villam Cholnuk, villam Kuldu, et villam Neweg circa Kewzo; villam Wosyan cum tribus mancipiis in comitatu

[1] Chelch?

Simigiensi; villam Thelky cum vineis et omnibus pertinentiis suis; in Kereky vineam magnam que fuerat regis, et duas alias que fuerant Tekeu; villam Zacalus, cum piscina et aliis pertinentiis suis; et terram que dicitur Nova Bech, cum piscatione in Danubio; ex dono E(lisabeth) illustris regine Ungarie portionem terre quam habetis in villa Chu, cum tribus mancipiis; ex dono quondam comitis Nana villam Tulg, cum silva, feneto et aliis pertinentiis suis; villam Queurus . . .; villam Apar . . .; locum qui dicitur Booch, cum piscina; terram que appellatur Ganda; terras que Misca, Fonchol, Enach, Chaquan, Buken, Leguen, Ete de Olupp vulgariter nuncupantur; iuxta Titiam terram Buchur, cum Titia et stagno, in quo habetis usum unius retis ad piscandum; ultra Titiam unum predium quod dicitur Kara, portionem quam habetis in duabus terris que dicuntur Feirchu, et . . . in terra Doud et . . . Wasarahel; quartam partem in portu Quortueles; terram iuxta titiam que dicitur Prospuqui, cum stagno; portionem quam habetis in terra — ud, cum fluvio, cum fenetis et pratis; in sabulo totam terram Latibar; portiones quas habetis in terris que Echen, Leel, Forquu et Wosun vulgariter appellantur, et totam terram Musa, et portionem quam habetis in terra Sarus; quartam partem in omnibus possessionibus, quas — comes cum suis cognatis communiter possidebat; terram appellatam Chele et terram Kaplan iuxta Danubium cum piscatione, silva magna et aliis pertinentiis suis; terram Semel vocatam cum feneto et silva; terram Chamud cum duodecim villis . . .; ex dono magistri Moys possessiones sitas in loco qui dicitur Kosuch . . .; villam que appellatur Ugol, cum vineis, silvis, . . . nec non mancipia et aratra que habetis ibidem; villam Burhud, Ozlar, Pozony, et aliam Pozony, villam de Rachusi, villam de Bulcheu; villam de Eche, cum quinque molendinis; villam Chabam, prope Budam, cum mancipiis et aratro, silvis . . .; ex dono nobilis viri Paris quondam comitis terram appellatam Benchench cum septem villis . . .; ex dono nobilis viri Zeric in villa Chereki unum fundum et unam vineam cum tribus cultoribus; in fluvio qui vocatur Sar unum molendinum; ex dono quondam uxoris Chaba in villa Turdos tres magnas vineas, . . . ex dono Agnetis, filie quondam comitis Pauli terram que appellatur Soler, iuxta Titiam, cum piscatione . . .; ex titulo emptionis in villa Nandurt duas vineas, in Buda tres vineas, alias terras et possessiones, et quicquid iuris in regno Ungarie monasterium vestrum noscitur obtinere . . . Novalium vestrarum, que propriis sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere . . . presumat. Liceat quoque personas liberas et absolutas ad vos fugientes ad conversionem recipere et . . . retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine priorisse sue licentia, vel nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat recipere. Cum autem generale interdictum tale fuerit, ne iceat divina officia celebrare, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et

interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare; dummodo causam non dederitis interdicto aliqualem. Oleum sanctum, consecrationes altarium et basilicarum et benedictiones monialium, a diœcesano suscipietis episcopo, si tamen catholicus fuerit . . . et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Preterea inhibemus in super, ut infra fines parochie vestre, si eam habetis, nullus sine assensu diœcesani episcopi, capellam, sive oratorium de novo construere audeat . . . Ad hec novas et indebitas exactiones . . . a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decrevimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati et interdicti sint, aut etiam publice usuram exercuerint, nullus obsistat . . . Decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi sit vobis . . . facultas. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci priorissa, vel earum aliqua que tibi successerit, nulla ibi, . . . preponatur, nisi quam sorores, communi consensu, vel earum maior pars consilii sanioris, si ad eas duntaxat priorisse spectat electio, secundum Deum et sancti Augustini regulam providerint eligendam . . . Omnes libertates et immunitates a Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, nec non libertates et exemtiones secularium exactionum, a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, . . . confirmamus . . . Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere turbare, nec eius possessiones auffere, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet exactionibus fatigare; sed omnia integre conserventur, earum, pro quarum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis, presertim salva apostolica authoritate et diecesanorom episcoporum canonica iustitia . . .

Datum Laterani . . . tertiodecimo kalendas Junii anno MCCXXVI . . .

(Eredetije, elrongyolt állapotban, az országos levéltárban. D. L. 942. — WENZEL. IX. 151.)

Az ezen oklevélben felsorolt helyek közől a következőket határozhatjuk meg, nagy részben a kolostor javára kiállított adománylevelek alapján:

Apar villa, ma kis község Tolnában.

Bocoh locus, talán Bech, melyet 1268-ban nyer a kolostor adományul. WENZEL. III. 181.

Buchar terra, talán a csongrádmegyei Burha, a melyet 1266-ik évi oklevél említ. FEJÉR. IV. III. 319.

Buken terra, Csongrád megyében. Imént idézett oklevélben.

Burhod villa, Tolna megyében. 1276-ik évi oklevélben. FEJÉR. VII. V. 405.

Chaba villa, Csaba Pilis megyében. 1274-ik évi oklevélben. u. o. VII. II. 33.

Chaquan terra, Csákán, Csongrád megyében, 1266-ik évi oklevélben u. o. i. h.

Chatai terra, Csatár, ma puszta Tolna megyében.

Cholnok villa, Csolnok Esztergom megyében.

Eche villa, Somogy megyében. 1281. FEJÉR. V. III. 79.

Echen terra, talán Etyn, Csongrád megyében. 1266. i. h.

Ete terra, Etkey ugyanott. 1266. i. h.

Feirchu terra, Freirghu, ugyanott 1266. i. h.
Fonchol terra, Fontol Pest megyében. 1266. i. h.
Forquu terra, Forcu Csongrád megyében 1266. i. h.
Ganda terra, Gvanda Pest megyében 1266. i. h.
Gemelech villa in loco *Cholquus*, az utóbbi név kétség kívül a Csallóközt jelöli.
Hanta terra, ma Hont puszta, Tolna megyében.
Harquian vinea, Harkány talán Baranyában. 1274. i. h.
Kaplan terra, talán Kapsan ugyanott i. h.
Kara predium, Kera Csongrádban. 1266. i. h.
Kereky vinea, Tolnában. 1270. u. a. V. I. 96.
Kosuch locus, Kosuh Tolnában. 1276. u. a. VII. V. 405.
Kuldu villa, 1272. Szolgagyőr vár tartozéka u. a. V. I. 208.
Latibán terra, Csongrádban. 1266. FEJÉR. V. III. 319.
Leel terra, ugyanott. 1260. i. h.
Leguen terra, Legen, ugyanott. 1266. i. h.
Misca terra, Mischla, Pest megyében. 1266. i. h.
Musa terra, Csongrád megyében 1266. i. h.
Noghus villa, Nogus iuxta Rakus, 1259. u. a. IV. II. 488.
Olupp terra, Csongrádban. 1266. i. h.
Ozlar, Uzlar Pest közelében. 1259. u. a, IV. II. 488.
Pozony Somogy megyében. 1276. u. a. VII. V. 405.
Prospuqui, Püspöki, Csongrádban. 1266. u. a. V. III. 319.
Quortueles portus (Körtvéles) ugyanott i. h.
Rachusi, Rakusi, Somogyban. 1276. i. h.
Sarus terra, Csongrádban. 1266. i. h.
Semel Baranyában. 1266. i. h.
Sulu villa (Süly), Pest közelében. 1259. i. h.
Taina villa in loco Cholquus. (Thena villa in Chollukus. 1261. WENZEL. XI. 503.)
Thelky villa, Toluki Somogyban. 1270. i. h.
Tulg villa Thul, Csongrádbau. 1266. i. h.
Toouxun villa (Taksony) Pestmegyében. 1270. i. h.
Turdos villa, Tordos, Fehér megyében. 1276. i. h.
Wasarhel terra. Csongrádban. 1266. i. h.
Wosun terra ugyanott. 1266. i. h.
Wosyan villa (Varsány) Somogyban. 1264. WENZEL. IV. 116.
Ynou villa, (Jenő) 1271. Fejér. V. I. 129.
Ysa (Izsa) Komárom megyében.
Zacalus villa (Apácza-Szakállos), ugyanott. 1267. WENZEL. VIII.—167.

CXCVII.

1276. Május 14—25.

V. Incze pápa Bianchi[1] Ubert piacenzai kanonokot és La Corre veronai kanonokot Magyarországba küldi, és megbízza, hogy Margit királyleány szentté avatása ügyében a tanúk kihallgatását foganatosítsák.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistro Uberto Blanco capellano nostro, Placentino et La Corre decretorum doctori sanctorum apostolorum Veronensis ecclesiarum canonicis salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ex parte clare memorie (Stephani) regis Hungarie, felicis recordationis Gregorio pape predecessori nostro[2] fuit humiliter supplicatum, ut cum omnipotens, qui salutis nostre causam misericorditer in sanctis suis operatur, quos coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in mundo, et ad eorum memoriam signa facit atque prodigia, per que pravitas hereticorum confunditur et fides catholica roboratur; meritis recolende memorie Margarite virginis sororis seu sanctimonialis monasteril virginis gloriose de insula Danubii, ordinis predicatorum, Vesprimiensis diocesis cuius corpus in eodem monasterio requiescit, tot et tanta miracula operatur, quod ipsius inter ceteros non invocate suffraga sit indignum, ipsam aggregare sanctorum catalogo dignaretur. Verum, licet quos honorat divina dignatio, humana devotio prompto affectu debeat honorare, quia tamen providentia preduce, (ipsum) predecessorem (nostrum) festinum in certis, et lentum incedere decebat in dubiis,[3] ut procederet tramite tutiori, bone memorie (Philippo) archiepiscopo Strigoniensi[4] et venerabili fratri nostro (Philippo) episcopo Vaciensi, et dilecto filio — abbati de Baccon ordinis Cisterciensis predicte diocesis, suis sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut de virtute suorum et veritate signorum,[5] operibus videlicet ipsius et miraculis, secundum datam eis a Deo prudentiam et interrogatoria, que ipsis sub bulla iam dictus predecessor inclusa transmisit[6], diligenter inquirentes, sibi que inveniret per suas litteras, apostolicarum litterarum seriem continentes fideliter

---

[1] Blancus latin formája az olasz Bianchi családi névnek.

[2] X. Gergely. 1271. szeptember 1. — 1276. január 10. uralkodott.

[3] A nyomtatásban közlött szöveg (predecessorem festinum, incertum, et lentum incedere decebat) értelmetlen.

[4] Meghalt 1272. végén.

[5] A nyomtatásban közlött szöveg «de veritate morum er virtute signorum» szembetűnően hibás másolat.

[6] Ez a pápai irat nem maradt fönn.

intimarent. Deinde autem dicto archiepiscopo, re adhuc integra permanente,[1] nature debitum persolvente, memoratus predecessor venerabilem fratrem nostrum (Lodomerium) Varadiensem episcopum in huiusmodi negotio subrogavit,[2] iidem vero episcopi et abbas ad inquirendum super iis processum habentes, inquisitionem quam super hoc fecerunt, eidem predecessori remittere, suis interclusam litteris, curaverunt.[3] Sed quia per inquisitionem ipsam de premissis plena instructio non poterat pervenire; nos in omni, et presertim tam solemni in negotio, nube omnino repulsa dubii, et soliditate certitudinis et claritatis plenitudine procedere cupientes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus iuxta puncta interrogatoria que vobis sub bulla nostra mittimus interclusa, super premissis iterato diligenter inquirere studeatis, illam habituri diligentiam in predictis, quod depositiones testium, quos super hec recipere, ac alia que in eorum elucidatione vos reperire contigerit, illa prout et verba singulorum testium, per que deposita fuerint, seriose, diffuse et explicite, eo ordine quo illa protulerint, conscripturi, tam lucide tamque clare, nobis per vestras litteras, tenorem continentes presentium cum eisdem interrogatoriis, nuntietis, quod ex eis nullo dubio consurgente, in huiusmodi negotio auctore domino, secura conscientia procedere valeamus. Datum Laterani pridie idus Maii, pontificatus nostri anno primo.

*

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Uberto Blanco capelano nostro, Placentino, et La Corre decretorum doctori sanctorum apostolorum Veronensis ecclesiarum canonicis salutem et apostolicam benedictionem. Testes legitimos quos super vita et miraculis recolende memorie Margarite virginis sanctimonialis virginis gloriose de insula Danubii ordinis predicatorum Vesprimiensis diocesis debetis recipere, prius prestito iuramento, diligenter examinare curetis, et de omnibus que dixerint interrogetis eosdem quomodo sciunt? quo tempore? quo mense? quo die? quibus presentibus? quo loco? ad cuius invocationem et quibus verbis interpositis? et de nominibus illorum circa quos miracula esse facta dicuntur? et si eos ante cognoscebant? et quot diebus ante eos viderint infirmos? et quanto tempore fuerint infirmi? et quanto tempore visi sunt sani? et de quo loco

[1] A Fülöp érsek elnöklete alatt kiküldött bizottság a tanúk kihallgatását foganatosította. A Margit-legenda függelékében birjuk Fülöp érsek vallomásának kis töredékét. (Nyelvemléktár VIII. [Budapest, 1879.] 86)

[2] Ezt a pápai iratot nem birjuk.

[3] Ennek a bizottságnak működéséről semmiféle emlék sem maradt fönn. Jegyzőkönyvei nyomtalanúl eltűntek

sunt oriundi? Et interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter, et circa singula capitula fiant, ut expedit et fit, series testimonii; et verba testium, prout seriose ac diffuse prolata fuerint, fideliter redigantur in scriptis. Datum Laterani octavo kalendas Junii pontificatus nostri anno primo.

(Átírva a pápai küldötteknek XXI. János pápához intézett jelentésében. — Acta Sanctorum Januarii. II. (Antwerpen 1643.) 899, 900.

CXCVIII.

1276. Julius 23 — Október 20.

A Margit királyleány szentté avattatása ügyében foganatosított tanúkihallgatás jegyzőkönyve.

*

Inquisitio super vita, conversatione et miraculis beatæ Margarethæ virginis, Belæ IV. Hungarorum regis filiæ, sanctimonialis monasterii virginis gloriosæ de insula Danubii, ordinis Prædicatorum, Vesprimiensis diocesis.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indictione quarta, primo anno pontificatus domini Innocentii pape quinti, in Hungaria apud monasterium virginis gloriose de insula Danubii Vesprimiensis diocesis, die Jovis vigesima tertia mensis Julii.

I.

Domina Catharina[1] priorissa monasterii predicti virginis gloriose de insula Danubii, ordinis predicatorum Vesprimicensis diocesis, iuravit ad sancta Dei evangelia, dicere et respondere meram et puram veritatem super vita et conversatione resolende memorie virginis Margarethe, sanctimonialis eiusdem monasterii, et miraculis, que ad invocationem ipsius Deus dicitur ostendisse, remoto odio, amore, timore, pretio, et precibus, speciali utilitate, et damno suo vel alieno.

Que iurata et interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento respondit et dixit, quod dicta virgo Margaretha delata fuit monasterio sancte Catharine Vesprimicensis, predicti ordinis predicatorum, per dominam Mariam, matrem suam, uxorem regis Bele.

Interrogata, quomodo scit, quod predicta puella delata fuerat predicto monasterio, ut dicit, respondit, quod ipsa vidit per oculos suos.

Interrogata, quot annorum erat tunc dicta puella, respondit: «Habebat quatuor annos non completos, et non poterat adhuc bene loqui»

Interrogata, quomodo scit, quod erat predicte etatis tunc temporis, respondit, quod videbat iam quod non poterat loqu plene, et sciebat tempus quando nata fuit. Item dixit, quod quando puella erat dicte etatis, ipsa tenebat eam et docebat

---

[1] A magyar Margit-legendában, az első vizsgálat alkalmával kihallgatott tanúk jegyzékében ez áll: «Első vala soror Katerina, és ez vala priorissa az időben mikoron zent Margit azonnak zentséges életiről lőn nagy bizonsággal való tudakozás. Ez soror Katerina lőn apáczája Bezberimi klastromban hét esztendős korában és lakozék Bezbrimet zent Katerina azzonnak klastromában harminczhét esztendőt. És vala zent Margit azonnak mestere, hogy ki őtet tanéta előzer deákul. Annak utánna eljue zent Margit azzonnal ez zigetben és nagy bizonságot tőn zent Margit azonnak zentséges életiről, mikoron volna ez soror Katerinának hetven eztendeje.»

eam, et propterea cepit stare cum aliis puellis, sociis suis, in dicto monasterio. Et dixit, quod dicta puella accepit unam crucem et querebat, quid erat hoc, et alie puelle, socie sue dixerunt, quod erat noster Dominus, qui fuit martyrizatus pro gente. et tacite dicta puella incepit plangere.

Interrogata, quomodo istud scit, respondit, quod audivit a dictis puellis, que erant discipule sue.

Interrogata de nominibus illarum (respondit): «Judith, Johaleta». Item dixit, quod dicta puella, sicut tempus ibat in ante, incepit legere addiscere et cantare cum aliis puellis, et ipsa testis docebat eam; et dixit, quod ipsa puella dabat magnam (diligentiam)[1] ad aptandum altaria, ad serviendum, sicut poterat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Item dixit, quod dum dicta puella haberet septem annos, vel parum plus, vel minus, sicut credit, ipsa puella involvit de loco cuiusdam sororis unum cilicium, et posuit in dorso super camisam, sub aliis vestibus, et quando dicta magistra sua vidit hoc, dimisit eam portare istud per totam diem, et in (nocte) accepit illud cilicium, quia timebat, ne posset sustinere tantam penitentiam. Item dixit, quod nolebat videre patrem suum, nec sibi loqui, et cum matre parum loquebatur, quando veniebat ad dictum monasterium.

Interrogata, quomodo scit, respondit, quod videbat. Item dixit, quod dicta puella quodam die venit flendo ad dictam magistram suam, et ad alias dominas, et ipse interrogaverunt cam. «Quid fles?» Respondit quod delata erat et infamata, quod dictum fuit ei quod erat filia regis. Item dixit, quod dum esset circa dictam etatem, induit se habitu, quem portabant sorores, et ivit ante altare cum quibusdam aliis puellis sociis suis, et ceperunt cantare et psaltere plane: ‚Veni Creator spiritus'.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quod ipsa puella cum aliis puellis venerunt ad ipsam magistram suam et alias dominas et dixerunt, quod sic fecerunt, et ipsa testis vidit sibi vestes in dorso. Item dixit, quod ipsa puella rogabat dominas super professione sua, et domine noluerunt tunc eam recipere ad professionem, quod erat nimis iuvenis, et tune dicta puella cepit plangere.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia audivit ab ea et vidit. Item dixit, quod postquam habuit octo annos, et ab illo ipso[2] tempore, ut antea magis stabat in servitio et orationibus, et quanto (erat) magis sapiens, tanto plus stabat in servitio Dei.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Item dixit, quod

---

[1] A másoló egy szót nem tudott elolvasni, helyét üresen hagyván, a zárjel között álló szóval, mely az értelemnek megfelel, pótoljuk.

[2] A másolatban kétségkívül hibás olvasás következtében áll: «alio pro», a mi értelemnélküli szöveget ád.

dicta puella, quando habuit decem annos vel circiter, venit de dicto monasterio sancte Catharine ad standum in dicto monasterio gloriose virginis de insula Danubii quod monasterium factum erat pro ipsa puella per dominam Mariam, matrem suam et uxorem regis Bele.

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella predicto tempore venit ad standum in dicto monasterio de insula Danubii, respondit, quia venit cum ipsa et cum multis aliis sororibus suis ad standum in dicto monasterio. Item dixit, quod dicta puella in duodecimo anno, vel circa fecit professionem suam in dicto monasterio.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia presens fuit. Item dixit, quod post dictam professionem suam aliquando in tantum intenta erat in oratione et servitio Dei, quod nolebat dimittere orationes suas pro aliqua re, nec videre parentes suos, et quando dicebatur sibi, quod frater suus[1] petebat eam, nolebat dimittere orationem suam, et licet frater ibat quandoque et vocabat eam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat predicta.

Interrogata, quot annorum erat dicta (puella) quando sic erat intenta in orationibus suis, respondit: «Postquam habuit duodecim annos et ultra». Item dixit, quod tamdiu stabat in orationibus suis in sero, donec alie sorores intrabant ectum, et vix scire poterant alie sorores quando ibat ad lectum suum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Et dixit ipsa testis, quod sepe ibat ad lectum suum ad querendum et videndum eam, et inveniebat ipsam iacentem iuxta lectum suum in terra. Item dixit, quod in quolibet tempore multum affligebat corpus suum in ieiuniis, in orationibus, in fletibus, et in tota septimana magna multo plus hoc faciebat, et quod in tribus ultimis diebus predicte septimane et de nocte stabat in ecclesia orando, flendo et verberando se, et hoc fecit usque ad mortem suam. Item dixit, quod intenta Deo lavabat pedes omnibus sororibus et servitialibus, que stabant cum eis in claustro suo. Item dixit, quod postquam professa fuit, portabat cilicium in dorso subter omnes alias vestes, scilicet continue per totam quadragesimam, et hoc fecit usque ad mortem suam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Item dixit, quod quando elevabatur corpus Christi ad altare, illud aspiciebat magna devotione et lacrymis, et multo magis quando recipiebat istud. Item dixit, quod sepe faciebat sibi legi et exponi passionem Christi et aliorum sanctorum, et cum devotione magna audiebat hoc.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia vidit. Item dixit, quod in qualibet septimana gloriose virginis Marie faciebat mille venias,[2] cum salutatione beate Marie.

---

[1] István herczeg, IV. Béla király fia, utóbb (1270—1272) V. István király.

[2] «Veniæ: inclinationes seu genuflexiones religiosorum». (Du Cange.)

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia videbat eam tunc. Item dixit, quod quando alique sorores habebant male, ipsa cum suis manibus faciebat eis coquinam, et dabat eis ad manducandum et bibendum, et trahebat aquam de puteo, et faciebat eis balneum, et balniabat eas, et faciebat eis lectos, et radebat eis capita quando opportebat, et portabat eas ad necessarium, et scopabat casam,[1] et lavabat scutellas et ollas, et predicta omnia faciebat cum magna (patientia) et humilitate sine aliquo radiumento;[2] et quando aliqua alia de sororibus debebat in septimana sua lavare scutellas, ipsa rogabat illam, quod dimitteret eam facere illud servitium; et sic lavabat scutellas pro illa.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Item dixit, quod pro persona sua semper portabat peiores vestes, quam alie sorores, et quando dabatur sibi bona vestis per matrem suam, vel aliam personam, ipsa dabat illam bonam vestem alicui de sororibus, et accipiebat et portabat peiorem, et quando dabatur sibi velum subtile, dabat illud aliis sororibus, et grossum recipiebat, et portabat.

Interrogata, quomodo predicta scit, respondit, quia vidit. Item dixit, quod cum sorores quandoque vellent sibi facere aliquod avantagium,[3] dando sibi maiorem mensuram, vel meliorem, vel melius vinum, quia erat filia regis, irascebatur et nolebat recipere.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Item dixit, quod in vigiliis de maioribus festivitatibus querebat parabolam a maioribus suis, quod possit comedere et bibere tantummodo aquam et panem, et comedebat tunc in occulto, ne videretur ab aliis. Item dixit, quod dum pater et mater sua dicerent sibi, quod volebant eam maritare regi Bohemie occasione pacis, quam volebant facere simul, ipsa dicta Margaretha multum irata fuit, et (turbata), et dixit, quod nullo modo hoc faceret, et de monasterio non exiret unquam, et quod prius vellet servire Deo, cui erat data, quam alicui homini; et tunc fecit se consecrari ab archiepiscopo Strigoniensi,[4] ne maritaretur ipsi regi, nec aliquid de hoc volebat audire.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia vidit et presens erat. Item dixit, quod melius et strictius servaverit, regulam et ordinem usque ad mortem suam, quam aliqua de aliis; et in horis, quando dicitur officium, ipsa (prima) erat in intrando ecclesiam pro maxima parte temporis, et ultima in exeundo.

Interrogata, quomodo scit predicta respondit, quia videbat eam sic facientem. Item dixit, quod multa alia bona (posset dicere) de dicta sorore Margaretha, quod nimis esset longum dicere.

---

[1] Casa olasz szó: «tráti».
[2] Kétségkívül olasz szó; de a szótárakban nem található.
[3] Avantage, franczia szó: «kedvezés».
[4] Fülöp esztergomi érsek 1261—1272.

Interrogata, que sunt alia illa bona, respondit: «Per alias sorores, que plus stabant cum ea, et sequebantur eam, poteritis scire ea». Item dixit, quod quidam frater predicator, nomine Benedictus predicasset presentibus dicta puella et aliis sororibus, et (cum) recedere vellet, dicta puella rogavit eum, quod non recederet, quia libenter audiebat predicationem suam, et cum frater ille porro vellet recedere, dicta puella rogavit Deum, quod currus frangeretur, ita quod non possit recedere; et cum frater ille recederet, currus suus fractus fuit, et rediit frater ipse ad dictum monasterium.

Interrogavit, qui erant presentes, quando rogavit ipsum fratrem, quod non recederet, et quando rogavit Deum, quod frangeret currum suum, ne posset recedere, respondit: Soror Olimpiades et multe alie de sororibus suis, de quibus non recordatur; et dixit, quod tunc dicta puella erat in etate octo annorum, vel circa.

Item dixit ipsa testis, quod ipsa habebat ita magnum dolorem capitis, quando obiit ipsa soror Margaretha, quod non poterat ire in ecclesiam ad exequias, que fiebant in dicta ecclesia pro ea, et tunc ipsa testis rogavit Deum, quod tolleret sibi malum illud, ita quod possit ire ad illum officium. Et dixit, interrogata, quod nulla de sororibus erat presens, quando rogavit Deum, ut supra dixit.

Interrogata, quot annorum erat dicta soror Margaretha, quando obiit, respondit: «Triginta annorum duobus minus».

Interrogata quot annorum erat testis, respondit, quod bene habebat septuaginta annos.

Interrogata, per quot annos annos stetit in dictis monasteriis, respondit: Quando data fuit primo monasterio[1] habebat septem annos, vel parum plus, vel minus. Item dixit, quod dicta soror Margaretha in morte sua habebat ita viles vestes in dorso, quod ipsa priorissa et sorores noluerunt ipsam sepelire cum dictis vestibus, sed alias meliores vestes posuerunt sibi in dorso. Item dixit, quod infirmitas de qua obiit duravit sibi per octo dies.

Interrogata, si confessa fuit tunc, respondit: «Sic, bis cum priore provinciali eiusdem oidinis predicatorum, et petiit corpus domini, et cum magna devotione et reverentia recepit illud, et oleum petiit, et sibi datum fuit».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia fuit presens cum aliis sororibus.

Die Jovis tertia intrante Septembrem.

Interrogata, si scit, quod soror Catharina, filia domini Marci de Simogio[2] post obitum virginis Margarethe habuit febrem quartanam anno preterito et dimisit eam hoc anno, respondit: «Sic».

---

[1] T. i. Vesprimiensi.

[2] Ennek vallomása a XXXIII. szám alatt áll.

Interrogata, quot menses sunt, quod dimisit eam, respondit: «Duo menses; et dixit mihi infirmaria, quod ipsa promisit dare testimonium de beata Margaretha ante istos inquisitores, qui veniebant, quod facere noluit ante alios inqusitores,[1] et per hoc dixit, quod statim sanata fuit».

Interrogata, quot menses sunt, quod dixit sibi predicta verba, respondit: «In illa die, in qua sanata fuit, vel sequenti, hoc mihi dixit».

Interrogata, in qua hora hoc sibi dixit, respondit: «Post nonam ante vesperas».

Interrogata de presentibus, respondit: «Non recordor».

Interrogata, si fuit docta, respondit: «Non».

Die Veneris vigesimo quarta mensis Julii.

II.

Domina Eliana[2] soror et monialis dicti monasterii virginis gloriose de insula Danubii iuravit ad sancta Dei evangelia dicere et respondere meram et puram veritutem super vita et conversatione recolende memorie Margarethe virginis sanctimonialis dicti monasterii, et super miraculis, que ad invocationem ipsius sororis Margarethe Deus dicitur ostendisse.

Que iurata et interrogata sub iuramento dixit, quod domina Maria, uxor regis Bele dedit dictam Margaretham, filiam suam, que tunc poterat habere tres annos et dimidium et plus, monasterio sancte Catharine de Vesprimio.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia vidit, et erat monialis et custos ipsius monasterii sancte Catharine.

Interrogata, si scit, qualiter dicta puella data fuit per dictam matrem suam dicto monasterio, respondit: «Ut esset monacha ipsius monasterii, et serviret Deo, sicut mater dicebat sua.» Item dixit, quod dum esset puella in etate predicta, incepit legere, et sicut tempus procedebat, incepit cantare; et dixit, quod domina Catharina, que nunc est priorissa istius monasterii sancte Marie de insula, erat sua magistra.

Interrogata quomodo scit hoc, respondit: «Quia fiebat ante me». Item dixit: «Stando in dicto monasterio sancte Catharine serviebat in ecclesia, scopando eccle-

[1] Az 1272-ben Fülöp esztergomi érsek elnöklete alatt kiküldött vizsgáló bizottságot érti.

[2] «Második sorornak ő neve soror Eliana. És ez mikoron bizonságot tőn zent Margit azonnak zentséges életiről vala hatvan eztendős, és mikoron bement vala az zerzetben Bezprimet vala tiz eztendős, mikoron kedeg eljut vala zent Margit azzonnal Bezprimőt bodog azzonnak klastromába, akoron vala negyvenkét eztendős.»

siam et faciendo alia servitia, que facere poterat, quando habuit sex annos, et circa etatem illam».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia videbat. Item dixit, quod postea, donec fuit in monasterio, cantabat et legebat et cum aliis in ecclesia predicta in matutinis, missis et aliis horis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia stabat cum ea et videbat eam. Item dixit, quod dicta puella, dum esset in etate septem annorum, vel circiter, quadam die duxit dictam testem et sororem Beatam,[1] que mortua est, ante altare dicti monasterii sancte Catharine Vesprimiensis, et incepit eis dicere, quomodo debebat rogare Deum. Item dixit, quod predicta domina Maria, mater sua fecit fieri monasterium istud virginis gloriose sancte Marie de insula Danubii occasione dicte puelle sue, et quod dicta puella, postquam habuit decem annos vel circa, venit ad standum in isto monasterio gloriose virginis de insula Danubii, et dixit, quod bene venerunt cum ea decem et octo sorores dicti monasterii sancte Catharine.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia veni cum ipsa et cum aliis sororibus».

Interrogata de nominibus dictarum sororum, respondit: «Soror Catharina, Olimpias, Benedicta, Cecilia et alie, quarum nomina non recordor modo». Item dixit, quod dicta puella de licentia suarum maiorum aliquando recipiebat a fratre suo domino rege Stephano aliquas marcas argenti, de quibus faciebat eleemosinas, et missas cantare.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia vidit. Item dixit, quod dicta puella fecit professionem in dicto monasterio de insula Danubii, quando habebat undecim annos et dimidium, vel plus usque ad duodecimum. Item dixit, quod semper dicta virgo Margaretha portabat malas vestes, et volebat semper stare in paupertate propter Deum.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quomodo non debeo scire, quia stabam cum ea in claustro, et videbam eam». Item dixit, quod dicta soror Margaretha ieiunabat sicut alie sorores et satis plus, et multoties stabat in mensa, ubi alie comedebant, cooperiendo sibi faciem cum velamine, dicendo aliquas orationes, sicut apparebat, et sic stabat, donec alie comederent primam menestram,[2] et aliquando plus vel minus.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia secum comedebat ad mensam et videbat eam. Item dixit, quod iacebat super una stora[3] et super una sclavina[4]

---

[1] Beata nevű apáczáról a magyar legenda és a nápolyi is szólnak.

[2] Minestra, olasz szó: «leves».

[3] Stramen, arundo. (Du Cange.) Gyékény.

[4] Vestis longa (Du Cange). A magyar legendában olvassuk, hogy «ágya vala egy gyékén, egy hitván lasnok és egy kis vánkos.» 14.

et parvum plumacium tenebat subtus caput, nisi quando erat ammalata,[1] et detinebat ad dorsum unam pellem, in qua erant multi piglii,[2] nec volebat, quod tollantur de dicta pelle, ut maiorem penitentiam sustineret. Item dixit, quod serviebat infirmis in faciendo lecto eis, et dando eis bibere et comedere, inungendo eas et balneando[3] eas, quando oportebat.

Interrogata, si faciebat hoc de mandato sue priorisse, vel propria voluntate, respondit: «Sua voluntate». Item dixit, quod lavabat pedes sororum servitialium, que stabant in claustro, quolibet anno in cena domini, nisi quando erat infirma.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia vidit, et sibi testi lavit sepe pedes. Item dixit, quod portabat cilicium supra carnem subtus alias omnes vestes, nisi quando sentiebat sibi malum, et in quadragesima semper portabat illud.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia vidit. Item dixit, quod multum verberabat se cum una scoriata.[4]

Interrogata, quomodo scit, respondit, quia audivit hoc a Sabina socia et secretaria sua[5] et dixit, quod dictum cilicium et scoriata adhuc sunt in dicto monasterio, «et in illo poteritis videre, si vobis placet».

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia vidit hoc. Item dixit, quod pater suus, rex Bela volebat eam maritare duci Polonie,[6] quando erat in predicto monasterio sancte Catharine, et ipsa dicebat, quod prius abscinderet sibi nasum, quam tolleret maritum; et postquam fuit in isto monasterio de insula Danubii, dictus pater suus voluit maritare eam regi Bohemie,[7] pro pace quam volebat facere secum, et dixit, quod prius volebat mori et prius abscindere sibi nasum, quam exiret de claustro, et acciperet maritum, et tunc fecit se consecrari per archiepiscopum Strigoniensem, ne pater suus eam maritaret.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quod hoc fuit ante ipsam testem, et quod audivit et vidit.

Interrogata, que erant alie tunc presentes, respondit: Soror Olimpiades, monialis istius monasterii et multe alie, de quibus non recordatur.

Interrogata de loco, in quo fuit, consecrata, respondit: «Ante altare sancte Elisabeth in ecclesia dicti monasterii de insula». Item dixit, quod quando alie sorores exibant de ecclesia post officium, ipsa soror Margaretha remanebat in ecclesia

---

[1] Ammalata, olasz szó: «beteg».

[2] Pigli = pediculi.

[3] A kéziratban kétségkivül tollhiba: «blancando». A XIX. számú vallomásban áll: «balneabat infirmos».

[4] Flagellum ex corio. (Du Cange.)

[5] Azaz: bizalmasa (nem pedig titkára). Vallomása a X. szám alatt következik.

[6] A lengyel házassági terv felől a történelmi emlékek hallgatnak.

[7] Ez II. Ottokár volt, ki miután Margit herczegnő kezét el nem nyerhette, IV. Béla unokájával, Kunigunddal lépett házasságra, 1261-ben. (PALACKY Geschichte von Böhmen. II. 184.)

post eas, et ante altare faciebat venias et orationes cum magna devotione et humilitate, osculando pedes crucifixi et amplexando, et multum stabat ibi.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia videbat hoc quolibet die. Item dixit, quod postquam intravit monasterium istud, servavit suum ordinem et suam regulam magis fortiter quam alie sorores in tota vita sua, et melius faciebat officium suum in ecclesia quam alie. Item dixit, quod postquam venit ad istud monasterium de insula Danubii, non exivit de predicto monasterio, et ibi finivit vitam suam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit, quia vidit et erat tota die cum illa. Item dixit, quod non posset dicere totam devotionem et reverentiam, quam habebat in Deo. Item dixit, quod cum dicta testis haberet magnum malum in quodam digito manus sue dextere, ita quod non poterat quiescere, ipsa testis ivit ad lectum dicte sororis Margarethe, et invenit eam stantem prope lectum suum in oratione, et ostendit sibi digitum, dicens, quod non poterat dormire et quiescere, et si haberet aliquam petram, que haberet virtutem, sibi mutuaret, et ipsa soror Margaretha tunc strinxit sibi digitum, et dixit: «Vade ad pausandum, quia tu eris cito liberata»; et tunc ipsa testis tornavit[1] ad lectum suum, mire (?) et statim fuit guarita;[2] et dixit, quod in hora completorii istud malum incepit sibi, et quando debebat ire ad lectum, ivit ad dictam sororem Margaretham et dixit sibi, ut dictum est, et dixit, quod omnes alie sorores iverant ad dormiendum, et mane dixit eis.

Interrogata, quantum tempus est, quod hoc fuit, respondit: Per tres annos ante mortem dicte sororis Margarethe, sed de mense et de die non recordatur.

Interrogata, quantum tempus est, quod dicta soror Margaretha mortua est, respondit, quod non recordatur.

Interrogata, quot annos habebat tempore mortis sue, respondit: «Viginti octo annos, parum plus, vel minus».

Interrogata ipsa testis, quot annos habet, respondit: Sexaginta annos, sicut credit, et plus. «Et sunt quadraginta anni, quod monacha sum (in) predictis duobus monasteriis».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Martis prima intrante Septembrem.

Interrogata, si recordatur, quod aliquo tempore, dum esset in dicto monasterio de Vesprimio, duo fratres predicatores venirent illuc, qui vellent recedere, respondit: «Sic, et bene recordor, quando volebant recedere, quod virgo Margaretha

[1] Tornare, olasz szó: «visszatérni».
[2] Guarita, olasz szó: «meggyógyult».

rogabat eos, quod non recederent, et ipsi dixerunt, quod non poterant stare; et ipsa dixit: ‚Ego rogabo Deum, quod faciat pluere tam fortiter, quod non possitis recedere', et ipsi dixerunt: ‚Nulla pluvia posset nos tenere', et recesserunt, et ipsa beata Margaretha, que tunc poterat esse decem annorum, intravit ecclesiam, et rogavit Deum quod plueret, et facte sunt pluvie tam magne, quod ipsi fratres redierunt, et non potuerunt recedere, et steterunt nocte illa in illa civitate, sed nescio ubi».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non bene scio, sed recordor, quod fuit in autumno».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post prandium cito».

Interrogata de presentibus, respondit: «Catharina, que est priorissa modo et Olimpiades, de aliis non recordor».

Interrogata, in quo loco erant tunc, quando sic rogavit dicta virgo Margaretha dictos fratres, respondit: «In domo capituli».

Interrogata, quale tempus erat, quando rogavit fratres, quod non recederent, respondit: «Serenum tempus multum».

Interrogata, quomodo scit, quod dicti fratres redierunt, respondit: «Thomas presbyter noster nobis dixit».

Interrogata si fuit docta, vel rogata, respondit simpliciter: «Non».

Eadem die Veneris vigesima quarta mensis Julii.

III.

Domina Jolent,[1] soror et monialis dicti monasterii virginis gloriose de insula Danubii iuravit ad sancta Dei evangelia dicere et respondere meram et puram veritatem super vita et conversatione recolende memorie predicte Margarethe virginis sanctimonialis olim dicti monasterii et super miraculis, que ad invocationem ipsius sororis Margarethe virginis Deus dicitur ostendisse.

Que iurata et interrogata sub iuramento dixit, quod dicta soror Margaretha, dum haberet tres annos et dimidium, data fuit per patrem et matrem monasterio sancte Catharine Vesprimiensi, ut monacha esset, et Deo serviret.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quod vidit et presens fuit, quando

[1] «Harmadik sornak vala neve soror Jolent. Ez soror Jolent mikoron bizonságot tőn zent Margit azzonnak zentséges életéről vala az időben negyven eztendős, és ment vala Bezprimet zerzetben hét esztendős korában, és mikoron eljut vala Bezpriműl zent Margit azzonnal vala az időben tizennégy eztendős.»

monacha erat dicti monasterii. Item dixit, quod dicta virgo Margaretha incepit legere et addiscere, postquam fuit...;[1] soror Catharina, que nunc est priorissa in isto monasterio de insula Danubii, erat sua magistra, que docebat eam, «Ave Maria», «Pater noster» et «Credo» memoriter, et ex tunc incepit ieiunare in die Veneris sancta.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia erat socia sua. Item dixit, quod passato[2] medio anno dicta virgo Margaretha incepit tam bene addiscere officium sancte Marie, quod mirabantur moniales eiusdem monasterii, et postquam edocta est, imparavit[3] officium, dicebat horas de sancta Maria, sicut alie sorores, sed non surgebat ad matutinum, quia iuvenis erat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia erat cum illa die noctuque, et videbat hoc. Item dixit, quod dum esset ita puella, faciebat altare et in eo orabat, et hoc videbatur gaudium suum, ludus suus.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit; quia vidit et erat presens. Item dixit, priusquam habuit septem annos, stando in dicto monasterio Vesprimiensi, quando videbat fratres et sorores, ipsa ponebat se cum eis et orabat.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia sepe vidit. Item dixit, quod quando dicta puella habebat sex annos, parum plus vel minus, videns crucem, que ostendebatur sibi, dimandabat,[4] quid sit hoc; et tunc sorores respondebant: «Filia mea, hoc est sicut Christus fuit mortuus pro nobis, et sparsit sanguinem suum»; et tunc puella incipiebat flere.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quod «(In) presentia mea fuit hoc». Item dixit, quod dum haberet septem annos, rogavit dictam testem, sociam suam, et quasdam alias, quod darent sibi scapularium, et tunc clauserunt ostium, duxerunt eam coram altari, et ceperunt cantare plane: «Veni Creator», et posuerunt scapulare in dorso suo. Item dixit, quod postquam habuit novem annos, quasi furtim discedebat a monialibus et sociis dicti monasterii, et intrabat ecclesiam in loco occulto et orabat, et quando magistra sua inveniebat eam et vocabat ipsam, ipsa dicebat: «Dimittas me adhuc aliquantulum stare hic.»

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia quando ipsa et alie querebant ipsam, videbant et audiebant hoc. Item dixit, quod cum esset in dicta etate, vel circiter, ipsa Margaretha scopabat domum, ecclesiam et refectorium, et serviebat infirmis, sicut poterat, multum libenter, et necessaria purgabat.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia cum ipsa testis et alie quedam purgarent ex necessitate necessaria sua, ipsa puella rogabat eas, quod dimitterent

---

[1] Itt két szó ki van hagyva; az, hogy hány éves korában tanult olvasni.
[2] Passato, olasz szó, «elmult».
[3] Imparare, olasz szó: «megtanulni».
[4] Dimandare, olasz szó «kérdezni».

eam intrare cum eis ad purgandum dicta necessaria, et contra voluntatem earum intrabat et purgabat cum eis. Item dixit, quod rex Bela, pater dicte Margarethe virginis voluit illam maritare duci Polonie, dum adhuc esset in dicto monasterio sancte Catharine, et ipsa puella nolebat et dicebat: «Si aliter non possum scampare,[1] truncabo nasum meum.»

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia presens erat et audivit. Item dixit, quod dicta virgo Margaretha habebat decem annos, quando venit de dicto monasterio sancte Catharine ad istud monasterium de insula Danubii.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia pater suus et mater fecerunt ipsam venire ad istud monasterium, et ipsa testis cum multis aliis sororibus dicti monasterii sancte Catharine venerunt cum ea. Item dixit, quod postquam venit ad dictum monasterium, pater suus, rex Bela voluit eam maritare regi Bohemie, sed illa noluit consentire, dicendo, quod prius lassaret[2] se occidi, quia volebat servire Deo, et flebat multum, quando dicebatur sibi hoc, et ne pater suus posset illam maritare, fecit se consecrari ab archiepiscopo Strigoniensi coram altare sancte Elisabethe dicti monasterii de insula Danubii.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Ego scio pro vero, quia ego eram tunc ipsi presens ibi». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha fuit de tam bona vita, quod non posset dici per linguam hominis.

Interrogata, de quo fuit de tanta bona vita, respondit: «In serviendo infirmis, lavando capita eis, et servitialibus illud faciebat, et dabat eis comedere et bibere, et faciebat eis lectos et balnea, et radebat eis capita, quando oportebat, et scopabat infirmariam, et alia servitia que facere poterat, et erat que visitabat sorores et servitiales infirmas, et consolabatur eas, et querebat humiliter de infirmitate earum, et dicebat: ‚Quid placet vobis', et faciebat eis invenire medicinas ad infirmitates suas, in quantum ipsa poterat, et stabat ad custodiendas eas infirmas usque ad matutinum».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia ipsa et alie sorores id videbant. Item dixit, quod nunquam vidit personam aliquam, que tantum oraret et rogaret Deum, quantum ipsa virgo Margaretha faciebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, ad hoc respondit, quod ipsa et alie sorores videbant. Item dixit ipsa testis, quando surgebat, ut videret, si esset hora matutina, quia erat sacristiana, frequenter ibat ad lectum dicte virginis Margarethe, et semper inveniebat ipsam iuxta lectum stantem in oratione, et hoc vidit per novem annos, in quibus fuit sacrestana. Item dixit, quod quando nunciabatur nativitas Dei et gloriose virginis et ipsius annunciatio et assumptio, sicut fit in

[1] Scampare olasz szó: «menekülni».
[2] Lasciare, olasz szó: «hagyni».

capitulo, ipsa virgo Margaretha audiebat hoc cum tota devotione, quod sternebat se ad terram cum lacrymis et orationibus, et dixit, quod in qualibet predictarum festivitatum faciebat mille venias, dicendo orationes suas, sed nescit, quales.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia videbat eam in ecclesia facientem hoc. Item dixit, quod semper ieiunabat in pane et aqua vigilias beate Marie virginis.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit, quia videbat. Item dixit, quod ab illa Dominica quadragesime, qua cantatur: «Judica me» faciebat sibi legi passionem Christi usque ad Sabathum sanctum, et illam audiebat cum lacrymis et magna devotione, et semper stabat tunc in pedibus. Item dixit, quod in cena domini lavabat pedes omnibus sororibus et servitialibus claustri dicti monasterii, et pedes illarum sugabat cum velo capitis sui, et nihil comedebat, nec bibebat in die passionis domini.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia ego et alie sorores videbamus hoc, et mihi testi lavit pedes et sugavit, et hoc incepit facere, quando incepit habere bonum sensum, et bonam cognitionem, et hoc fecit usque ad mortem suam quolibet anno», sicut ipsa testis vidit. Item dixit, per totam quadragesimam et per totum adventum et qualibet septimana a die Jovis usque ad Sabathum portabat cilicium supra carnem.

Interrogata, quomodo scit, respondit, quia vidit per oculos suos: «Et dictum cilicium poteritis videre, si volueritis». Item dixit, quod per decem annos, sicut credit, ante mortem suam dicta virgo Margaretha quolibet mane in hora prima faciebat sibi dici penitentiam, et non poterat videri per aliquam de sororibus, nisi quando ad videndum corpus Christi exibat de loco suo, in quo morabatur occulte et private, et postea revertebatur in dictum locum, et stabat ibi quousque incipiebatur missa conventualis, et tunc exibat et ibat ad chorum, et stabat ibi cum aliis dominabus multum devote usque ad finem misse, et completa missa revertebatur ad illum locum suum secretum, et stabat ibi usque ad horam prandii.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit, quia vidit: «Et dictum locum poteritis videre, si volueritis.» Item dixit ipsa testis, quod quando erat sacrestana, et volebat claudere ostia chori, dicto completorio, dicta virgo Margaretha sepe dixit ei in vigilia sanctorum, quod ipsa sacrestana clauderet eam in choro, et rogabat eam, quod veniret ad standum cum ea, et hoc factum fuisse pluries. Quadam nocte in vigilia omnium sanctorum stabat ante altare in orationibus, et cum multum stetisset ita, dicta soror Margaretha cecidit, quod videbatur quasi mortua, et tamdiu stetit sic, donec predicta testis legit sibi totum psalterium, faciendo in quolibet psalmo unam veniam, et quamvis pluries faceret signum et sonitum, ut ipsa surgeret, ipsa tamen non surrexit, nec sibi loquuta fuit, et tunc dicta testis dubitans, ne mortua esset, ivit ad Olimpiadem magistram suam, et privatim dixit sibi supradicta, et tunc ipsa magistra sua cum dicta teste statim redierunt ad locum, ubi

eam omiserat ipsa testis coram altari, et viderunt eam sic iacentem, et cum approximarent ad eam, dicta virgo Margaretha surrexit, et dicta Olimpiades magistra sua cepit eam reprehendere et dicere: «Quid facis, tu vis te interficere?» et statim rediit, «et ego dixi sibi: ‚Qualiter me turbasti?' et ipsa virgo Margaretha subridens cepit manum meam dicens: ‚Noli turbari, quia parum steti sic»'.

Interrogata, quot anni sunt quod hoc fuit, respondit: Hoc fuit per unum annum ante mortem suam; et dixit, quod septem anni sunt quod sit mortua.

Interrogata, in qua die fuit illud festum omnium sanctorum, respondit: «Ego non recordor».

Interrogata, in qua hora predicte noctis hoc fuit, respondit: Ante matutinum, scilicet priusquam surrexerunt, nam incontinenti pulsatum fuit ad matutinum.

Interrogata, num alie sorores monasterii sciverunt predicta, respondit: «Mane sequenti ego dixi hoc domine Candide, de tunc priorissa, que mortua est, et aliis dominabus de isto monasterio».

Interrogata de nominibus aliarum dominarum, respondit: «Non recordor». Item dixit, quod diligebat paupertatem et in paupertate vivere, in portando veteres vestes et velum vetus, et numquam novas vestes portare volebat, licet sibi darentur, et in cibo et in potu et in omnibus aliis; et libenter subveniebat pauperibus in omnibus, in quibus poterat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam oculis meis». Item dixit, cum quadam die plueret fortiter, dicta virgo Margaretha dixit cuidam servitiali, quod debet ire et portare sibi tunicam suam, quam habebat quedam alia servitialis, et cum iret dicta servitialis pro predicta tunica, cecidit in quemdam puteum, et cum nimis staret et non tornaret, dicta virgo Margaretha querebat de dicta servitiali, et tandem, cum non inveniret eam, ipsa et alie sorores invenerunt eam in puteo, nam ceciderat, et cum ipsa non posset eam extrahere de puteo, ad fenestram fecerunt signum, et dixerunt hoc fratribus, et fratres intraverunt et iverunt ad puteum; et cum magistra dicte virginis Margarethe reprehenderet et diceret, quod male fecerat et occiderat illam servitialem, quia mittebat eam pro tali tempore per curiam, ipsa virgo Margaretha cepit rogare Deum, quod scamparet eam a tali blasmo[1] et tunc dicta servitialis, que tunc iverat usque ad fundum putei, venit supra aquam, et cepit hydriam, cum qua trahitur aqua, et tunc fratres et sorores traxerunt eam superius, (et) liberata est.

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor». Dixit tamen, quod hoc fuit in quadam die resurrectionis.

Interrogata, qua hora fuit hoc, respondit: «De sero».

---

[1] Biasimo, olasz szó: «megrovás».

Interrogata, si tunc iam cepit obscurum, vel clarum, respondit: «Obscurum».

Interrogata de nomine predicte servitialis, respondit: «Agnes, que adhuc vivit».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta Margaretha precepit dicte servitiali, quod portaret sibi dictam tunicam, respondit, quia hoc audivit postea a dicta virgine Margaretha.

Interrogata, quomodo scit, quod magistra predicte virginis Margarethe reprehenderet eam, respondit: «Ego et alie sorores hoc audivimus iuxta predictum puteum».

Interrogata, quomodo scit, quod predicta virgo Margaretha rogavit Deum, ut superius dixit, respondit: «Ego et alie sorores hoc audivimus».

Interrogata de nominibus fratrum, qui traxerunt dictam servitialem de dicto puteo, respondit: «Ego non recordor».

Interrogata, que fuerunt ille sorores, respondit: «Olimpiades, magistra predicte virginis Margarethe et Elisabeth, filia sua, Margaretha, filia domini Gulielmi et Femia et multe alie, de quibus non recordor», et dixit, quod omnes predicte sorores vivunt et sunt in dicto monasterio.

Interrogata, quomodo scit, quod dicta servitialis tunc ivit usque ad fundum putei, respondit: A dicta servitiali audivit, quando tracta fuit de puteo.

Interrogata, quot annos habet, respondit, quadraginta annos, et per triginta tres annos semper in monasterio fuerat.

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die lune sequenti[1] rediit dicta testis, soror Jolent, et dixit, volens corrigere dictum suum, quod per errorem dixerat, quod fratres fuerunt presentes ad trahendum predictam servitialem de dicto puteo, quia non fuerunt ibi, sicut postea recordata est.

Die Mercurii secunda intrante Septembrem.

Interrogata, si recordatur, quod duo fratres predicatores venissent ad monasterium Vesprimiense, quando ibi erant, et dum ipsi recedere vellent et recedere incepissent, pluit fortiter, et non potuerunt tunc recedere, respondit: «Scio, quod semel venerunt duo fratres predicatores, et unus frater habebat nomen Herbart, sed nomen alterius non scio, et ipsa beata Margaretha rogabat eos, quod non recederent, et ipsi dixerunt: ‚Nos non possumus stare, volumus recedere', et ipsa beata Margaretha dixit: ‚Ego rogabo Deum, quod pluat sic fortiter, quod non possitis recedere', et ipsi dixerunt: ‚Pluvia non posset nos retinere', et recedebant, et ipsa beata Margaretha, que habebat forte decem annos, sed nescio pro certo, intra-

[1] Julius 27.

vit ecclesiam, et rogavit Deum, quod faceret pluere tam fortiter, quod ipsi fratres non possent recedere, et venit pluvia incontinenti tam magna, quod dictum fuit nobis, quod steterunt in civitate illa de Vesprimio».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio pro certo, sed bene scio, quod fuit in autumno».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Statim post prandium».

Interrogata de presentibus, respondit: «Multi erant, et bene recordor quod ibi erat soror Olimpiades (et) soror Catharina, que modo est priorissa».

Interrogata, quomodo scit, quod oravit in ecclesia, ut dixit, respondit: «Vidimus eam orare et flere ante nos, et intravit ecclesiam, et credo, quod ibi oravit similiter.»

Interrogata, a quibus audivit, quod dicti fratres redierunt et steterunt in civitate illa, respondit: «Presbyter Thomas, qui stabat in ecclesia nostra, hoc dixit nobis».

Item interrogata, si scit, quod domina Elisabeth, filia quondam regis Stephani habuit aliquam infirmitatem, postquam mortua fuit ista virgo Margaretha, respondit: «Habuit infirmitatem acutam, et credebamus eam mori, et apposuimus scapularium et velum, que portabat ista sancta Margaretha, super eam, et lavimus capillos istius sancte Margarethe, et illam lavaturam dedimus sibi ad bibendum, et statim incepit sudare, et meliorata et sanata est».

Interrogata, quomodo scit, quod predicte vestes posite sunt super eam et lavatura capillorum data fuerit ei ad bibendum, respondit: «Scio, quia sedebam ad caput eius».

Interrogata, quomodo scit, quod incepit sudare, et meliorata et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Ego eram ibi et cooperiebam ipsam».

Interrogata, si alique alie erant presentes, respondit: «Soror Olimpiades, que portavit vestes predictas, et ego et multe alie».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Hoc anno circa pentecosten».

Interrogata de mense, respondit: «De illo mense pentecostes».

Interrogata de die, respondit: «Non possum recordari».

Interrogata de hora diei, respondit: «Circa horam vespertinam».

Interrogata, que verba dicebant tunc, respondit: «Orabamus beatam Margaretham, quod liberaret eam».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Presbyter Petrus, prior ecclesie sancte crucis de calidis aquis de ordine cruce signatorum[1] et *Artolus* mercator, qui stat Venetiis, iuraverunt, interrogare domi-

[1] A János-lovagok óbudai monostorának perjele.

nas istius monasterii et alias personas in lingua hungarica, sicut eis dicerent predicti inquisitores, et fideliter eis referre ea, que intellexerint ab ipsis, scilicet predictus prior in latino sermone et Artolus in sermone italico, sicut intelligerent in hungarico a predictis dominabus et aliis personis; remotis odio, amore et timore, pretio et precibus, spirituali utilitate et damno suo et alieno, ad bonam fidem et sine fraude, sic Deus eos adiuvaret ac ista sancta Dei evangelia; (et) sicut superius scriptum (est) in dictis predictarum dominarum interpretati fuerunt.

Die Sabathi vigesima quinta mensis Julii.

IV.

Domina Margaretha,[1] filia domine Anne, sororis coniugis regis Stephani, soror et monialis dicti monasterii virginis gloriose de insula Danubii iuravit ad sancta Dei evangelia dicere et respondere meram et puram veritatem super vita et conversatione recolende memorie predicte Margarethe virginis, sanctimonialis olim dicti monasterii de insula Danubii et super miraculis, que ad invocationem ipsius sororis Margarethe virginis Deus dicitur ostendisse.

Que iurata et interrogata sub iuramento dixit, quod vidit dictam virginem Margaretham, quando primo venit de monasterio de Vesprimio ad istud monasterium de insula Danubii, et dixit, quod tunc dicta Margaretha poterat habere undecim annos, sicut audivit; et dixit, quod ab eo tempore quasi semper fuit socia sua, et multum stabat secum in dormitorio et in aliis locis; et dixit, quod ipsa virgo Margaretha fuit bone vite et sancte, quia semper rogabat Deum, et libenter subveniebat pauperibus, in quibus poterat, et habebat magnum amorem ad Deum et proximum, et erat magne humilitatis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam hoc, sicut illa que eram socia sua, et quotidie eram secum». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha a mane usque ad prandium stabat in orationibus et in missis, (et) ita erat intenta in orationibus, quod nolebat exire de choro per aliquem nuncium patris, vel matris, vel alterius persone, cum vocaretur a priorissa sua.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam, et lectus meus vicinus erat». Item dixit, quod post completorium pro maiori tempore stabat in oratione iuxta lectum suum, donec galli contabant, nisi quando erat infirma.

---

[1] «Negyedik sornak vala neve soror Margaréta. És ez vala István királynak mennyének Anna azzonnak leánya. Ez soror Margaréta mikoron bizonságot tőn zent Margit azzonról, vala-az időn huzonnyolcz eztendős, mikoron kedeg ez zerzetbe jut vala, akoron vala négy eztendős. Ez soror Margaréta vala zent Margit azzonnak öccse és társa mikoron az betegeknek zolgál vala.»

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam et lectus meus erat iuxta lectum suum». Item dixit, quod predicta virgo Margaretha in septimana sua lavabat scutellas et pignatas,[1] et aliquando erat tam magnum frigus, quod quando squaminabat[2] pisces et lavabat, manus sue tremebant ex nimio frigore, propter glaciem et frigus magnum. Item dixit, quod super totum hoc serviebat infirmis, faciendo coquinam earum, dando eis bibere et comedere, lavando eis capita, et radendo et portando et iuvando eas ire ad necessarium.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam et serviebam cum ea». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha ab eo tempore circiter, quando vidit et cognovit eam in isto monasterio de insula Danubii per totam quadragesimam et per totum adventum portabat cilicium super carnem, et a die Jovis usque ad diem Dominicum per totum annum. Item dixit, quod portabat cingulum de ferro subtus dictum cilicium, et quod erat tota cargata[3] de pediculis, et nolebat quod pediculi tollerentur, ut propter hoc affligeret corpus suum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi oculis meis, et cilicium et dictum cingulum adhuc sunt in isto monasterio». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha petiit in obedientiam a priorissa, quod posset lavare pedes omnibus sororibus et servitialibus eiusdem monasterii in cena domini quolibet anno, et sic habuit illam obedientiam, et quolibet anno in dicta die lavabat pedes predictis sororibus et servitialibus cum magna humilitate, et cum velo capitis sui sugabat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et audivi et mihi testi lavit pedes meos». Item dixit. quod in vigilia nativitatis, in parasceve, in vigilia assumptionis et in aliis magnis vigiliis verberabat se cum virgultis de spinis aliquando, et quandoque cum quadam scoriata de pelle gritii,[4] ita quod sanguis exibat, et quando non poterat hoc facere propter debilitatem brachii sui, et quod habuit malum per quatuor annos vel circiter in finibus vite sue, faciebat se verberari per sororem Sabinam, monacham eiusdem monasterii.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi, et illud poteritis a dicta sorore Sabina scire». Item dixit quod: «Quodam die, dum dicta virgo Margaretha stetisset in oratione attenta, os suum spalle sue[5] exivit de loco, ita quod magnum dolorem habebat, et priorissa et alie sorores multum dolebant et querebant medicinas, quomodo possent eam sanare, et ego testis incepi dicere inter me quidem hoc, quod de religiosa ista habetur tanta cura pro istis medicinis, et quasi deri-

---

[1] A nápolyi legendában olvassuk: «Lavabat scutellas et ollas». Cap. XX.

[2] A nápolyi legendában: «Exquaminabat pisces», u. o.

[3] Caricata, olasz szó, «megterhelve», «eltelve».

[4] A nápolyi legendában: «Verberabat se . . . cum virgulis arborum, circumamictis spinosibus pellibus cricinis». Cap. XIII. A magyar legendában: «Veri vala . . . magát az sül disznónak bőrében csinált veszszővel». 22.

[5] Humeri. (Du Cange.)

dendo inter me hoc dicebam, et statim dolorem magnum incepi habere in spatula mea in eo loco, in quo habebat illa, et tunc incontinenti ivi ad pedes illius virginis Margarethe, et ei dixi, sicut cogitaveram, et quod evenerat mihi, dicendo meam culpam, et quod parceret mihi, et statim dicta virgo Margaretha dixit: ‚Dominus parcat tibi', et statim liberata fui».

Interrogata, quot anni sunt, quod hec fuerint, respondit: «Ego non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de presentibus, respondit: «Non habeo in mente, sed postquam fui liberata, hoc dixi sorori Margarethe, filie quondam domini Gulielmi, ducis de Macotisa[1] et sorori Elisabeth, que fuit filia regis Stephani et sorori Marie, filie domini Michaelis et aliis de quibus non recordor». Item dixit, quod in tantum crevit flumen Danubii quadam die, quod intravit cortem,[2] ubi stant sanctimoniales eiusdem monasterii, et elapsis octo diebus frater Marcellus, provincialis predicatorum in Hungaria venit ad dictum monasterium, et predicta virgo Margaretha dixit ei: ‚Sic aqua Danubii creverat et intraverat cortem nostram' predictam; sed frater noluit ei credere dicens: ‚Quomodo potuit hoc esse?' et dicta virgo Margaretha dixit: ‚Oh sancta Maria, tu bene scis, quod de ore meo non consuevit exire mendacium, unde ostendas fratri Marcello, quod sit verum quod dico', et ita incontinenti crevit in tantum aqua, quod intravit domos monasterii, ita quod frater Marcellus ascenderit super quoddam lignum, propter illam aquam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et presens fui».

Interrogata de presentibus, respondit: «Dictus frater Marcellus et unus alius socius suus».

Interrogata de nomine illius fratris, respondit: «Ego non recordor».

Interrogata, si alie persone erant tunc presentes, respondit: «Sic quedam alie sorores istius monasterii, sed non bene recordor de nominibus illarum».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Per tres annos, sicut credo, ante mortem ipsius virginis Margarethe».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non habeo in mente». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha regulas et ordinem suum melius observavit et strictius, quam alie sorores eiusdem monasterii.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod quando fecit professionem, habebat circiter duodecim annos, et tunc pater suus voluit

---

[1] Ennek vallomása a VI. szám alatt következik.

[2] Cortis, atrium. (Du Cange.)

sibi dare maritum, regem Bohemie, et illa dixit, quod prius taliaret[1] sibi nasum cum labiis, quam aliquando maritum acciperet, et dixit, quod presens erat soror Elisabeth; et tunc fecit se consecrari per archiepiscopum Strigoniensem, ne ulterius possit habere maritum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et audivi».

Interrogata, quot annos habet illa testis, respondit: «Viginti octo annos, et viginti quatuor annos fui in isto monasterio».

Interrogata, quot annos habebat dicta soror Margaretha, respondit: «Viginti octo.»

Interrogata, quot anni sunt, quod obiit, respondit: «Septem anni erunt in Februario, sicut credo».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Veneris ultima mensis Julii.

Predicta domina Margharita iuramento interrogata, si unquam audivit, quod dicta virgo Margharita dixit sorori Stephane, filie quondam domini Pause,[2] quod si esset tempus persecutionis, libenter permitteret se martirizari pro amore Jesu Christi, respondit: «Sic, et hoc dixit predicta virgo Margaretha».

Interrogata, in quo loco dixit hoc predicte domine Stephane, respondit: «Non recordor, sed in istis locis audivi hoc ab ore dicte sancte Margarethe».

Die Martis secunda mensis Septembris.

Interrogata, in quo loco erat, quando rogaverat beata Margaretha, quod Danubius cresceret et crevit, ut dixit, respondit: «In quodam parvo campo, qui est ante loquutorium».

Item interrogata, si aliquo tempore audivit a dicta virgine Margaretha, quod ipsa dixerit aliquid de morte sua, de ultima die, antequam moreretur, respondit: «Intravimus quamdam domum, que habet nomen hospitale, et ipsa beata Margaretha dixit: ‚Cito moriar, et rogo vos, quod me faciatis sepelliri in choro nostro ante altare sancte crucis, aut in loco, ubi consuevi orare', et dixit: ‚Ne timeatis, quod ullus fetor exibit de corpore meo'.»

Interrogata, quot anni sunt, quod audivit predicta verba a dicta virgine Margaretha, respondit: «Septem anni erunt circa Februarium, qui modo venit.»

Interrogata de die, respondit: «Die Jovis».

---

[1] Tagliaret olasz szó: «metszeni».

[2] Vallomása a XII. szám alatt következik.

Interrogata de hora diei, respondit: «Hora tenebrarum».

Interrogata de presentibus, respondit: «Soror Elisabeth, filia regis Stephani.»

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit «Non».

Die Dominica vigesima sexta mensis Julii.

V.

Domina Elisabeth,[1] filia clare memorie regis Stephani Hungarie, soror et monialis dicti monasterii de insula Danubii iuravit, ut supra.

Que sub iuramento dixit, quod dicta virgo Margaretha tenuit talem vitam, quod ab aurora usque ad prandium stabat in choro ecclesie in orationibus ante altare, et quando missa conventus dicebatur, ipsa stabat in stallo suo cum aliis sororibus, et cantabat cum eis. Item dixit, quod quando corpus (Christi) levabatur, ipsa flectebat genua, et ponebat se in terra, et cum maxima devotione videbat ipsum corpus Christi, et lacrymabatur multum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam eam». Item dixit, quod post completorium dicta virgo Margaretha quadam vice intravit in capitulum dicti monasterii, et posuit se in orationem ante crucifixum, «Et in tantum stetit ibi, quod me tedebat, et dimisi eam ibi, et ivi ad dormiendum». Item dixit, quod dicta soror Margaretha portabat cilicium in dorso.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Scio, quando eram parva puella, ibam ad eam ridendo et solatiando, et quando ponebam manum ad dorsum eius, sentiebam cilicium, et ipsa dicebat: ‚Fac te retro'.

Interrogata, quot annos tunc poterat habere dicta virgo Margaretha, respondit: «Novem, vel decem». Item dixit, quod ipsa soror Margaretha faciebat coquinam per septimanam suam, sicut aliqua alia, lavando scutellas et ollas, scopando domum, et aliquando parando pisces cum tanto gelu, quod pellis manuum crepabat, et inde sanguis exibat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit quod «Eram secum in septimana». Item dixit, quod quolibet anno lavabat et osculabatur pedes omnibus sororibus eiusdem monasterii et sanctimonialibus claustri nostri, et cum velo capitis sui sugabat pedes ipsarum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Ego vidi hoc, et mihi pedes lavit, et sugabat cum velo capitis sui, et sollicita fuit, et hoc petierat pro obedientia a priorissa, et tunc ipsa priorissa hoc sibi concessit, me vidente et presente.» Item

[1] «Az ötödik sornak vala neve Örsébet, és ez vala István királnak leánya .... Vala az időben huszonegy esztendős mikoron bizonságot tőn.»

dixit, quod: «Secunda die post festum pentecostes nuper preteritum ego eram graviter infirma, et credebam mori, et tunc precavi beatam Margaretham, quod ipsa oraret pro me, et feci mihi portari quoddam scapularium et velum, quod fuerat dicte Margarethe, et cepi osculari ipsum et velum cum magna devotione, et statim cepi sudare, et per sudorem statim liberata fui».

Interrogata, si aliqua de sororibus scivit hoc, respondit: «Soror Olimpiades, que portavit mihi predictum scapularium et velum».

Interrogata, per quot dies stetit infirma, respondit: «Per quindecim dies». Item dixit: «Jam est unus annus elapsus, quod ego habebam magnum malum in gola, quod vix poteram comedere, et non poteram cantare, et tunc ivi ad sepulcrum dicte Margarethe, et posui golam super predictum sepulcrum ipsius, et rogavi beatam Margaretham, quod curaret me et liberaret me, et sana fui per merita ipsius sancte Margarethe».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «In die assumptionis beate Marie».

Interrogata de hora, respondit: «Hora completorii, dum cantaretur ‚Salve regina'».

Interrogata, per quot dies habuit illud malum in gola, respondit: «Per duos dies, vel per tres».

Interrogata, quantum duravit sibi illud malum, postquam posuit gulam super predictam sepulturam, ut dixit, respondit: «Quando ego surrexi ad matutinum, sanata eram, et cantavi cum aliis.» Item dixit, quod visitabat infirmas sorores et sanctimoniales, et multum erat intenta ad faciendum eis illa servitia, que poterat.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia videbam eam, quod sic faciebat». Item dixit, quod «Danubius ita crevit quodam tempore, ut cortem sanctimonialium istius monasterii intraret, et stetit ibi per tres dies, ut credo, et postea frater Marcellus, qui tunc erat provincialis fratrum predicatorum in Hungaria, venit ad istud monasterium, et cum dicta Margaretha diceret ipsi fratri Marcello, quod Danubius ita creverat, quod intraverat predictam cortem, respondit ipse frater Marcellus, hoc non posse esse, nec posse credere, et tunc dicta virgo Margaretha dixit: ‚Oh beata virgo, rogo te, quod ostendas fratri Marcello, quod verum hoc sit, quod ego sibi dixi', et tunc statim dictum Danubium in tantum crevisse per dictam curiam et totum claustrum dominarum, quod aqua tantum fuit alta, quod dictus frater Marcellus ascendit quoddam lignum».

Interrogata de tempore, respondit: «Non recordor, sed credo, fuit ante tres annos ante mortem ipsius beate Margarethe, et hoc melius poteritis scire per alias dominas».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata, qui erant presentes, respondit: «Frater Marcellus predictus et socius suus, nomen cuius nescio, et soror Olimpiades, et soror Margaretha, filia domine generose Anne, et multe alie sorores, de quibus non recordor».

Interrogata, in quo loco erant tunc, quando Danubius ita crevit, ut dixerat, respondit: «Ante loquutorium».

Item interrogata, si soror Margaretha, filia domine Anne, sororis quondam regis Stephani, sibi dixit aliquo tempore aliquid, quod factum fuisset in persona ipsius Margarethe per ipsam virginem Margaretham, respondit: «Ipsa sanata fuit a Margaretha (a)dolore quem habebat in spatula sua».

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Ipsa Margaretha dixit mihi, quod deridendo beatam Margaretham illud malum evenerat sibi».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, quod dixit sibi predicta verba, respondit: «Nescio, sed fuit antequam moreretur ista beata Margaretha».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die: respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non recordor, ante vesperas».

Interrogata, in qua spatula habebat illud malum, respondit: «Nescio bene, sed credo, quod in dextera».

Interrogata, que erant presentes, respondit: «Nulla».

Interrogata, quot annos habet dicta testis, respondit, (quod) fuit in vigesimo primo anno, et «sunt octodecim anni, quod sum in isto monasterio».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est predicta virgo Margaretha, respondit: «Septem, vel circiter».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Martis undecima mensis Augusti.

Predicta soror Elisabeth interrogata, si audivit in aliquo tempore, quod aliqua de sororibus istius monasterii diceret: «Non credam, quod virgo Margaretha sit sancta, nisi videam aliquod miraculum», respondit: «Ego audivi quodam die, quod soror Margaretha, filia domine Anne dixit: ‚Virgo Margaretha, si vis, quod ego credam, quod tu sis sancta, ostende mihi aliquod miraculum', et tunc vidimus, quod quedam femina contracta intravit ecclesiam, et ivit ad sepulcrum, et surrexit et sanata fuit.»

Interrogata, qui erant presentes, dum fuerunt predicta, respondit: «Soror Stephana et alie, de quibus non recordor».

Interrogata, in qua parte fuit dicta femina contracta, respondit: «Ego nescio, sed vidi, quod trahebat se per terram tantum scagnellis».[1]

[1] A nápolyi legendában: «Trahebat se super terram cum scophinis et scancellis». Cap. XXXVIII.

Interrogata, si viderint eam sic contractam, antequam tunc intrasset ecclesiam et sanata fuisset ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Sic, per plures dies».

Interrogata, si vidit eam liberatam, postquam fuit sic liberata, respondit: «Non recordor».

Interrogata, ubi erat dicta testis et dicta domina Margaretha, que viderunt dictam feminam intrantem in ecclesiam et trahentem se ad ecclesiam ad sepulcrum, ut dixerat, respondit: «Ad fenestram chori».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata, si cognoscebat eam prius, respondit: «Non».

Interrogata de nomine ipsius, respondit: «Nescio».

Interrogata, unde fuit oriunda dicta femina, respondit: «Nescio».

Interrogata, si scit, cuius filia fuit, respondit «Nescio».

Item interrogata, si vidit aliquo tempore, quod aliqua alia persona intraret ecclesiam, et haberet brachium contractum, et sanata fuisset apud dictum sepulcrum, respondit: «Vidi, quod frater Michael post mensam in predicatione sua dixit: ‚Videatis, videatis', et nos perspeximus per fenestram et vidimus quemdam iuvenem, quod habebat manum contractam et brachium, et apponebat brachium eius super dictum sepulcrum, et ita sanatus fuit, sicut vidimus».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Circa octavam pentecostes».

Interrogata de die, respondit: «Nescio». De hora diei dixit, ut supra.

Interrogata, si alique de sororibus erant presentes, respondit: «Sic, multe,[1] et iuxta me erat soror Agnes».

Interrogata, si prius viderat dictum iuvenem, antequam sanaretur, respondit: «Non».

Interrogata, quo nomine vocabatur, respondit: «Nescio».

Interrogata, unde fuit oriundus, respondit: «Nescio».

Interrogatata, si cognoscebat patrem, vel matrem, respondit: «Non, nec prius ipsum videram, nec postea vidi».

Interrogata, si aliquem tunc cognovit, qui esset tunc circa sepulcrum, et apponeret manum illius iuvenis super sepulcrum, ut dixerat, respondit: «Non, nisi fratrem Michaelem».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

---

[1] A másolatban kétségkívül tollhiba: iuste.

Die Lune vigesima septima mensis Julii.

VI.

Domina Margaretha quondam filia domini Gulielmi ducis de Maconia,[1] soror et monialis dicti monasterii virginis gloriose de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod dicta virgo Margaretha fuit bona domina et sancta, et quod multum diligebat sorores magnas et parvas, et quod libenter serviebat eis, et stabat in choro in magnis orationibus cum lacrymis, quando ante altare sancte crucis, quando in suo loco privato, et quando stabat ad fenestram chori, per quam videmus corpus Christi, cum magna devotione et cum magnis lacrymis, et erat cum aliis sororibus semper in missis et in aliis officiis, nisi esset infirma, et omni die ita stabat et faciebat usque ad horam prandii.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia ego videbam eam». Item dixit, quod: «Dicta virgo Margaretha a festo sancte crucis usque ad pascha post prandium stabat aliquantulum cum sororibus et postea intrabat chorum, et stabat in orationibus suis cum lacrymis, usque ad horam collationis, sicut sepe ego vidi.»

Dixit, iterum interrogata, dicta soror Margaretha: «Post completorium stabat in dicto choro post alias sorores et orabat cum magna devotione, usque donec claudebatur ostium chori, et postea ibat ad cellam suam, et stabat ante lectum suum in pavimento dormitorii, (in) orationibus usque ad cantum galli».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit: «Sepe vidi eam iacere ad dormiendum ante lectum suum in pavimento dormitorii, et quando dicebam sibi: ‚Bona soror, quare facis hoc, quare interficis te?', et ipsa respondebat: ‚Hoc facio, ut plus cito possim surgere ad orationes meas.'» Item dixit, quod in quolibet anno in vigiliis sancte Marie et in vigilia nativitatis domini faciebat mille venias dicendo: «Veni sancte spiritus».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Ego vidi oculis meis, et ipsa mihi aliquando dicebat hoc». Item dixit, quod in duabus septimanis, que pre-

---

[1] «Hetedik soror neve vala Margit es ez vala Guillymos Makonyai herczegnek leánya . . . Mikoron bizonságot tőn zent Margit azzonról vala az időben harminczhat eztendős». — Ez a Vilmos «makonyai herczeg» Pauler Gyula véleménye szerint II. Endre testvérének, Margitnak fia, volt. Margitnak három férje volt: Angelos Izsák császár, Monferrati Bonifácz és Saint-Omer gróf Ez utóbbitól született egy Vilmos nevű fia. Margit Magyarországban a macsói bánságot bírta; innen származhatott át fiára a makowiai herczegség czíme. A magyar legendában az erdélyi vajda is «herczegnek» czímeztetik.

cedunt pascha, in tantum affligebat se et humiliabat, et stabat in orationibus et lacrymis, ut semper videret dominum cum oculis in crucifixo, et quod in cena domini lavabat pedes sororum dicti monasterii, que sunt bene septuaginta, (et) servitialium de claustro isto, et sugabat pedes ipsarum dominarum et servitialium cum velo capitis sui, et postea dictum velum portabat in capite, et dixit, quod dicta virgo rogaverat priorissam, quod daret sibi in obedientiam, quod posset hoc facere omni anno, et ipsa priorissa hoc fecit.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Vidi illam hoc facientem, et audivi, quando priorissa hoc precepit sibi». Item dixit, quod in cena domini post mandatum dicta virgo Margaretha non intrabat lectum suum, sed orabat et legebat psalterium stando in pedibus in choro, sed in matutino et in aliis officiis stabat cum sororibus istius monasterii, et faciebat usque ad matutinum Sabathi sequentis, et in die Veneris sancto nec comedebat, nec bibebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, per quot annos fecit predicta, respondit: «Postquam recordor, usque ad mortem suam». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha, quando veniebat sua septimana, faciebat coquinam, lavabat scutellas et ollas, et quandoque squaliabat pisces in tanto frigore et glacie, quod manus sue crepabant, ita quod sanguis exibat. Et dixit, quod libenter serviebat dominabus et servitialibus infirmis, et balneabat eas, et faciebat eis lectum, et scopabat domum et purgabat necessaria, et omnia servitia, que poterat facere.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et fui socia sua ad faciendam coquinam et alia servitia et officia». Item dixit, quod si aliquando audiebat aliquam de sororibus lamentari de nocte, tunc ipsa virgo Margaretha statim surgebat, et ibat ad eam et dicebat ei: ‚Soror mea, quid habes? vis tu aliquid?‘ et calefaciebat quandoque vinum, et quandoque pannum ad ponendum super dolorem, et alia servitia, que poterat, serviebat eis.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha diligebat paupertatem, et portabat vestes veteres et repetiatas, et habebat multos sextupedes in vestibus et in capite, et libenter portabat eos pro amore Dei et pro penitentia; et non portabat libenter bonas vestes, et si mater sua domina regina Hungarie aliquando mittebat sibi bonas vestes, aliquando portabat eas, ne offenderet matrem suam, sed raro.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha quolibet tempore portabat cilicium per totum adventum usque ad nativitatem et per totam quadragesimam usque ad pascha, et per quamlibet septimanam a die Jovis usque ad diem Dominicam.

Interrogata, qualiter portabat dictum cilicium, respondit: «In dorso super carnem».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia dicta soror Margaretha mihi

hoc dicebat, dicendo: ‚Soror mea, sic deberes facere'.» Item dixit, quod rex Bela, pater ipsius virginis Margarethe voluit maritare ipsam regi Bohemie, postquam fuit professa in isto monasterio, et ipsa Margaretha nullo modo volebat hoc, et dicebat: «Ego faciam me talem, quod ego ero deformata, et scindam mihi nasum et labia.»

Interrogata, quomodo hec scit, respondit: «Hoc fuit ante me».

Interrogata, quot annos habebat ipsa soror Margaretha, quando fecit professionem, respondit: «Non recordor.» Item dixit, quod rex Bela, pater dicte virginis Margarethe quesivit a suprascripta Margaretha, dum esset parva: «Quid faciet pater tuus cum exercitu?» et illa puella tunc respondit, que vix loquebatur: «Pater meus rex occidet adversarium suum et fugabit adversarios suos,» et sic factum fuit.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Audivi hoc dici a matre dicte Margarethe, que mortua est, et a domina Anna sorore ipsius virginis Margarethe».

Interrogata, quo tempore hoc fuit, respondit: «Non recordor». Item dixit, quod quadam die, dum esset in collacione ante completorium, ipsa virgo Margaretha vocavit ad se sororem Petronillam, et secreto dixit ei: «Num quid apparuisti multum pulchra in istis vestibus et ornamentis mundanis, de quibus cogitabas?» Et illa dixit: «Quid dicitis domina?» et sic verecundata remansit.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Hec audivi postea a dicta Petronilla». Item dixit, quod quodam tempore Danubius ita crevit, quod venit in curtem servitialium sororum claustri monasterii, et stetit ibi per aliquos dies, et postea reversus est ad locum suum. Et frater Marcellus, qui erat tunc prior provincialis fratrum predicatorum in Hungaria, postea venit ad istud monasterium et visitavit sorores, et tunc ipsa virgo Margaretha dixit: «Frater Marcelle, quomodo Danubius creverat, et quomodo intraverat curtem dictarum servitialium,» et tunc ipse frater Marcellus dixit: «Quomodo possunt hec esse? Ego non possum credere,» et tunc ipsa virgo Margaretha dixit: «Oh sancta Maria rogo vos, quod vos ostendatis fratri Marcello, quod ego non dixi mendacium,» et tunc Danubius crevit ita, quod aqua intravit claustrum monasterii predicti, ubi erat ipse frater Marcellus et sorores, et fuit aqua ita alta in dicto claustro, quod frater Marcellus ascendit quoddam lignum, quod erat ibi.

Interrogata, quomodo scit hec, respondit: «Quia ego et domina Elisabeth, filia quondam domini regis Stephani et soror Margaretha, filia domine Anne et multe, de quibus non recordor, eramus ibi».

Interrogata, si aliquis frater erat cum dicto Marcello, respondit: «Sic, duo».

Interrogata de nominibus fratrum, respondit: «Unus vocabatur frater Joannes Lombardus, qui vivit, ut credo, alter vocabatur Tiburtius, qui mortuus est».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Item de die, respondit: «Quodam die Martis inter epiphaniam et quadragesimam».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post horam none.»

Interrogata, si est aliqua servitialis, que vocaretur Agnes, respondit: «Sic, quedam, que cecidit in quemdam puteum istius claustri, in die resurrectionis domini, in sero, et erat multum obscurum tempus et pluebat, dum dicta virgo Margaretha mitteret pro quadam sua tunica, et cum dicta servitialis non reverteretur, et quedam puella clamaret, quod illa ceciderat in puteum, tunc sorores et dicta virgo Margaretha iverunt ad puteum, et soror Olimpiades, magistra ipsius virginis Margarethe incepit multum reprehendere ipsam et dicere: ‚Tu occidisti istam servitialem, quia tu mittebas illam tali tempore', et ipsa virgo Margaretha tunc flexit genua et orabat ad dominum et ad sanctam Mariam, quod iuvaret ipsam servitialem, et quod ipsam liberaret de tanto periculo, et dicebat magistre sue: ‚Non timeatis, quia servitialis non erit mortua', et ipsa servitialis, que iam per tres vices iverat ad fundum dicti putei, extracta fuit superius per dictas sorores cum fune et hidria putei».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata, si erant ibi aliqui fratres, respondit: «Non, sed sorores monasterii».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta servitialis ivit ad fundum putei, respondit: «Audivi hoc ab ea, postquam extracta fuit de puteo».

Interrogata, de nominibus sororum, respondit: «Soror Olimpiades, Johaleta, soror Elisabeth, filia domine Olimpiadis».

Interrogata de nominibus aliarum, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot annos haberet ipsa testis, respondit: «Triginta sex annos, et intravi monasterium quando habui novem annos».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Interrogata, si audivit a predicta Margaretha virgine, quod diceret in presentia sororis Stephane, filie quondam domini Pause, et domine Margarethe, filie domine Anne sororis quondam regis Hungarie, quod libenter permitteret se martirizari pro amore Jesu Christi, respondit: «Sic».

Predicta soror Margaretha interrogata, si scit, quod Margaretha, filia domine Anne aliquo tempore dolorem habuit in aliqua parte sui corporis, respondit: «Dixit mihi predicta soror Margaretha, quod beata Margaretha magnum dolorem habuit in spatula, et ipsa Margaretha, filia domine Anne, deridebat eam in corde suo, dicendo intra se, quid est hoc, quod de ista habetur tanta cura pro medicinis, cum sit religiosa, et incontinenti similem dolorem incepit habere in spatula sua, et tunc ivit ipsa ad sanctam Margaretham, et dixit ei: ‚Jam bene dico, quod vos habetis magnum dolorem in spatula vestra'».

Interrogata, quot anni sunt, quod hec dixit sibi predicta soror Margaretha,

filia domine Anne, respondit: «Non recordor, (sed) hoc bene scio, quod sancta Margaretha tunc erat viva».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non scio».

Interrogata si alique alie sorores aderant presentes circa, respondit: «Sic, multe, sed non recordor de nominibus earum».

Interrogata, si scit, quod aliqua de dictis sororibus esset infirma quando obiit predicta virgo Margaretha, respondit: «Sic, soror Elisabeth, que fuit filia Ladislaii, fuit infirma a festivitate sancti Laurentii usque ad mortem beate Margarethe, sed in illa die, in qua mortua fuit dicta sancta Margaretha, ipsa soror Elisabeth erat sanata de illa infirmitate, quia non poterat se movere, nec ire ad locum pro necessitate corporis sui sine adiutorio, et eadem die vidi, quod ipsa Elisabeth posuit in dorsum suum istius beate Margarethe unum scapularium, et servivit in aliis officiis dictum corpus».

Interrogata, si scit, quod ista virgo Margaretha dixisset in aliquo tempore, quod incideret sibi nasum pro aliqua de sororibus; respondit: «Ab ea audivi, quod ipsa dixit sorori Olimpiadi, quod si Tartari venirent, ipsa truncaret sibi nasum, et si hoc non posset facere, rogaret dictam sororem Olimpiadem, quod hoc faceret, ad quod posset servare castitatem suam».

Interrogata, quot anni sunt, quod audivit predicta ab ipsa Margaretha, respondit: «Non recordor».

Interrogata de presentibus, respondit: «Soror Olimpiades et alie, de quibus non recordor».

Interrogata, si audivit, quod aliqua de sororibus istis unquam dixit: «Non credam, quod virgo Margaretha sit sancta, nisi videam aliquod miraculum oculis meis», respondit: «Sic, a domina Margaretha, filia domine Anne; et postea, quando stabam ad fenestram, que est in choro, quedam femina intravit ecclesiam, que erat ita contracta, quod non poterat ire, nisi cum lignis parvis, cum quibus ibat, et sic dicta soror Margaretha, filia domine Anne dixit: ‚Si ego viderem, quod illa femina sanaretur et surgeret, crederem, quod soror Margaretha, que mortua est, esset sancta;‘ et quam cito ducta fuit ad sepulcrum, sanata fuit, et ivit cum pedibus suis».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuerit, respondit: «Sicut recordor in primo anno, quo incepit facere miracula».

Interrogata de mense «Augusto».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Ante vesperas».

Interrogata, si prius cognoscebat ipsam feminam, respondit: «Non, sed eam videram pluries in ecclesia trahentem se ad sepulcrum sancte Margarethe».

Interrogata de nomine, respondit: «Non cognoscebam nec patrem, nec matrem».

Interrogata, si scit de quo loco predicta domina fuit nata, respondit: «Non».

Interrogata, si vidit eam, postquam sanata fuit, respondit: «Sic».

Interrogata, per quot vices vidit eam sanam, respondit: «Non recordor, sed postea pluries vidi eam sanam».

Interrogata, qui erant presentes, quando dicta soror Margaretha dixit, quod non crederet, quod soror Margaretha que mortua est, sancta esset, respondit: «Ego fui presens tunc, sed inveni ad fenestram sororem Stephanam et sororem Frosiam [1], et quedam alie erant in choro in illa hora, et quedam femina erat sanata, et ipsam vidi sanatam, et in eadem hora, iuxta dictum sepulcrum».

Interrogata, si vidit dictam feminam in illa hora, quando intravit ecclesiam et quando sic sanata fuit, ut dixit, respondit: «Non, sed vidi eam illa hora quando sanata fuit; pluries videram eam antea, sicut contractam, ut dixi».

Die Martis secunda intrante Septembris.

Interrogata, si unquam audivit, quod predicta Margaretha virgo diceret: «Ego moriar, antequam aliqua de sororibus, «respondit: Post mortem Beate dixit ista beata Margaretha: «(Ego moriar) antequam aliqua de sororibus», et mortua fuit, antequam aliqua de sororibus, circa finem anni; et erat cum sorore Olimpiade, quando audivit ista verba.

Interrogata in quo loco erant tunc, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata, si fuit docta vel rogata, respondit: «Non».

Eadem die Lune vigesima septima mensis Julii.

VII.

Domina Benedicta,[2] filia quondam domini Luce de Caboli, soror et monialis predicti monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit sub iuramento, «Bene scio, quod ista virgo Margaretha fuit humilis et simplex in domino, et fuit bone vite et sancte».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Bene scio, quia postquam dicta virgo Margaretha habuit decem annos, semper cognovi eam, et steti secum in isto monasterio». Item dixit, quod ipsa virgo Margaretha stabat continuo ab aurora usque ad horam prandii in orationibus; nec per nuncium patris, vel matris. vel

[1] A kéziratban kétségkívül hibás olvasás következtében áll: «Fuxiam». Frosia vallomása XV. szám alatt következik.

[2] «Heted sornak vala neve soror Benedicta. És ez vala Toboli Buce úrnak leánya . . . Vala ez időben harmicznyolcz eztendős». A Buce kétségkívül hibás olvasás, Luce helyett.

alicuius persone, que peteret eam, volebat dimittere orationem suam, nisi quando vocabatur per priorissam.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam eam et conversabar cum ipsa in dicto monasterio».

Interrogata, in quo loco stabat in dictis otationibus istius monasterii, respondit: «Aliquando in loco suo secreto, qui est in ipso choro, aliquando ante crucifixum, aliquando ante altare sancte crucis, et semper erat in missis conventualibus cum aliis dominabus».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia illud videbam». Item dixit, quod post completorium, donec galli cantabant, ipsa virgo Margaretha stabat in oratione.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc».

Interrogata, in quo loco, respondit: «In capitulo ipsius monasterii ante crucifixum, et ibi legebat septem psalmos, postea ibat ante lectum in orationibus, donec galli cantabant».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia pluries vidi hoc, et audivi ab aliis sororibus». Item dixit, quod cum priorissa aliqua precipiebat communiter sororibus, si presens erat, tunc ipsa virgo Margaretha magis cito ibat ad faciendum illud, quam alique de aliis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit, quod ipsa portabat vestes, in quibus, erant pediculi multi, et quando se expoliabat de istis vestibus, nolebat, quod ammoverentur isti pediculi; aliquando portabat in dorso quamdam pelliceam, in qua erant tot pediculi, quod non posset dici, nec volebat, quod removerentur de dicta pellicea.

Interrogata, quomodo scit hoc, (respondit): «Quia videbam et sepe fugiebam ab ea, propter illos pediculos».

Interrogata, quare portabat vestes cum tot pediculis, et nolebat quod amoverentur a dictis vestibus, respondit: «Propter maiorem penitentiam».

Interrogata, quomodo scit hoc, (respondit): «Scio, quia aliquando dicebam sibi: Quare portas tales vestes cum tot pediculis?' (et respondebat: ‚Permittas me facere, quia corpus tuum non portat istas vestes'». Item dixit, quod quadam die in hyeme, dum esset magnum frigus, ipsa virgo Margaretha, que tunc faciebat septimanam suam in refectorio, vocavit sororem Chingam, ut iuvaret eam portare extra refectorium et evacuare quoddam magnum vas aque, super quo lavabant sibi manus sorores, et illa nolebat ire, et ipsa iterum vocavit eam, et quasi irata fuit, et dum evacuarent illud vas, dicta soror Chinga sparsit aquam super pectus dicte sororis Margarethe, et ipsa cepit ridere, dicens: «Bona soror, quare fecisti hoc?» et tunc illa soror Chinga recessit ab ea.

Interrogata, quomodo scit, respondit: «Quia fui presens». Item dixit, quod portabat cilicium supra carnem suam.

Interrogata, quomodo scit hoe, (respondit): «Quia hoc audiebam dici».

Item dixit, quod in septimana sua faciebat coquinam, lavabat scutellas, scopabat domum et alia, que pertinebant ad septimanam suam.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod in obedientiam petebat a priorissa sua, quod possit servire infirmis, et priorissa hoc precipiebat sibi in obedientiam, et tunc serviebat infirmis, faciendo coquinam et lavando scutellas et ollas, et in omnibus aliis, in quibus eis servire poterat, et pro illis que erant infirme sepe faciebat septimanam, quam debebant facere.

Interrogata, quomodo scit hoc, (respondit): «Quia vidi et audivi predicta».

Item dixit, quod ieiunavit toto tempore secundum regulam, et ultra illud multum ieiunavit, et si priorissa prohibebat ei, ne tantum ieiunaret, timens ne posset hoc sustinere propter debilitatem suam, tunc conturbabatur et flebat, et tunc priorissa permittebat eam facere.

Interrogata, quomodo hoc sciret, (respondit): «Quia hoc videbam et audiebam». Item dixit, quod libenter faciebat eleemosinam pauperibus infirmis, quos aliquando videbat per fenestras chori, quando erant in ecclesia, dando et de vestibus suis ipsis, de licentia priorisse.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit, quod ab illa Dominica quadragesime, qua cantatur ‚Judica me' usque ad pascha stabat in orationibus in planctu et fletu cum magna humilitate et devotione, ultra illud quod faciebat aliis temporibus.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam». Item dixit, quod aqua Danubii venit in cortem, in qua stant servitiales dominarum, et postea reversa fuit ad locum suum, et frater Marcellus, qui tunc erat provincialis in Hungaria, venit post illud tempus ad monasterium istud, et tunc dicta Margaretha incepit dicere sibi, sicut aqua fuerat magna, et ille frater dicebat: «Quomodo possum hoc credere, non potest esse», et tunc dicta soror Margaretha rogabat Deum et beatam virginem, quod facerent, quod frater Marcellus videret, quod verum esset id, quod dixerat sibi, et statim aqua Danubii in tantum crevit, quod venit in curiam dictarum servitialium et in claustrum dictarum dominarum, et frater Marcellus ascendit quoddam lignum, et intravit capitulum dominarum.

Interrogata, que fuerunt tunc presentes, respondit: «Margaretha, que fuit filia dominie Gulielmi et Judit subpriorissa et multe alie, de quibus non recordor».

Interrogata, in quo loco erant tunc, respondit: «In lebio ante loquutorium».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Fuit per tres annos ante mortem eiusdem virginis Margarethe».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor, sed fuit inter epiphaniam et carnis levarium».[1]

[1] Kétségkívül hibás olvasás következtében áll a kéziratban: «carnis venalium». A «carnis levarium» alább többször előfordúl. Du Cange e szót így értelmezi: «Tempus quo a carnibus abstinetur». Itt bizonyára a nagyböjt kezdetét kell érteni.

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata, quot annorum sit ipsa testis, respondit: «Credo, quod habeam triginta octo annos, et sunt viginti quatuor anni, quod ego sum soror istius monasterii».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua sit predicta virgo Margaretha, (respondit: «Septem»).

Die Martis vigesima octava mensis Julii.

VIII.

Domina Elisabeth filia quondam domini Stephani de Badobora,[1] sorot et monialis dicti monasterii de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione beate virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod dicta virgo Margaretha fuit bona domina et sancta et bone vite, et libenter stabat in oratione omni tempore.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Bene scio, quia videbam oculis meis». Item dixit, quod habuit magnam devotionem ad crucem, et ubicumque inveniebat crucem, vel videbat, sive in ecclesia, sive in capitulo, sive in casa[2] sua, semper flectebat se, et flexis genibus orabat eam.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Bene scio, quia fui sacristiana, et videbam hec». Item dixit, quod dicta soror Margaretha petiit in obedientiam, quod esset sacristiana, ut plus posset tranavare se in servitio Dei.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Hoc audivi, et fui socia sua in sacristia».

Interrogata, quanto tempore fuit ista virgo sacristiana, respondit: «Non recordor bene, quia priorissa noluit, ut tantum se affligeret». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha quolibet tempore ab aurora usque ad horam prandii stabat in choro ecclesie in orationibus in loco secreto, et audiebat primum missam privatam, et quando dicebatur missa conventus exibat, et stabat cum aliis sororibus in choro in loco suo et cantabat cum aliis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Ego bene scio, quia vidi». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha qualibet die, postquam missa conventus

---

[1] «Nyolczadik sornak vala neve sóror Erzsébet és ez vala Badoboray István úrnak leánya . . . . Vala az időben negyvennyolcz eztendős . . . Vala társa zent Margit azzonnak mikoron zent Margit azzon secrestyéres avagy custos vala . . . . Vala priorissa az időben mikoron zent Margit azzon meghala.»

[2] Casa olasz szó: «ház».

erat dicta, stabat post alias sorores et ponebat se flexis genibus ante altare sancte crucis, ubi pendet corpus Christi, et cum magnis lacrymis orabat, et hoc plus faciebat in diebus Veneris.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia ego et alie volebamus videre, quid faciebat, et sic aspiciebamus eam». Item dixit, quod quando priorissa precipiebat aliquid sororibus, ipsa virgo Margaretha volebat esse prima ad faciendum istud, quod priorissa precipiebat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha libenter serviebat sororibus et servitialibus, quando erant infirme, faciendo coquinam, et dando eis ad bibendum et comedendum, balneando eas, lavando capita, et iuvando eas, quando volebant ire ad necessaria ,et purgando necessaria earum, quando opportebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi, quod sic faciebat». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha in septimana sua faciebat coquinam conventus dominarum, coquendo cibaria, quandoque purgando pisces, et lavando cum tanto rigore, quod sanguis exibat ex manibus suis, lavando ollas et scutellas, scopando domum et coquinam, portando aquam, et faciendo alia que erant necessaria ad coquinam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam hoc, et aliquando fui socia eius in hoc». Item dixit, quod erat ita intenta in orationibus, quando orabat, nolebat se movere, nequc propter patrem, neque propter matrem, neque propter aliam personam, nisi propter obedientiam.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Bene scio, quia vidi, et audivi illud» et dixit, quod quando rex Bela, pater suus, vel mater, vel frater suus mittebat sibi de uvis passis, vel de similibus, ipsa dicebat priorisse, quod servaret illa pro conventu et pro infirmis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Ego fui presens, et vidi». Item dixit, quod quando pater suus, dominus rex et mater sua et frater mittebant sibi marcas argent, vel auri, vel pannos, vel purpuram, vel pannos sericeos, vel aurum, ipsa virgo Margaretha de licentia priorisse partim dabat isti monosterio, et partem dabat aliis ecclesis pauperibus, et (partem) monasterio sancte Catharine fratrum predicatorum in Alba,[1] (partem) monasterio sancti Antonii, in quo fecisset fieri altare in honorem sancti Nicolai[2] in anno illo in quo mortua est, et aliquando aliis monasteriis et ecclesiis ad faciendos calices et vestimenta pro officio ecclesie.

---

[1] A fehérvári dominikánus zárda már 1231-ben fönnállott. L. RUPP. Magyarország helyrajza. I. 241.

[2] A magyar legenda ezt a zárdát közelebbről meghatározza: «Pesten, szent Antalban kata egy oltárt». Ez szintén dominikánus zárda volt. RUPP. Buda és Pest helyrajza. 244.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quia sunt pure vera».

Item dixit, quod dilgebat paupertatem, et quod veteres vestes et indumenta libenter portabat, et quando pater suus, aut mater sua, vel frater mittebat sibi bonum pannum ad vestiendum se, vel bonas vestes, ipsa virgo Margaretha de licentia priorisse dabat illud pauperibus.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Bene scio, quia vidi». Item dixit, quod in vestibus suis et in capite habebat multos piglos,[1] (et quando amicabiliter rogabant eam ut vestes suas a talibus permitteret emundari)[2] ipsa respondebat et dicebat: «Bona soror, dimitte et noli curare».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi, et ego multotites ei volebam tollere piglos de vestibus suis, et ipsa non dimittebat». Item dixit: «Ego audivi a sororibus, que erant private sue, quod predicta virgo Margaretha portabat cilicium; per dies tres ante mortem suam dedit mihi, quia tunc eram priorissa, clavem a casa sua, in qua ego priorissa post mortem suam cum aliis sororibus invenimus duas cilicii partes, unam veterem et fractam et aliam quasi novam, et unum cingulum de ferro et unam scoriatam de virgis, que erat cooperta de pelle gritii et duos scofonos[3] cum clavis ferreis parvis intus a latibus,[4] et unam palam de stagna,[5] que habebat multas cordas de piliis ciliciis ad modum retis, quam super pectus subtus vestes portavit, quando erat parva puella.

Interrogata de nominibus sororum, a quibus audivit, quod portavit cilicium, respondit: «A sorore Olimpiade et a sorore Candida, que mortua est». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha habebat lectum magis pauperem quam aliqua de sororibus, et quando priorissa volebat sibi dare bonum lectum, ipsa nolebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et audivi hoc». Item dixit, quod in quolibet anno in cena domini lavabat pedes sororibus et sanctimonialibus, et hoc habuerat in obedientiam a priorissa, ad suam petitionem.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi, et lavit mihi pedes meos». Item dixit: «Ego non possem (satis) dicere de bonitate, et sanctitate ac bona vita sua».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quinquaginta minus duobus, et per triginta quatuor annos, vel per triginta tres fui in religione ista».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Frater Martinus, prior ecclesie sancti Michaelis de insula de ordine Premonstratensium et Martinus Rubini de Buda iuraverunt interrogare dominas istius

---

[1] Pigli=pediculi.

[2] A kéziratban ez a mondat hiányzik. A hézagot a nápolyi legendából ki lehet tölteni.

[3] Scofoni, pedum indumenta. (Du Cange.)

[4] Ezt a kínzó eszközt a nápolyi legenda így írja le: «Ponebat intra calceos suos clavillos parvos ferreos, et sic plante pedum clavorum cuspidibus tangentibus pungebantur». Cap. XII

[5] Ezt a kínzó eszközt a legendák nem említik.

monasterii et alias personas in lingua hungarica, sicut eis dicerent predicti inquisitores, et fideliter eis referre illa, que intellexerint ab eisdem, videlicet predictus prior (in) latino sermone et Martinus in italico, sicut intelligerent in hungarico a predictis dominabus et aliis personis, remotis odio et amore, timore, pretio et precibus, spirituali utilitate, vel damno suo, vel alieno ad bonam fidem et sine fraude, sic Deus eos adiuvet, ad sancta Dei evangelia; et sicut superius scriptum est in depositionibus predictarum dominarum, ita interpretati fuerunt.

Die vigesima nona mensis Julii.

IX.

Domina Elisabeth, filia quondam domini Ladislai quondam comitis de Serenna,[4] soror et monialis dicti monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione ipsius virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod: «Postquam ipsa virgo Margaretha habuit decem annos, cognoscebam eam et conversata fui secum; ab eo tempore circiter semper fuit bona domina et sancta et bone conversationis».

Interrogata, quomodo scit, quod a dicto tempore circiter fuit bona domina et sancta, ut dixit, respondit: «Bene scio, quia stabam cum ea, sicut socia sua et videbam eam».

Interrogata, in quo loco stabat cum ea et conversabatur, respondit: «Primo in monasterio sancte Catharine Vesprimii, et hoc fuit illo anno, in quo intravit illud monasterium de insula et ego secum, et postea conversata fui cum ea in isto monasterio de insula usque ad mortem suam». Item dixit: «Quando eramus scholares in isto monasterio, et iremus ad ludendum quandoque de licentia magistre, ipsa habebat se retro, et ibat ad orandum, nec volebat ludere, et tunc aliquando dicebat mihi et aliis sororibus: ‚Venite mecum, melius est ludere cum sancta Maria, quam hic'».

Interrogata, quomodo scit hoc, quod tunc iret ad orandum, ut dixit, respondit: «Quia vidi hoc».

Interrogata, ad quem locum ibat ad orandum, respondit: «In choro ecclesie». Item dixit, quod de die in diem magis orabat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quod quando debebat recipere corpus Christi, ante per diem unum incipiendo a

---

[4] «Kilenczedik sornak vala neve soror Örzsébet és ez vala Serennay László ispán úrnak leánya. . . . Vala az időben harmicznégy esztendős.»

MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

vesperis, stabat in orationibus cum magna devotione et fletu, et quando vocabatur, ut iret ad cantandum versum suum, vel aliud, statim veniebat, et postea revertebatur ad orationes suas, et in sero illo post completorium cantabat multum devote, alta voce cum lacrymis: ‚Salve Regina, mater misericordie', et eodem modo stabat in matutinis, et post matutinum pausabat, et in aurora iterum veniebat ad orationes suas usque ad missam, et in missa recipiebat corpus Christi, et hoc faciebat per quindecim vices per annum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Bene scio, quia videbam hoc, et sepe vocavi eam, quando cantature eramus, ut ipsa veniret ad cantandum». Item dixit, quod sepe petebat in obedientiam, quod posset servire sororibus et servitialibus et infirmis ipsius claustri, serviebat eis in eundo per totam curtem claustri, quando pluebat, et quando nigebat, et quando erat lutum, alzando[1] sibi vestes, et sic serviebat, nec separabat se in omnibus servitiis, in quibus potuit servire.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi hoc, et sepe scripsi eam in tabulam, quando cantandum erat, ad hoc serviendum, ad preces suas». Item dixit, quod quando infirme volebant vomere propter infirmitatem suam, et illa tam cito non poterat habere bacile, vel scutellas, statim ponebat manus subtus, et recipiebat in manus suas id quod vomebant, ne deturparent lectum suum; et dixit, quod purgabat illud quod faciebant iuxta lectos propter necessitatem corporis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam». Item dixit: «Vidi, quod purgabat necessaria conventus, et usque ad genua stabat in mlatna,[2] purgando ipsa necessaria, et quando exibat, alie sorores habebant fastidium ad videndum eam propter illas immundicitias.» Item dixit, quod dicta virgo Margaretha portabat cilicium in dorso; «Et pluries mihi dixit: ‚Quare non portas cilicium'?» et dixit, quod a quinta feria usque ad Dominicam et per totum adventum et per totam quadragesimam portabat cilicium, et hoc incepit facere postquam habuit duodecim annos.

Interrogata, quomodo scit, quod portabat cilicium, ut dixit, respondit: «Quia vidi hoc, et quando ipsa incepit portare hoc dixit mihi».

Interrogata, quanto tempore portavit dictum cilicium, respondit: «Usque ad ultimum annum mortis sue, et in illo anno in adventu portavit ipsum cilicium».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Bene scio, quia cum essem infirma eodem anno, quo mortua est, ipsa beata Margaretha visitabat me in infirmitate, et ego tangebam (eam), et tunc sentiebatur, quod habebat cilicium». Item dixit, quod: «Pluries post completorium ipsa beata Margaretha rogavit me, et dixit mihi: ‚Venias

[1] Alzaere olasz szó: «fölemelni».

[2] Ezt a szót a szótárakban nem találjuk. Egyébiránt a mondat értelme világos.

mecum, et dabitis mihi disciplinam', et ego, que eram sola privata socia sua, tollebam virgas et batebam [1] illam, et ipsa dicebat: ‚Des fortiter', et ego faciebam lacrymando, sicut ipsa dicebat, et habebam compassionem de ea, et ipsa faciebat me facere in tantum, quod sanguis exibat».

Interrogata, quales erant virge ille, respondit: «Quales sunt ille, cum quibus recipiunt disciplinam alie sorores tali vice, et aliquando erant spinose».

Interrogata, si erant alique alie presentes, respondit: «Non, quia faciebam in secreto».

Interrogata, in quo loco, respondit: «Aliquando in refectorio, firmato bene ostio, et aliquando in capitulo». Item dixit, quod quando ipsa virgo Margaretha habebat quatuordecim annos, vel circa, pater suus voluit maritare eam regi Bohemie, et ipsa dicebat tunc inter se: ‚Domine Deus, quid est istud, quod vult facere pater meus, tolle me de mundo, antequam hoc fiat', et postea lamentabatur sororibus super hoc, et dicebat eis: ‚Antequam sustinerem hoc, truncarem mihi nasum et labia, quia mihi est melius esse sine labiis in paradiso, quam ire in infernum cum labiis et naso'.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui et audivi».

Interrogata de nominibus sororum, quibus hoc dixit, respondit: «Soror Olimpiades, soror Elisabeth et soror Margaretha, filia domini Gulielmi ducis et alie plures».

Interrogata, si aliud vult dicere super vita et conversatione ipsius virginis Margarethe, respondit: «Non recordor modo de aliis».

Interrogata super miraculis, dixit: «Quando obiit dicta beata virgo Margaretha, ego eram ita infirma, quod non poteram me movere, nisi iuvarer per alias sorores, et cogitabam in corde meo, quod libenter essem ad corpus ipsius virginis Margarethe, et statim surrexi sine aliquo adiutorio, et ivi ad corpus virginis Margarethe; et tunc surrexi sine aliquo adiutorio, et cepi servire circa corpus, et traxi sibi scapularium, quod sibi habebat in dorso, quia erat nimis turpe, propter servitia, que fecerat in coquina, et posui aliud scapularium sibi in dorso bonum et mundum, et postea portata fuit in ecclesiam in hora matutini, et stetit Dominica et die Lune, et quando aspiciebamus eam, videbatur esse magis colorata, et magis ultra quam in vita sua, et die Martis sepulta fuit».

Interrogata, quanto tempore duraverat sibi dicta infirmitas, respondit: «A festo sancti Laurentii usque ad festum sancte Prisce, in quo festo ipsa Margaretha obiit».

Interrogata, si postea habuit infirmitatem illam, respondit: «Donec fuit sepulta dicta virgo Margaretha nihil sensi de infirmitate, sed postea sensi me debilem non tantum sicut prius, et postea de die in diem melius fuit mihi, donec liberata fui».

---

[1] Battere, olasz szó: «verni».

Interrogata, quantum stetit, antequam esset bene liberata, respondit: «Non recordor bene, sed parum fuit».

Interrogata de sororibus, que iuvabant eam, ut dixit; respondit: «Soror Agleth et soror Elisabeth, filia sororis Olimpiadis et alie, de quibus non recordor».

Interrogata, quot anni sunt, quod ipsa virgo Margaretha obiit, respondit: «Septem anni»; et dixit, quod postea nullam habuit infirmitatem.

Interrogata, que erant presentes, quando serviebat circa corpus, ut dixit, respondit: «Soror Margaretha, filia domini Gulielmi et soror Olimpiades et soror Elisabet, filia eius et alie, de quibus non recordor».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Triginta quatuor».

Interrogata, quot anni sunt, quod fuit in monasterio, respondit: «Viginti septem».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Die Jovis vigesima nona mensis Julii.

X.

Domina Sabina[1] filia quondam domini Donati de aquis calidis de Buda soror et monialis monasterii gloriose Marie virginis de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione istius virginis Margarethe, dixit sub iuramento: «Bene scio, quod ipsa virgo Margaretha fuit bona domina et sancta et bone vite, et in vita sua bene conversata fuit, et magna humilitate fuit, et omni die stabat in orationibus magnis cum planctu.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc omni die». Item dixit, quod fuit de magna obedientia sororibus et priorisse, et quando stabat in orationibus, si priorissa vocabat eam, ipsa dimittebat orationem suam, et ibat ad eam.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia ego videbam hoc oculis meis». Item dixit, quod ipsa scopabat domum, claustrum, et ecclesiam et cameram privatam purgabat, nec videbatur filia regis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia presens fui et vidi». Item dixit: «Aliquando portabat multum de piscibus, vel satis de farina, vel aliud grave, et ipsa veniebat ad portam claustri, et in spallis suis portabat illud, (et) non debebat gubernari».

---

[1] «Tizedik sornak vala neve soror Sabina és ez vala Felhévűzi Donat úrnak leánya . . . Vala zent Margit azzonnak kiváltképpen való titkosa.»

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia ego eram portinaria, et hoc videbam, et ipsam iuvabam, quando non poterat portare». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis in omnibus, in quibus poterat, nec separabat se propter lutum, pluviam, vel nives, et portabat ligna ad faciendum ignem infirmis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod per septimanam suam faciebat coquinam, lavabat scutellas et ollas, et faciebat omnia alia, que erant necessaria ad coquinam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit, quod post completorium aliquando stabat in medio dormitorii, et si audiebat aliquam de sororibus, quod lamentaretur, vel gemeret, incontinenti ibat ad eam, et querebat: «Quid vis, vis tu quod ego faciam pro te aliquid?».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Ouia aliquando eram cum ea et hoc videbam». Item dixit, quod: «Quando ego surgebam ad matutinum, ante primum sonum campane, aliquando ibam ad lectum ipsius virginis Margarethe, et videbam eam stare flexis genibus in oratione, et antequam surgerent alique sorores, ipsa deponebat se ad lectum, ne videretur a sororibus orasse».

Interrogata, quomodo scit hoc, quod sic orabat et deponebat se ad lectum, ut dixit, ne videretur ab aliis sororibus orasse, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quod quando aliquid mittebatur sibi per regem, patrem suum, vel per matrem, vel per alium, illud faciebat portari priorisse, et partem illam, quam sibi mittebat priorissa, ipsam mittebat infirmis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Bene scio, quia quando serviebam in refectorio, per me de illis cibariis mittebat infirmis». Item dixit, quod ipsa multum stabat in orationibus super genua et super gombetos, tantum quod vestes rumpebantur in parte illa.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Ego videbam hec», et dixit, quod magistra sua Olimpiades de hoc reprehendebat eam, quod nimis se affligebat.

Interrogata quomodo hoc scit, respondit: «Quia audivi et presens fui». Item dixit, quod quadam die Veneris in adventu stabat in tunica et in scapulario ante crucifixum, qui erat in choro ecclesie in quodam loco, ubi consueverat stare in orationibus, et tunc quidam nuncius venit ex parte patris sui, qui petebat eam, et sic fuit quesita et inventa in dicto loco, et erat ita mutata in facie propter frigus, quasi esset mortua, et noluit venire ad nuncium patris sui.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Scio, quia frater Timotheus, qui tunc prior erat, pulsabat ad fenestram, et dixit mihi, sicut ipsa virgo Margaretha petebatur per nuncium patris sui, et tunc ivi et dixi sibi predicta». Item dixit, quod «Pluries ipsa virgo Margaretha rogavit me in secreto, quod ego darem sibi disciplinam, et sic pluries verberavi eam, aliquando cum simplicibus virgulis, aliquando cum spinosis, aliquando cum virgulis ubi erant apposite pelles gritii».

Interrogata, in quo loco verberavit eam, ut dixit, respondit: «In isto loco, in quo sumus modo, et aliquando in refectorio».

Interrogata, si alique alie erant ibi presentes, respondit: «Non». Item dixit, quod semper portabat malas vestes et veteres, et cum illis iacebat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit: «Quadam die erat una olla ad focum in coquina, in qua erant gamberi,[1] et apparebat, quod tota illa olla arderet, et ego non audebam ponere manum, et illa virgo Margaretha intravit in coquinam, et quando vidit hoc, incontinenti apposuit manum, et traxit eam de flamma, (et) nec manus, nec vestes sue in aliquo combuste fuerunt».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et presens fui».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Iuxta horam cene».

Interrogata, si alique erant tunc presentes, respondit: «Non». Item dixit: «Quadam die sancta, in quo erat multum obscurum, ego cum dicta virgine Margaretha intravi domum istam, in quo modo estis, et erat ita obscura domus, quod nihil ibi poterat videri tunc, ut faceret se verberari per me in secreto, et depositis vestibus ita resplenduit ista domus, ac si esset in die, et postquam se induit, ita obscura fuit domus, ut prius erat».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor, sed hoc erat circa exaltationem sancte crucis».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor». Item dixit: «Quadam die eram multum irata in corde super quodam facto, et de hoc cogitabam et rogabam Deum, quod amoveret a corde meo ipsam iram, et nullus sciebat hoc, et tunc ipsa virgo Margaretha venit ad me et dixit: ‚Noli turbari', et narravit mihi totum per ordinem, sicut turbata eram».

Interrogata, si alique erant presentes, quando ipsa Margaretha venit ad eam, et dixit sibi predicta, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Illo anno, quo mortua est.

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est, respondit: «Septem anni».

Interrogata, quo mense dicta virgo Margaretha dixit sibi predicta, respondit: «In adventu».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post completorium».

Interrogata, in quo loco erat, quando dixit sibi predicta verba, respondit: «In refectorio».

---

[1] Gamberi, olasz szó: «rákok».

Interrogata, si velit aliquod aliud dicere, respondit: «Multa alia scio, sed non possum dicete plus».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Triginta sex annos, sicut audivi a parentibus meis».

Interrogata, quot anni sunt, quod est in isto monasterio, respondit: «Viginti quatuor, sicut credo».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Jovis tertia intrante Septembrem.

Interrogata, si scit, quod soror Lucia post mortem istius virginis Margarethe habuit aliquam infirmitatem, respondit: «Scio, quod infirma fuit usque ad mortem, et ego vidi eam venire ad locum, in quo sancta Margaretha consuevit orare, et posuit caput suum, ubi stabat in orationibus et incontinenti dixit: ‚Meliorata sum', et dixit: ‚Noli plus mittere pro sacerdote', et statim fuit sanata, nec postea habuit infirmitatem illam».

Interrogata, cuiusmodi erat infitmitas illa, respondit: «Habebat infirmitatem illam in renibus, aliter nescio».

Interrogata, quot anni sunt, quod predicta fuerunt, respondit: «In hoc anno, postquam venistis».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «In hora meridiei».

Interrogata de presentibus, quando vidit eam venire ad dictum locum, et posuit caput in illo loco, de quo dixit, et meliorata et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Aglent, que iuvit nos». Item dixit, quod «Dicta soror Lucia circa mortem ipsius Margarethe ita graviter infirma fuit per tres dies, quod non poterat loqui, nec per se movere, et tunc dedimus sibi de lavatura capillorum istius sancte Margarethe ad bibendum, et liberata est».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est predicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni».

Interrogata de presentibus, quando dederunt sibi lavaturam dictorum capillorum, et sanata est, ut dixit, respondit: «Soror Cecilia».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non recordor».

Interrogata, de quo lavati fuerunt dicti capilli, respondit: «Non recordor».

Interrogata, in quo loco iacebat tunc dicta virgo Cecilia, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Jovis trigesima mensis Julii.

XI.

Domina Elena, filia quondam Hylii de Seserenia,[1] soror et monialis eiusdem monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe sub iuramento dixit, quod dicta virgo Margaretha fuit bona domina et sancta, et honeste conversationis et vite.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi, et cum ea steti». Item dixit, quod ipsa virgo Margaretha tenebat suam septimanam ad serviendum in coquina et in refectorio, et faciebat omnia servitia, que poterat, libenter scopabat refectorium, et cum manibus suis portabat scoporatas[2] extra, lavabat scutellas et ollas, ibat ad cellarium, et cum manibus vinum portabat ad conventum, quando debebant comedere, et pisces purgabat, (et) propter servitia facienda ibat per lutum cum pedibus nudis, et in nullo se separabat.[3]

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam, et in presentia mea hoc faciebat». Item dixit, quod ita erat intenta in servitio infirmarum sororum, quod ipsa erat prima, que sciebat, quando aliqua soror vel servitialis erat infirma, et quando infirma habebat malum, lectum faciebat sibi bonum, et serviebat eis in omnibus, in quibus poterat, et priorissa dicebat sibi: ‚Quare tantum laboras? Si rex, pater tuus, vel mater tua scirent hoc, ipsi haberent pro malo'; et ipsa respondit sibi: ‚Dimittas me facere pro nomine Jesu'.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et audivi predicta». Item dixit, quod quando priorissa precipiebat aliquid sororibus, ipsa erat prima, que faciebat obedientiam, in lavando lanam et in aliis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod ista virgo Margaretha libenter portabat viles vestes et veteres et cilicium super carnem.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi et audivi». Item dixit, quod quandoque bindam[4] grossam recipiebat a servitialibus, et portabat illam in capite, et quando priorissa et etiam magistra sua dicebant sibi: «Tu male facis,

---

[1] «Tizenegyedik sorornak vala neve soror Elena és ez vala Seserenyay Hilisnek leánya . . . Nem tudá megmondani hány eztendős, hanem csak azt hogy húz eztendeje volt azkoron ez zerzetben.»

[2] A nápolyi legendában a megfelelő helyen «scoporotas» helyett «immunditias» áll.

[3] A kéziratban, kétségkívül hibásan: spatabat. A XXV. vallomásban, egészen hasonló értelemben használtatik: a «separabat» kifejezés.

[4] Bindæ, fasciæ. (Du Cange.)

quia si pater tuus et mater tua scirent hoc, ipsi confunderent nos», et ipsa respondit eis: «Pro nomine Jesu dimittatis me facere hoc».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Audivi et vidi». Item dixit, quod omni die post completorium intrabat cappellam, et ibi flexis et nudis genibus, cum lacrymis multum stabat in orationibus.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia audivi». Item dixit: «Quadam nocte erat in choro et in loco suo secreto, ubi erat stare et orare privatim, et habebat omnes suos coram se,[1] et dixit mihi: ‚Rogo te, ut stes ibi, et nemini dicas, quod ego sim hic, et noli dimittere aliquem venire super me'; et cum multum sic stetisset ipsa virgo Margaretha in orationibus, ego vidi super eius caput flammam ignis, et tunc habui magnum timorem, et timebam ire ad eam, et feci sibi signum bis, et ipsa non curavit, nec mihi respondit, et tunc ego paulatim ivi ad eam, et dixi: ‚Domina, ignis est super caput tuum', et tunc ipsa virgo Margaretha posuit manum super caput suum, et palpavit super caput suum, et dixit mihi: ‚Soror, nemini dicas', et usque nunc nemini dixi».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Hoc fuit per quatuor annos ante mortem suam».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor, sed fuit in hyeme».

Interrogata, qua hora, respondit: «Ante matutinum, quando domine dormiebant». Item dixit, quod: «Dicta virgo Margaretha, quando habuit circa septimum annum, incepit portare cilicium, et multum affligebat se in illo tempore; quadam die una femina venit ad me, et dixit: ‚Deus, qualiter ista domina et sancta mater quasi deficit', et ego respondi: ‚Si tu portares cilicium, sicut ipsa portat, et faceres illa, que ipsa facit, tu etiam deficeres'; et tunc ipsa virgo Margaretha venit ad me et feminam predictam, et dixit mihi: ‚Soror mea, non bene fecisti, quia manifestasti secretum meum alteri, non dicam tibi secreta mea'».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «In hora completorii».

Interrogata, si alique alie erant presentes, quando ipsa virgo Margaretha dixit sibi predicta, respondit: «Non, nisi dicta femina».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Non recordor, sed viginti anni sunt, quod sum monacha in isto monasterio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

---

[1] Ez a mondat hibásan van másolva. A helyes értelem visszaállítására biztos támpontunk nincs.

Die Veneris ultima mensis Julii.

XII.

Domina Stephana, filia quondam domini Pausse,[1] soror et monialis ecclesie monasterii gloriose virginis de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod ipsa virgo Margaretha fuit domina (sancta) et bona et de multis orationibus in domino.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit: «Sepe ab ore istius virginis Margarethe audivi, quod si esset tempus persecutionis, libenter se dimisisset martirizari pro amore Jesu Christi, et affligebat libenter corpus suum».

Interrogata, qui erant presentes, quando dicta virgo Margaretha dixit predicta, respondit: Quandoque sibi soli, quandoque et aliis sororibus dixit.

Interrogata de nominibus aliarum sororum, respondit: «Soror Margaretha, filia domini Gulielmi et Margaretha, filia domine Anne, et alie».

Interrogata, quomodo scit, quod ipsa virgo Margaretha libenter affligebat corpus suum, ut dixit, respondit: «Vidi et audivi ab ore ipsius virginis Margarethe».

Item dixit, quod libenter portabat vestes viles et veteres, et quod sue vestes propter multas orationes, quas faciebat, fracte erant ante circa gomeda, et caro sua rupta.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi frequenter, quod ipsa virgo Margaretha ligabat sibi dictas rupturas». Item dixit, quod in sua septimana faciebat coquinam et lavabat scutellas et ollas, purgabat pisces, et faciebat alia servitia necessaria.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod ipsa virgo Margaretha libenter visitabat infirmas, et serviebat eis in lavando eas et dando eis comedere et bibere, faciendo lectos et iuvando eas, levando et tolgando,[2] et omnibus aliis, quibus poterat. Item dixit, quod ita libenter serviebat servitialibus infirmis sicut sororibus, et non separabat se eundo per lutum et per pluviam et portando aquam per crucem ad domum servitialium, ad faciendum balnea eis, et aliquando erat tam magnum frigus, quando faciebat hoc, quod sanguis exibat de manibus suis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod quando priorissa precipiebat sororibus aliquid per obedientiam, ipsa virgo Margaretha erat prima, que faciebat illud, quod priorissa precipiebat.

---

[1] «Tizenharmadik sornak vala neve soror Stephana, és vala Pausa úrnak leánya . . . . Vala az időben harmiczegy eztendős.»

[2] Ezt a szót a szótárakban nem találjuk. A nápolyi legenda erről a tárgyról így ír: «Se movere non valentes ponebat, aptabat et vertebat dulciter». Cap. XXI.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod fuit devota in orationibus suis et in omnibus aliis, que precipiebantur sibi.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod quadam die frater Martinus, qui erat tunc provincialis, venit ad fenestram monasterii, «Et dixit mihi, quod ego quererem sibi ipsam virginem Margaretham, et tunc ivi et inveni eam in orationibus suis in choro, in loco suo secreto, et vocavi eam, et non respondit mihi, et idcirco redii ad fratrem Martinum et hoc dixi sibi, et iterum veni ad eam de mandato ipsius, et vocavi ipsam, et ipsa non respondit mihi, et hoc feci septem vel octo vicibus, et videbatur rapta, et postea surrexit, et ego dixi sibi: ‚Domina, multum peccastis, quia fecistis me tantum laborare', et ipsa dixit: ‚Tu debebas me vocare'».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Ante mortem eius per medium annum et plus, et fuit in quadragesima».

Interrogata, si aliqua de sororibus audivit hoc, respondit: «Non». Item dixit, quod quando aliqua de sororibus plangebat propter mortem alicuius sui parentis, ipsa virgo Margaretha plangebat cum ea, ac si fuisset suus propinquus.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit: «Quando puella eram, et cum aliis puellis luderem, quadam die, in quo erat tempus multum obscurum, ipsa virgo Margaretha venit ad nos (et dixit): ‚Vultis, quod ego faciam vobis apparere solem?' Ipse puelle responderunt: ‚Quomodo posses hoc facere?' Et tunc ipsa respondit: ‚Bene', et incepit orare, et statim sol apparuit».

Interrogata de nominibus puellarum, que tunc erant ibi, respondit: «Soror Margaretha, filia domini Gulielmi, soror Elisabeth, filia domini comitis Thome; de aliis non recordor».

Interrogata, in quo loco fuit hoc, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post prandium ante nonam».

Interrogata, cuiusmodi verba dixit dicta virgo Margaretha, quando oravit, ut dixit, respondit: «Ipsa virgo Margaretha ostendit mihi et predictis puellis unum locum in refectorio, et dixit taliter: ‚Deus, faciatis, quod appareat sol, donec vadam ad locum illum et revertar huc', et statim sol apparuit». Item dixit, quod dum ipsa virgo Margaretha staret in orationibus suis circa mediam noctem et elevasset oculos ad celum, ipsa vidit solem et lunam in celo.

Interrogata, ubi orabat tunc ipsa virgo Margaretha, respondit: «In lebia [1] ante dormitorium».

---

[1] Ezt a szót a szótárakban nem találjuk. A nápolyi legenda ezt az esetet elbeszélvén megjegyzi, hogy az «in deambulatorio quod est ante dormitorium» történt, Cap. XVI.

Interrogata, quomodo scit, quod virgo Margaretha tunc erat et orabat in predicto loco, respondit: «Quia ipsa dixit mihi».

Interrogata, quomodo scit, quod ipsa virgo Margaretha tunc videbat solem et lunam in celo, in hora medie noctis, ut dixit, respondit: «Ipsa dixit mihi».

Interrogata, que erant presentes, quando virgo Margaretha dixit sibi predicta, respondit: «Nulla, nisi ego et ipsa».

Interrogata, quot anni sunt, quod dixit sibi hoc, respondit: «Non recordor, sed fuit circa carnelevarium».

Interrogata, qua die dixit sibi predicta, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «In hora none». Item dixit: «Dum iacerem in lecto infirma, post mortem dicte virginis Margarethe, ipsa virgo Margaretha apparuit mihi in somnis, et videbatur quod staret in choro ecclesie, et videbatur mihi, quod veniret ad me, et signaverit me, et idcirco ego excitata fui, et cepi sudare, et liberata fui».

Interrogata, cuius infirmitatem habebat, respondit, febrim acutam. Interrogata, quantum duraverit sibi dicta infirmitas, respondit: «Per duas dies, et tertia die sanata fui».

Interrogata, si alique sorores sciebant de ista sua infirmitate, quod ita liberata fuit, ut dixit, respondit: «Sic, soror Frosia, soror Margaretha, filia domine Anne».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Sex anni».

Interrogata de mense, respondit: «In Augusto».

Interrogata de die, qua sanata fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «De meridie».

Interrogata, quot annos habet ista testis, respondit: «Triginta duos annos, et duos annos habebam, quando data fui in monasterium».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni sunt».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere testimonium hoc, respondit: «Non».

Interrogata, si vidit aliquam personam fuisse contractam, que fuisset sanata apud sepulcrum istius virginis Margarethe, respondit: «Vidi per plures dies in ecclesia quamdam feminam contractam, que non poterat ire sine scabellis, et cum quadam die essem ad fenestram, soror Margaretha, filia Anne dixit: ‚O sancta Margaretha, si vis, quod ego credam, quod tu sis sancta, facias, quod ego videam oculis meis, quod ista femina sanetur'. Et ego et ipsa domina Margaretha vidimus, quod apud sepulcrum sanata est et liberata».

Interrogata, si alique erant tunc presentes, que viderunt hoc, respondit: «Soror Elisabeth, filia regis Stephani, et soror Catharina cantrix».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «In illo anno, in quo incepit facere miracula, et sunt sex anni quod hoc incepit».

Interrogata de mense, respondit: «In Augusto».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post nonam ante vesperas».

Interrogata, si vidit feminam postea sic sanatam, respondit: «Per septimanam vidi eam qualibet die ire per ecclesiam».

Interrogata, si scit nomen istius femine, respondit: «Ego et ipsa domina Margaretha quesivimus quomodo habeat nomen, et ipsa dixit nobis: ‚Habeo nomen Maria'».

Interrogata, si alie erant tunc presentes, respondit: «Non».

Interrogata, si scit unde fuerit femina illa, respondit: «Non».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Veneris ultima mensis Julii.

XIII.

Domina Elisabeth, filia quondam domini comitis Thome de Bodome(r)[1] et domine Olimpiadis, soror et monialis predicti monasterii, iuravit ut supra.

Interrogata de vita et conversatione istius virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod dicta virgo Margaretha dum esset in monasterio Vesprimiensi sancte Catharine, fuit magne orationis et humilitatis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia presens eram secum in eodem monasterio, et ipsam videbam». Item dixit, quod dum ipsa virgo Margaretha esset scholaris cum aliis puellis in eodem monasterio Vesprimiensi, quando magistra permittebat ire ad ludendum ipsas scholares, tunc alie ludebant, ipsa orabat: ‚Venite mecum, et intremus ecclesiam ad salutandam beatam Mariam et dicendo: Ave Maria, gratia plena, et sic ludetis hic'».

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia tunc eram scholaris et legebam secum in uno libro». Item dixit, quod: «Postquam virgo Margaretha habuit duodecim annos, et esset in isto monasterio de insula Danubii, ego pluries dedi sibi disciplinam, aliquando cum simplicibus virgulis, (et aliquando) que habebant spinas».

Interrogata, quare dedit sibi disciplinam predictam, respondit: «Quia petebat a me, quod darem sibi disciplinam, et ipsa recipiebat pro amore Dei».

Item dixit, quod pluries post completorium, donec galli cantabant, stabat in orationibus.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia illa hora, quando galli cantabant, veniebat ad lectum neum, et me excitabat, ut darem sibi disciplinam, sicut dixi».

---

[1] «Tizenkettedik sornak vala neve soror Örsebet Bodomerey Tamás ispán úrnak és Olimpiadis azzonnak leányok . . . . Vala az időben harmiczöt eztendős.»

Interrogata, in quo loco dabat sibi disciplinam, respondit: «Quandoque in domo, in qua sumus, quandoque in domo capituli».

Interrogata, si alique erant presentes tunc, respondit: «Non». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis in omnibus, in quibus poterat, et fuit magne humilitatis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit, quod veteres vestes et petiatas portabat, et aliquando tollebat de luto, fango petiam, qua aptabantur vestes sue.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia hoc videbam». Item dixit, quod per obedientiam lavabat scutellas et ollas, et faciebat coquinam, et mundabat hortum, et scopabat domos istius claustri.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Aliquando fui secum ad faciendum predicta». Item dixit, quod quando sorores debebant recipere corpus Christi, ipsa beata Margaretha prosternebat se ad terram, et cum magnis lacrymis et fletu expectabat corpus Christi et ipsum recipiebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quia semper eram iuxta ipsam, quia locus meus erat iuxta suum in ecclesia». Et dixit: «Postquam recipiebat corpus Christi, ipsa virgo Margaretha tenebat tobaliam ab uno capite subtus ipsum corpus Christi, donec alie omnes communicate erant, et hoc faciebat cum magna devotione, et quando querebatur: ‚Quare tenetis sic tobaliam'? et ipsa respondit: ‚Ut possim videre corpus Christi'».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia audiebam eam sic respondere, et sic facere». Item dixit, quod postquam receperat corpus Christi, per totam illam diem stabat in fletu usque ad vesperas, et quasi nihil comedebat, et plus diligebat plangere, quam comedere.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia semper stabam iuxta ipsam in choro, in capitulo et in refectorio, nisi quando serviebam, et sic videbam». Item dixit, quod in festivitatibus sanctorum martyrum et aliorum faciebat sibi exponi et legi per aliquem de fratribus predicatoribus, qui serviunt dicto monasterio, vitam et passiones eorum.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia presens eram». Item dixit, quod in quadragesima a Dominica qua cantatur «Vexilla regis» usque ad resurrectionem faciebat sibi legi et exponi passionem Christi.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia presens eram». Item dixit, quod quolibet anno petebat in obedientiam a priorissa, quod posset lavare in cena domini pedes sororum et servitialium istius monasterii, et hoc faciebat quolibet anno in predicta die, flexis genibus procedendo de una ad aliam, lavando pedes earum cum magna humilitate et lacrymis, et cum velo capitis, quod portabat, sugabat pedes earum.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui». Item

dixit, quod a cena domini usque ad resurrectionis vigiliiam non dormiebat, nec comedebat, nec bibebat, nec sedebat, sed stabat in orationibus cum magnis lacrymis, vel flexis genibus, aut in pedes.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit, quod quando levabatur corpus Christi in die Veneris per presbyterium, tunc ipsa virgo Margaretha prosternebat se ad terram cum magnis lacrymis et tanto planctu, quod poterat audiri ab aliis qui foris erant.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia presens eram et vidi». Item dixit, quod in vigilia nativitatis domini et pentecostes, et quatuor vigiliis gloriose virginis Marie faciebat quolibet anno in qualibet vigilia mille venias, dicendo ‚Ave Maria', et in pentecoste ‚Veni sancte Spiritus', sed in nativitate ‚Pater noster'.

Interrogata, quomodo scit, quod faciebat predictas venias, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, quomodo scit, quod dixit ‚Pater noster', ‚Ave Maria', et ‚Veni sancte Spiritus', respondit: «Ego interrogavi eam super hoc, (et) mihi dixit ipsa». Item dixit, quod cum diceretur, quod Tartari venirent ad partes istas, ipsa beata Margaretha timens perdere virginitatem suam, dixit Olimpiadi, matri mee, magistre ipsius virginis Margarethe: «Si Tartari venirent, antequam mihi facerent aliquam fortiam,[1] incidatis mihi nasum, ut turpis appaream, et sic permittent me stare».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui».

Interrogata, si alie erant tunc presentes, respondit: «Sic, mater mea et soror Margaretha, filia domini Gulielmi et Elisabeth, filia Ladislai, sorores istius monasterii».

Interrogata, quot anni sunt, quod dixit predicta, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non habeo in mente». Item de hora diei, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quo loco erant tunc, respondit: «In claustro istius monasterii».

Interrogata, quot annorum erat tunc temporis dicta virgo Margaretha, respondit: «Viginti duorum annorum». Item dixit, quod pater suus dicebat ipsi virgini Margarethe, quod volebat eam maritare regi Bohemie, et ipsa dicebat: «Tantum possetis mihi dicere verba ista, quod ego mihi inciderem meum nasum».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia audiebam hoc».

Interrogata, si alique alie erant presentes, respondit: «Sic, dicta Margaretha erat filia domine Anne, de aliis non recordor».

Interrogata, quot annorum erat (tunc) ipsa Margaretha, respondit: «Nescio, erat professa, et non consecrata».

Interrogata, quomodo scit, quod fuerit professa et non consecrata, ut dixit, respondit: «Quia simul fecimus professionem». Item dixit: «Dum ego luderem

---

[1] Forza, olasz szó: «erőszak».

cum quibusdam sociis meis, que scholares erant, et cum essemus puelle, et cum ipsa virgo Margaretha esset puella nobiscum, et ita obscura erat dies, quod sol non apparebat, ipsa virgo Margaretha dixit: ‚Vultis, ut faciam, quod sol appareat?' Et nos respondimus: ‚Sic'. Et tunc ipsa dixit: ‚Antequam vadam ad locum illum, monstrabo vobis certum locum, et revertar ad vos, videbitis solem', et oravit, et ivit ad ipsum locum, et antequam rediret ad nos, sol apparuit».

Interrogata, que erant ille sorores, cum quibus tunc ludebat, respondit: «Soror Stephana, filia Pausse, de aliis non recordor».

Interrogata, que verba dicebat, quando oravit, ut dixit, respondit: «Domine Deus, fac, ut appareat sol».

Interrogata, quot anni sunt, quod fuerunt predicta, respondit: «Non recordor».

Interrogata, de quo mense fuit hoc, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata de hora diei, respondit: «Nescio».

Interrogata, in quantum distat locus ille in quo erant, ab illo loco, quem ostendit eis tunc, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quomodo scit, quod dixit: ‚Domine Deus, fac, ut sol appareat,' respondit: «Quia presens fui et hoc audivi».

Interrogata, quot annorum erat tunc ipsa testis, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot annorum erat tunc ipsa virgo Margaretha, respondit: «Non recordor». Item dixit: «Quadam die in resurrectione domini post completorium, cum plueret fortiter, et esset obscurum multum, beata Margaretha vocavit Agnetem, servitialem suam, et dixit, quod portaret sibi tunicam suam, et dum iret cito, cecidit in puteum, qui est ante coquinam claustri, et tunc ipsa virgo Margaretha audivit eam, quando in puteum cecidit, et pulsavit ad fenestram refectorii, ut alie domine hoc scirent, et iverunt ad puteum, et mater mea, soror Olimpiades, magistra ipsius sancte Margarethe dixit eidem: ‚Quia misisti sic istam bonam feminam, tu perdidisti corpus et animam,' et illa dixit: ‚Ne timeas, mater mea, quia non morietur modo,' et flexis genibus oravit et dixit: ‚O Jesu Christe, tu scis, quia servivi tibi a pueritia mea, et (si) placuit tibi servitium meum, facias, ne moriatur ista bona femina;' et postea traxerunt eam de puteo, et non habebat aliquod malum».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quomodo scit, quod ipsa virgo Margaretha sic dixerit dicte servitiali sue, quod adportaret sibi tunicam suam, ut dixit, respondit: «Quia tunc fui presens».

Interrogata, quomodo scit, quod erat obscurum tempus, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, quomodo scit, quod ita oravit, ut dixit, respondit: «Quia presens fui et audivi».

Interrogata de nominibus aliarum, que tunc erant presentes, respondit: «Soror Scholastica, soror Johalent, soror Olimpiades, mater mea, et alie, de quibus non recordor». Item dixit, quod die illa, qua obiit dicta sancta Margaretha, soror Elisabeth filia quondam domini Ladislai de Serenna habebat febrem quartanam, et iacebat in lecto ita infirma, et non poterat surgere, et pensabat in corde suo, quod libenter esset cum aliis ad serviendum corpori ipsius virginis sancte Margarethe, et statim ita liberata fuit, quod sine aliquo adiutorio ivit ad corpus sancte Margarethe, et traxit sibi scapularium, quod erat nimis brutum,[1] et posuit sibi in dorso aliud, quod erat bonum et mundum.

Interrogata, quomodo scit, quod ipsa soror Elisabeth tunc erat ita infirma, ut dixit, respondit: «Quia vidi eam sic infirmam».

Interrogata, quomodo scit, quod ita cogitabat tunc, respondit: «Quia ipsa Elisabeth hoc dixit».

Interrogata, que erant tunc presentes, quando hoc dixit sibi, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quomodo scit, quod ivit tunc ad serviendum corpori istius virginis Margarethe, et posuit in dorso scapularium, ut dixit, respondit: «Ipsa soror Elisabeth hoc dixit mihi et alie sorores, quia in illa hora non eram presens, sed postea vidi ipsam stantem et servientem ad corpus virginis Margarethe».

Interrogata, quot anni sunt, quod ipsa sancta virgo Margaretha obiit, respondit: «Septem anni sunt».

Interrogata, quo mense obiit, respondit: «Non recordor».

Interrogata, qua die obiit, respondit: «In die sancte Prisce».

Interrogata, quanto tempore fuerit infirma dicta soror Elisabeth de dicta febri, ut dixit, respondit: «A festo sancti Laurentii et usque ad festum sancte Prisce.»

Interrogata, si postea ipsa soror Elisabeth habuit illam infirmitatem, respondit: «Aliquantulum sensit se debilem, et postea de die in diem liberata fuit».

Interrogata, quanto tempore stetit, antequam esset liberata, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot annos habet ipsa testis, respondit: «Triginta quinque fui in predicto monasterio Vesprimiensi, et in isto viginti octo annis».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Interrogata, si scit, quod soror Lucia habuit aliquam infirmitatem, postquam mortua esset ipsa virgo Margaretha, respondit, quod «Circa festum ascensionis domini ipsa Lucia erat in tanta tunc infirmitate, quod stetit per quinque dies, quod non poterat loqui, et credebamus quod debebat mori, et postea in die ascensionis in hora misse fuit inuncta, et dedimus sibi bibere lavaturam de capillis istius virginis

[1] Brutto, olasz szó: Csunya.

sancte Margarethe, incepit loqui et meliorata fuit, sed propter magnam debilitatem, quam habuit, non surrexit statim de lecto, sed bene guarita [1] fuit, et hac die ivit.»

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio nominare de die»,

Interrogata de hora, in qua data fuit sibi lavatura ipsa, et meliorata fuit, ut dixit, respondit: «Non possum recordari».

Interrogata, quis fuit ille, qui inunxit eam, respondit: «Non recordor, quia multum eram infirma et debilis».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta lavatura data fuit sibi bibere, ut dixit, respondit: «Non eram presens, sed eram in eadem domo, et sorores dixerunt mihi».

Interrogata, que fuerunt tunc ille sorores, que dixerunt sibi hoc, respondit: «Mater mea Olimpiades et ipsa Lucia».

Interrogata, de quo lavati fuerunt dicti capilli, (respondit): «De aqua, ut audivi de dicta Lucia».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

In predictis predictarum dominarum fuerunt interpretes predicti prior et Martinus.

Die Sabbathi prima mensis Augusti.

XIV.

Domina Olimpiades [2] nutrix et magistra istius virginis Margarethe, uxor quondam comitis Thome, soror et monialis istius monasterii de insula Danubii, iuravit ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod domina Maria regina, uxor regis Bele, mater istius sancte Margarethe dedit sibi in loco Sirmii [3] dictam Margaretham ad custodiendum et nutriendum, et nondum habebat tres annos et dimidium, «et ego, que nondum eram monacha, recepi eam, et nutrivi, et custodivi eam, sicut filiam meam, et post aliquot dies ipsa domina regina duxit me et dictam beatam Margaretham ad monasterium

[1] Gvarita, olasz szó: «meggyógyúlt».

[2] «Tizennegyed sorornak vala neve soror Olimpiadis azzon, Bodomerey Tamás ispán úrnak felesége . . . . Annakutánna fejedelemséget es tarta . . . zent Margit azzon idejében ez klastromba . . . . Vala zent Margit azzonnak dajkája, nevelője és mestere . . . . Mikoron bizonságot tőn . . . . vala ez időben ötvenöt eztendős.»

[3] A legendák a helyet a hol Margit átadatott Olimpiasz asszonynak, nem jelölik meg.

sancte Catharine Vesprimiensis, ordinis fratrum predicatorum, et eam dedit dicto monasterio, ut monacha fieret, et tunc recommendavit mihi ipsam puellam, sicut prius, et postea dicta domina regina me et dictam puellam dimisit in dicto monasterio, et ab illo tempore semper vidi eam in ea humilitate et bonitate usque ad mortem suam». Item dixit, quod «in quarta die ego indui vestes monachales in dicto monasterio», et dixit, quod «postquam dicta puella habuit quinque annos, incepit rogare me, quod tollerem sibi camiciam suam, ut esset sine camicia, et quod semper excitarem, et ducerem eam ad matutinum.» Item dixit, quod «cum sorores istius monasterii post completorium reciperent disciplinam, secundum ordinem suum, ista sancta Margaretha ponebat se in terram apud me, et petebat disciplinam, sicut dabam sororibus, et postea ibat ad sacristiam, et sibi ipsi dabat disciplinam».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et presens fui.» Item dixit, quod ista sancta Margaretha invenit in lecto cuiusdam sororis unum cilicium, et illud posuit sibi in dorso, «et quando ego nutrix et magistra sua hoc vidi, et volebam ei extrahere de dorso illud cilicium, et ipsa nolebat, et vix potui sibi trahere».

Interrogata, quot annos habebat tunc dicta puella, respondit: «Sex annos».

Interrogata, si alique viderunt et erant presentes, quando accepit sibi dictum cilicium, respondit: «Sic, soror Catharina, que modo est priorissa». Item dixit, quod cum priorissa precipiebat, quod sorores aliquid facerent, ipsa semper volebat facere, que alie faciebant, sicut poterat; et dixit, quod quando audiebat exponi passiones sanctorum, cum esset iam septem circiter annorum, incipiebat flere.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit; «Quia videbam hoc». Item dixit, quod (cum) duo fratres predicatores venissent ad dictum monasterium, et vellent recedere, ista sancta Margaretha rogavit eos, ut non recederent, et ipsi stare noluerunt, sed inceperunt recedere; et tunc ista sancta Margaretha rogavit Deum, quod frangeret currum eorum, ita quod non possent recedere, et cum ipsi fratres essent in fine ville, currus eorum fractus fuit, et redierunt ad ipsum monasterium, «et credidimus, quod per orationes suas hoc fuerat factum».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi quando rogavit, et vidi fratres quando redierunt, et dixerunt quod currus eorum erat fractus».

Interrogata, que erant presentes tunc, respondit: «Predicta soror Catharina».

Interrogata, quot annos habuit tunc predicta soror Margaretha, (respondit): «Quinque, vel sex annos, sicuti credo». Item dixit, quod ipsa venit cum predicta sancta Margaretha (et) cum quibusdam aliis sororibus dicti monasterii in istud monasterium de insula Danubii, et semper volebat esse in orationibus, nisi quando schole impediebant eam. Item dixit, quod ista sancta Margaretha postquam fuit in isto monasterio, erat multum devota, et stabat in orationibus cum magno timore, devotione et humilitate, et preceptum priorisse cum magna humilitate et devotione faciebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et priorissa fui aliquo tempore». Item dixit, quod in septimana sua libenter faciebat coquinam, lavabat ollas et scutellas, et preparabat pisces, et faciebat alia omnia servitia, que erant necessaria.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia ego quandoque preparabam secum predicta». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis in omnibus suis necessitatibus, et cum manibus suis faciebat eis ad comedendum, et dabat eis comedere et bibere, purgabat et scopabat cameras earum, et necessaria purgabat, quando oportebat, et rasit capita septem in una meridie.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi, quia eram magistra sua, et presens eram». Item dixit, quod ipsa sancta Margaretha in etate duodecim annorum incepit portare cilicium, et illud portabat quolibet tempore, per totam quadragesimam et per totum adventum, (et) in aliis temporibus a die Jovis usque diem Sabbathi post completorium.

Interrogata, per quot annos portavit cilicium, ut dixit, respondit: «Usque ad mortem suam».

Interrogata, quomodo scit, quod portaret dictum cilicium, ut dixit, respondit: «Quia vidi et sepe petebam ab ea ipsum cilicium». Item dixit, quod per totam quadragesimam non lavabat caput suum usque ad Sabbathum sanctum, et multos pediculos tunc portabat in capite, et in Sabbatho sancto lavabat sibi caput «et sepe rogavi ipsam, quod raderet sibi caput, et ipsa hoc nolebat». Item dixit, quod in qualibet die cuiuslibet quadragesime legebat totum psalterium.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia semper videbam psalterium in manu, nisi quando comedebat et quando erat ad officium». Item dixit, quod petebat in obedientiam a priorissa, quod lavaret pedes sororibus et servitialibus, quod in omni anno in cena domini lavabat pedes sororibus et servitialibus, et sugabat cum velo capitis sui, et osculabatur pedes earum.

Interrogata, quomodo scit, quod peteret licentiam a priorissa, et lavabat pedes, ut dixit, respondit: «Vidi hoc, et a me petiit hoc, quando eram priorissa». Item dixit, quod ista sancta Margaretha post cenam domini usque ad diem Sabbathi non comedebat, nec sedebat, nec dormiebat, nec bibebat, sed semper stabat in choro ecclesie in orationibus, nisi quando dicebat officium, quia tunc stabat in loco suo, sicut alie sorores.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quod in die Veneris sancta Margaretha semper cantabat cum magnis lacrymis, et quod in die resurrectionis non poterat manducare, quia nimis erat lassata[1] propter laborem, quem habuerat.

---

[1] Lassata, olasz szó: «Fáradt».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quod in secundo anno, postquam ista sancta Margaretha fuit in isto monasterio de insula Danubii, rex Bela pater suus voluit eam maritare duci Polonie, et frater Sicardus, qui tunc erat prior huius monasterii, dixit sibi: «Pater tuus vult te maritare, tu eris magna domina, tu habebis pulchras vestes, quid vis tu facere?» Et ipsa respondit: «Domine, ego nolo maritum aliquem, sed volo servire domino Jesu Christo».

Interrogata, quomodo scit hoc (respondit): «Bene scio, quia hoc fuit in presentia mea». Item dixit, quod ista sancta Margaretha statim propterea fecit professionem in isto monasterio de insula Danubii, et ipse pater suus voluit eam maritare regi Bohemie, et quando hoc fuit dictum sibi, ipsa respondit: «Parentes mei possent me tantum molestare de hoc, quod ego truncarem mihi nasum et labia».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia audivi auribus meis». Item dixit, quod cum Tartari intrassent regnum Hungarie,[1] transantes silvas, et diceretur,[2] quod venirent ad partes istas «ipsa sancta Margaretha dixit mihi: ‚Mater, si Tartari venirent, ego truncabo mihi nasum cum manibus meis, ut sim turpis et bruta, et si ego non possem facere hoc, rogo te, ut tu facias'».

Interrogata, si erant alique presentes, quando dixit predicta, respondit: «Soror Judith, que erat tunc priorissa».

Interrogata, quot anni sunt, quando hoc fuit, respondit: «Non recordor, sed fuit circa nativitatem sancte Marie».

Interrogata de die, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata de hora diei, respondit: «In hora none». Item dixit, quod per tres annos ante mortem ipsius, domina regina mater sua dixit sibi, quod volebat eam maritare domino regi Carolo[3] de licentia domini pape, et ipsa sancta Margaretha respondit: «Si papa hoc fieri mandaret, nolo esse mattha[4], sed volo servare virginitatem domino Jesu Christo».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia predicta fuerunt dicta in presencia mea».

Interrogata, si alique alie erant presentes, respondit: «Soror Margaretha, filia domini Gulielmi». Item dixit, quod ista sancta Margaretha dicebat: «Deus vellet, quod esset tempus martyrii, quia libenter pro fide Christi sustinerem mortem».

---

[1] Itt arról az időről van szó, a mikor Margit már felserdült volt, tehát az 1258-ik év utáni időről. A tatárok 1260, 1263, 1265 években fenyegették Magyarországot.

[2] A kéziratban áll: «iret ad silvas et diceret, quod . . » a minek nincs értelme. A szöveg a nápolyi legenda nyomán reconstruálható; ott ez á : «Quod Tartari transeuntes silvas, iam regnum Hungarie intrassent».

[3] Anjou Károly siciliai király 1268 táján kérte meg Margit kezét. (PAULER, A magyar nemzet története. II. 350.)

[4] Matta, olasz szó: «bolond».

Interrogata, si erant presentes alique, respondit: «Soror Judith».

Interrogata, quot annos habebat, quando hoc dixit, respondit, quia multoties dicebat hoc, et hoc dicebat usque ad mortem suam. Item dixit, quod per unum annum ante mortem suam soror Beata obiit, et tunc ipsa beata (Margaretha) dixit magistre sue: «Ego ero prima, que moriar post ipsam», et obiit antequam alia de sororibus, sicut dixit, in undecima die.

Interrogata, si alique erant tunc presentes, respondit: «Sic, soror Margaretha, filia domini Gulielmi.

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de (hora) diei, respondit: «Quarta, fiebat post completorium».

Interrogata, in quo loco, respondit: «In infirmaria». Item dixit, quod quando mortua erat, videbatur magis pulchra, quam quando viva erat, et videbatur habere quasi deauratum subtus oculos.

Interrogata, quot diebus stetit sic mortua antequam sepeliretur et apparebat sic pulchra, sicut dixit, respondit, quod mortua fuit post completorium, et ita remansit usque ad diem Martis, et semper apparuit sic pulchra, et eodem die Martis posita fuit in quodam scrinio clauso, in quadam fovea, et non fuit cooperta de terra, et ita stetit tredecim diebus, et nullus fetor erat in ea.

Interrogata, quomodo scit, quod tot diebus steterat mortua, antequam sepeliretur, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, quomodo scit, quod apparebat ita pulchra. ut dixit, respondit: «Quia vidi eam tunc».

Interrogata, quomodo scit, quod per illos tresdecim dies nullus fetor erat in ea, ut xit, (respondit: «Quia fui presens»). Item dixit, quod ipsa beata Margaretha in vigiliis nativitatis domini, in vigiliis sancte Marie et pentecostes, quolibet anno faciebat mille venias, et tunc ieiunabat in pane et aqua.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, si vult plus dicere, respondit: «Non recordor de aliis».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua sit beata virgo Margaretha, respondit, quod septem.

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quinquaginta quinque, et vigesimus primus annus est, quod ego steti in istis duobus monasteriis».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non, sed pro Deo et veritate dixi predicta».

Die lune sequenti[1] rediit dicta soror Olimpiades et dixit: «Quadam die venerant duo fratres predicatores ad predictum monasterium sancte Catharine Vesprimiensis, quos ipsa virgo Margaretha rogavit, quod starent, et cum ipsi vellent rece-

[1] Augusztus 3.

dere, ista sancta Margaretha rogavit Deum, ut plueret, quod non possent recedere, et statim magna pluvia facta est, quod non potuerint recedere».

Interrogata de nominibus fratrum illorum predicatorum, respondit: «Unus vocabatur Hembrath, qui est mortuus, de alio non recordor».

Interrogata, que erant presentes, quando rogavit fratres et oravit et pluit, ut dixit, respondit: «Soror Elena et soror Johalenth, de aliis non recordor».

Interrogata, cuiusmodi tempus erat, quando oravit, ut dixit, respondit: «Valde serenum».

Interrogata, quot annos habebat ista virgo Margaretha, quando oravit, ut dixit, respondit: «Septem annos».

Interrogata, in quo loco monasterii erat, quando oravit, ut dixit, et pluit, respondit: «In ecclesia ipsius monasterii, ut credo».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Ante vesperas». Item dixit, quod in quodam festo resurrectionis in sero cum plueret fortiter, ipsa virgo Margaretha dixit cuidam servitiali, quod iret et portaret sibi tunicam suam, et dum illa servitialis iret ad portandum illam tunicam, cecidit in puteum, «et quando ego audivi dicere, quod servitialis ceciderat in puteum, ivi ad illam virginem Margaretham, et cepi eam reprehendere, et dixi: ‚Domina, male fecisti, perdidisti corpus et animam,' (et) respondit: ‚Non timeas mater, quia ista non morietur' et sic oravit: ‚O domine Deus, si aliquantulum placet tibi meum servitium, fac, ut ista servitialis non moriatur,»' et dixit, quod illa servitialis tantum stetit in dicto puteo, donec claves claustri invente fuerunt, et aperuerunt ostium, et ipsa virgo Margaretha «et ego et alie sorores ivimus ad puteum. et traximus ipsam servitialem vivam superius, et sine aliqua lesione».

Interrogata, quomodo scit hoc, quod predicta virgo Margaretha dixit predicte servitiali: ‚Vade et porta tunicam meam', respondit: «Ipsa virgo Margaretha dixit mihi».

Interrogata, si alique sorores erant presentes, quando reprehendebat dictam virginem Margaretham, et quando oravit, ut dixit, respondit: «Sic, soror Scholastica».

Interrogata, in quo loco erant, quando ibi increpavit eam et oravit, ut dixit, respondit: «In refectorio».

Interrogata, que sorores erant presentes ad trahendum secum dictam servitialem de puteo, ut dixit, respondit: «Servitiales, et ego eram presens et Johalenth, et alie, de quibus non recordor».

Interrogata de nominibus harum servitialium, respondit: «Quedam, que vocatur puella (?) et alie, de quibus non recordor».

Interrogatn de nomine illius servitialis, que cecidit in puteum, ut dixit, respondit: «Agnes».

Interrogata, si vivit, respondit: «Sic».

Interrogata, quot anni sunt, quod predicta fuerunt, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata, si erat clarum tempus, vel obscurum, respondit: «Pluvia erat et obscurum tempus».

Interrogata, in quo loco est ille puteus (respondit): «In curia servitialium ante coquinam.» Item dixit, quod quadam die in tantum crevit Danubius, quod aqua ipsius intravit in curiam servitialium, et post aliquot dies provincialis (fratrum) predicatorum venit ad dictum monasterium «et nos diximus sibi, sicut increverat aqua dictam curiam, et ipse dixit: ‚Hoc non possum credere, quomodo posse esse'; et tunc beata Margaretha dixit: ‚Non creditis nobis'? et rogavit Deum, et beatam virginem, quod ostenderent ipsi fratri, quod factum fuerat; et statim in tantum crevit aqua Danubii, quod intravit dictam curiam et claustrum monialium, et eramus tunc extra claustrum in quodam viridario, et quando vidimus, quod aqua in tantum crescebat, fugimus in claustrum, et intravimus in domum capituli, et non potuimus ibi stare, et exivimus et ascendimus lignum dolii».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Ante mortem ipsius virginis Margarethe per tres annos».

Interrogata de mense, respondit: «Ante carnelevarium».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Circa horam vesper(arum).».

Interrogata, in quo loco erant tunc, respondit: «In viridario, ante loquutorium, in quo consuevimus laborare».

Interrogata de nomine provincialis, respondit: «Frater Marcellus».

Interrogata, si alius frater erat tunc cum eo, respondit: «Sic, frater Joannes, qui modo stat iuxta mare in Cadria».[1]

Interrogata, que fuerunt alie sorores, que fuerunt presentes, quando sic dixerunt fratri Marcello, et predicta virgo Margaretha rogavit Deum, ut dixit, et crevit aqua, respondit: «Soror Margaretha, filia domine Anne et soror Margaretha, filia domini Gulielmi».

Interrogata de aliis, respondit: «Non habeo in mente». Item dixit: «Quando mortua fuit, ego vidi, quod ipsa habebat in genibus callum durum, sicut petram, et grossum[2] sicut ovum, et hoc sibi devenerat propter multas venias, quas con-

[1] Ezt a helyet nem határozhatjuk meg.

[2] Grosso, olasz szó: «nagy».

sueverat facere». Item dixit, quod domina Elisabeth, que fuit filia regis Stephani, que est monacha in isto monasterio, fuit in isto anno in tantum ammalata,[1] quod credebat mori, et tunc ipsa fecit sibi portare cilicium et scapularium et velum et vestimenta sancte Margarethe, et incepit illa osculari et ponere super caput suum, et cepit sudare, et incontinenti liberata fuit.

Interrogata, de quo mense ita fuit liberata ipsa soror Elisabeth, ut dixit, respondit: «Circa festum sanctissime trinitatis».

Interrogata de die, respondit: «Ante nonam post prandium».

Interrogata, que fuit illa, que portavit sibi dictas vestes, ut dixit, respondit: «Ego».

Interrogata, quanto tempore fuit infirma, ut dixit, respondit: «Ego vidi eam».

Interrogata, quomodo scit, quod ita sanata fuit, ut dixit, respondit: «Ego fui presens».

Interrogata, si alique alie erant tunc presentes, respondit: «Sic, soror Johalenth».

Interrogata, si alie sorores sciverunt, quod ita esset infirma, ut dixit, respondit: «Sic, totus conventus».

Interrogata, cuiusmodi verba dicebat ipsa Elisabeth, quando osculata fuit predictas vestes, respondit: «Ipsa incepit flere, et erat ita debilis, quod non poterat loqui».

Interrogata, si ab illo tempore circa habuit predictam infirmitatem, vel similem, respondit: «Non», et dixit: «Nolo aliud dicere de ea, sed in tantum fuit sancta domina et beata, quod lingua dicere non posset».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Martis undecima Augustum intrante.

Interrogata predicta soror Olimpiades, si aliquo tempore dictum fuit sibi de sororibus istius monasterii, quod dicta virgo Margaretha iacebat in choro ecclesie quasi mortua, respondit: «Sic».

Interrogata, que fuit illa, que dixit sibi hoc, respondit: «Soror Johalenth».

Interrogata, si hoc fuit de die, vel de nocte, respondit: «De nocte».

Interrogata, qua hora noctis, respondit: «Antequam sonarent matutina».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «De mense omnium sanctorum».

Interrogata, que dies precedebat illam noctem, in qua dicta fuerunt sibi predicta, respondit: «Non recordor».

---

[1] Ammulata, olasz szó: «beteg».

Interrogata, quid fecit tunc, quando audivit, quod ipsa virgo Margaretha iacebat quasi mortua, respondit: «Ego ivi ad eam cum illa sorore Johalenth, et invenimus eam iacentem ante altare, et quando ipsa surrexit dixi sibi, quod interficiebat se, et quod male faciebat, et menacavi[1] eam, et ipsa respondit: ‚Ego steti parum sic'».

Interrogata, si soror Lucia, filia domini Ose de Vesprimio[2] aliquo tempore habuit aliquam infirmitatem, respondit: «Scio, quod habuit infirmitatem ita gravem, quod non poterat se movere, nec loqui».

Interrogata, per quot dies stetit, quod non poterat loqui, sicut dixit, respondit: «Per quinque dies, sicut credo.

Interrogata, si scit, quomodo liberata fuit dicta soror Lucia a dicta infirmitate, respondit: «Ego lavi capillos istius sancte Margarethe, et lavaturam ipsam posui in ore eius sororis Lucie, et statim incepit loqui et meliorata fuit».

Interrogata, de quo lavit dictos capillos, respondit: «De vino, sicut credo».

Interrogata, si aliqua verba dixit, quando posuit dictam lavaturam in ore ipsius sororis Lucie, respondit: «Dixi: domine Jesu Christe, fac, quod per merita istius sancte Margarethe ista soror loquatur».

Interrogata, si alique erant presentes, quando lavit dictos capillos et posuit lavaturam in ore dicte sororis Lucie, respondit: «Sic, soror Cecilia, de aliis non recordor».

Interrogata, de nomine patris dicte Cecilie, respondit: «Nescio, sed tantum unam habemus Ceciliam in domo ista».

Interrogata, quot anni sunt, quod predicta fuerunt, respondit: «Tres».

Interrogata de mense, respondit: «Circa ascensionem».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Circa nonam».

Interrogata, in quo loco iacebat tunc dicta soror Lucia, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, si aliquo tempore vidit, quod aliquis sanaretur ad sepulcrum istius virginis Margarethe, respondit: «Vidi, quod quadam die quedam puella domini Matthei de genere Mastaacs,[3] que habebat contractam manum et pedem, portata fuit ad istud sepulcrum predictum, et statim liberata fuit».

Interrogata de nomine dicte puelle, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annos habebat dicta puella, quando ita sanata fuit, ut dixit, respondit: «Bene poterat habere octo annos».

---

[1] Menazare, olasz szó: «fenyegetni».

[2] Vallomása a XX. szám alatt következik.

[3] Ugyanez a XXV. vallomásban «de genere Taacs», a XLI.-ben «de genere Caach», a nápolyi legendában «de genere Zaab» neveztetik.

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella erat filia dicti domini Matthei, respondit: «Bene scio, quia soror nostra Margaretha, que erat de parentela sua, hoc dixit mihi».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella habuit pedem et manum contractam, ut dixit, respondit: «Quia portata fuit in brachiis in ecclesia ad dictum sepulcrum, et rediit sana cum pedibus suis».

Interrogata, ubi erat, quando vidit dictam puellam portari ad sepulcrum et sanari, ut dixit, respondit: «In choro apud fenestram».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui portaverunt dictam puellam, respondit: «Quedam servitialis ipsius domini Matthei».

Interrogata de nomine servitialis, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata de hora diei, respondit: «In mane».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Dominus Cosma, canonicus Vaciensis et Martinus Rubini fuerunt interpretes, modo predicto, in predicte domine dictis.

Die Lune tertia intrante Augustum.

XV.

Domina Frosia,[1] filia domini Jacobi de Nitra,[2] soror et monialis dicti monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit, quod ipsa virgo Margaretha fuit devota domina et humilis erga Deum, et obediens et humilis omnibus sororibus suis, et bone vite et conversationis, et hoc servavit usque ad mortem suam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi oculis meis». Item dixit: «Quando ego fui sacristiana, in vigiliis sancte Marie dimittebam ostium chori apertum per totam noctem, secundum consuetudinem nostram, et tunc videbam ipsam virginem stantem et orantem per totam noctem in dicto choro magna cum devotione et fletu».

Interrogata, quot anni sunt, quod fuit sacristiana, ut dixit, respondit: «Non recordor».

---

[1] «Tizenötöd sornak vala neve soror Frosia és ez vala Nytray Jakab úrnak leánya .... Nem tudá megmondani hány eztendős, hanem csak hogy húz eztendeig volt a klastromban.»

[2] A kéziratban hibásan áll Aura. A magyar legenda «Nytray Jakab urnak» leányának nevezi. 79.

Interrogata, per quot annos fuit sacristiana, respondit: «Per quinque annos continue». Item dixit: «In aliis diebus ipsa virgo Margaretha post completorium, quando alie sorores iam exiverant de choro, veniebat ad me, et capiebat manum meam in manu sua multum dulciter, et inclinabat caput suum, et faciebat mihi signum, quod ego non clauderem ita cito ostium chori, ut possit redire ad orandum, et multum cito remittebam et dabam sibi signum, quantum deberet stare ad orandum, et ipsa ibat et orabat magna cum devotione et reverentia, et postea exibat».

Interrogata, si alique sorores fuerunt ibi, que hoc viderunt, respondit: «Soror Elisabeth, soror filia comitis Thome que erat socia mea». Item dixit, quod dilexit paupertatem, et portabat malas vestes et petiatas, novas nolebat portare sine petiis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Ego vidi oculis meis». Item dixit, quod in sua septimana faciebat coquinam, tulit aquam, et lavabat scutellas et ollas, et accendebat ignem, et portabat aquam, et alia scundigia[2] faciebat multum libenter, et cum magna humilitate».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi eam sic facientem». Item dixit, quod in septimana sua serviebat sororibus in conventu cum magna reverentia, et cum sorores iam fere comedissent, et habuissent omnia que debebant habere ad comedendum et bibendum, ipsa intrabat ecclesiam vel capitulum ad orandum, et antequam sorores surgerent de mensa, revertebatur ad eas.

Interrogata, quomodo scit (predicta), respondit: «Quia vidi oculis meis». Item dixit, quod ipsa virgo Margaretha libenter et humiliter serviebat infirmis, et erat que sciebat quando alique sorores infirmabantur, et ibat ad eas, et querebat si volebant aliquid, et portabat eas ad infirmariam, et necessaria purgabat quando oportebat, et omnia necessaria faciebat eis, que facere poterat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod quedam puella servitialis erat multum infirma et scabiosa, et ipsa manibus suis balneabat et ungebat eam, et sic fecit donec fuit liberata et sanata.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod soror Margaretha, filia domine Anne, post mortem ipsius virginis Margarethe, non credebat quod ipsa esset sancta, et dicebat: ‚Non credam, nisi videam aliquod miraculum oculis meis', et tunc venit quedam mulier ad sepulcrum istius sancte Margarethe, que habebat ita contractos pedes quod non poterat ire pedibus, sed ibat genibus et cum duobus scarunetis[3] in manibus, et tunc dixit dicta soror Margaretha: ‚Jam credam, quod esset sancta, si ista surget', (et) incontinenti surrexit.

---

[1] A kéziratban soror «Thome» áll; de ez kétségkívül hibás olvasás, és Bodomeri Tamás ispán leányáról van szó.

[2] Ezt a szót a szótárakban nem találjuk.

[3] Ezt a szót a szótárakban nem találjuk. A «scarunetis» a «scabellis» szóval egyértelmű.

Interrogata, quomodo scit, quod ipsa soror Margaretha dixit predicta verba, respondit: «Ego audivi auribus meis ab ore suo».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta femina tunc sic contracta venit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Quia vidi oculis meis».

Interrogata, quomodo scit, quod ista soror Margaretha dixerit: ‚Jam credam, quod esset sancta, si ista surget', respondit: «Quia ego de ore suo audivi».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta femina tunc incontienti surrexit, ut dixit, respondit: «Quia vidi oculis meis».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Bene possunt esse tres anni, sed non recordor bene».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Credo, quod fuit quadam die Sabbathi».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post nonam ante vesperas».

Interrogata, ubi erat dicta soror Margaretha, quando dixit et vidit predicta, respondit: «Ad fenestram chori».

Interrogata, si alique alie sorores erant tunc ibi presentes, que audierunt et viderunt hoc, respondit: «Sic, soror Elisabeth, filia quondam domini Stephani regis et soror Margaretha, filia domini Gulielmi».

Interrogata, si cognoscebat prius dictam feminam ita contractam, respondit: «Non».

Interrogata, si antea viderat dictam feminam ita contractam, respondit: «Non».

Interrogata, si postea vidit eam, respondit: «Non».

Interrogata, si scit nomen dicte femine, respondit: «Non, nec scio unde fuerat.» Item dixit, quod quodam tempore erat graviter infirma; «et tunc dixi: ‚Scio, quod tu virgo Margaretha es sancta, rogo te, quod ores Deum pro me, ut me liberet', et vovi dicere omni die quindecies ‚Pater noster' et ‚Ave Maria' ad honorem suum, et statim liberata fui, et quando non facio, sentio me debilem.»

Interrogata, si aliquis erat presens, quando sic oravit, et vovit et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Non, quia dixi in corde meo».

Interrogata, quot annos habet ista testis dicta, respondit: «Non recordor, sed viginti anni sunt, quod sum in isto monasterio».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est beata virgo Margaretha, respondit: «Septem anni sunt».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XVI.

Agnes servitialis[2] istius monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione istius virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Hoc scio pro vero, quod ipsa fuit bone vite et sancte et bone conversationis, et de maiori humilitate quam nos servitiales».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam». Item dixit: «Quodam die post completorium pluebat fortiter, et erat multum obscurum, et tunc ipsa domina mea vocavit me, et veni cum una socia ad eam, et ipsa dixit mihi, quod ego apportarem sibi tunicam suam, et multum mihi displicuit cum ibam pro dicta tunica, credens quod ipsa socia mea esset mecum, sed eam non videbam, quia erat ita obscurum tempus, quod si aliquis me percussisset ad faciem ego non vidissem eum, et sic cecidi in quemdam puteum, et postquam ivissem ad fondum putei tertia vice, cepi me ad parietem muri, et domine que accurrerant extraxerunt me superius».

Interrogata, in quo loco erat tunc virgo Margaretha, quando hoc sibi dixit, respondit: «In quodam domo de petris, nescio aliud nomen».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Credo quod sunt novem anni».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «In die resurrectionis domini».

Interrogata, si alie erant presentes quam socia sua, quando dicta Margaretha hoc dixit sibi, respondit: «Sic soror Sapientia, que mortua est».

Interrogata de nomine dicte socie sue, respondit: «Elvit».

Interrogata, que fuerunt ille, que traxerunt illam de puteo, respondit: «Agata servitialis».

Interrogata de aliis, respondit: «Non recordor».

Interrogata, ubi est ille puteus, in quem cecidit, respondit: «In claustro de foris ante coquinam».

Interrogata, si aliquid erat tunc in circuitu dicti putei, respondit: «Non, et erat discoopertus».

Interrogata, si aliquid aliud vult dicere, respondit: «Dixi quod scio, et alie domine dixerunt que sciunt».

---

[1] Augusztus 3.

[2] «Tizenhatodiknak vala neve Agnes, . . . ez klastrombeli sororoknak zolgálójok és jelesen zent Margit azzonnak . . . Nem tudá megmondani hány eztendős, hanem csakhogy huz (XII.) eztendeig volt az sororoknak zolgálatjokban.»

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Non recordor», et dixit: «Duodecim anni sunt, quod sum religiosa in servitio istarum dominarum».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Benedictus Premonstratensis et *Martinus Rubini* interpretes fuerunt modo predicto in dictis predictarum sororis Frosie et Agnetis servitialis.

Eadem die.[1]

XVII.

Domina Agnes, filia domini Pauli de Berchio,[2] soror et monialis dicti monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Bene scio, quod ista virgo Margaretha fuit bone vite et bone conversationis, et fuit simplex et obediens priorisse, et magne humilitatis, plus quam nos, et istud monasterium fuit edificatum propter ipsam, per dominum regem Belam patrem suum et dominam reginam matrem suam, et stabat et comedebat cum maiori humilitate quam alie».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi oculis meis, et scio veraciter quod dicti pater suus et mater sua fecerunt fieri istud monasterium, sicut dixi». Item dixit: «Ego sum talis, quod nescio litteras, nec cantare, tantum locus orationis mee erat iuxta locum suum, et semper vidi eam in oratione a mane usque ad vesperas continuam, nisi quando erat in officiis, vel in aliis servitiis». Item dixit, quod a Dominica, qua incipitur ‚Vexilla Regis', per illas duas septimanas, usque ad pascha tenebat se in orationibus magnis et lacrymis, et tunc ponebat ante se quemdam crucifixum pictum in tabula, et cum magna oratione, devotione et reverentia orabat ibi.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quia semper desiderebam videre, quid faceret, et vidi, sicut ego dixi». Item dixit, quod in cena domini petebat in obedientiam a priorissa, quod posset lavare (pedes) sororibus et servitialibus claustri, et in die illa lavabat omnibus cum magna humilitate, osculando pedes ipsarum, et ibat cum genibus de una ad aliam, sic faciendo, et cum velo capitis sui sugabat pedes ipsarum, et sunt ipse domine bene septuaginta sine servitialibus.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui, et sic vidi».

Interrogata, per quot annis lavit pedes dictis sororibus et servitialibus, respondit: «Omni anno usque ad mortem suam».

---

[1] [2] Augusztus 3.

[3] «Tizenheted sornak vala neve soror Ágnes és ő vala Berchy Pál úrnak leánya . . . . Vala az időben ötven eztendős.»

Interrogata, quomodo scit, quod lavit omni anno usque ad mortem suam, sicut dixit, respondit: «Quia videbam hoc et presens eram». Item dixit, quod postquam sic lavit pedes usque ad mortem omnium, non intravit lectum, sed potest esse quod sedebat in oratorio suo aliquantulum propter debilitatem, et forte tunc aliquando dormiebat, «sed hoc non vidi».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia hoc vidi oculis meis».

Interrogata, in quo loco stabat tunc dicta virgo Margaretha, respondit: «Stabat in officiis, quando fiebant in choro, et quando non fiebant officia, stabat in oratorio suo, quod est in choro».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quia locus meus erat iuxta locum suum».

Interrogata, si alique alie sorores videbant, quod sic oraret et staret, ut dixit, respondit: «Omnes sorores sciunt, quod sic fuit in orationibus suis». Item dixit, quod ipsa sancta Margaretha dicebat, quod dies Veneris sancta erat plus curta,[1] quam alie dies, et cum magnis orationibus et lacrymis transibat diem illam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Hoc audivi ab ore suo et vidi». Item dixit, quod paupertatem amavit, et veteres vestes portavit, que erant plene de pediculis, sed propter multas orationes non curabat de pediculis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Qualiter non scio, si vid oculis meis?» et dixit, quod per totam quadragesimam non mutabat vestes.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod libenter servivit, in quibus poterat, sanis et infirmis, et necessaria eorum purgabat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Semper vidi oculis meis».

Interrogata super miraculis, dixit: «Quadam die ipsa et ego serviebamus in coquina, et dum vellemus rostire[2] caseum pro sororibus, non videbamus locum, in quo possemus hoc facere, et ipsa virgo Margaretha porrexit manum, et traxit tripedem de ferro multum calidum de igne, et non fecit sibi aliquod malum in manu sua, et tunc ego dixi sibi: ‚Domina, quid fecisti, si ego fecissem hoc, tota manus mea esset assa, et ipsa mihi dixit: . . . .[3]

Interrogata, si erant tunc alique presentes, que hoc viderunt, respondit: «Non». Item dixit, quod in festivitatibus sanctorum libenter faciebat sibi legi vitas sanctorum et passiones ipsorum, et hoc audiebat cum magna devotione et humilitate et magnis cum lacrymis, dicendo quod si esset tempus passionis, libenter sustineret passionem pro Deo.

---

[1] Curta, olasz szó: «rövid».

[2] Rostire szót a szótárakban nem találjuk. A nápolyi legenda ezt az esetet elbeszélvén, mondja, hogy «caseum sororibus assare vellent». Cap. XLI.

[3] Margit válasza a kéziratban hiányzik.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam et presens eram, quando faciebat sibi exponi ipsas passiones, et audivi ab ore suo, quod libenter sustineret passionem, sicut dixi». Item dixit, quod omni anno ieiunabat vigilias sancte Marie in pane et aqua, et faciebat mille venias in qualibet illarum vigiliarum, et illud faciebat in vigilia nativitatis domini et pentecostes.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia fui tunc iuxta eam, et hoc vidi oculis meis». Item dixit, quod: «Quando mortua fuit ista sancta Margaretha, ipsa videbatur mihi pulchrior, quam in vita sua, et apparebat quod habebat deauratum subtus oculos».

Interrogata, si vult plus dicere, respondit: «Multa alia bona dicere possem, sed forte alie sorores dixerunt et dicent adhuc».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quinquaginta».

Interrogata, per quot annos fuit in monasterio, respondit: «Per decem et octo».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc tesstimonium, respondit: «Non».

Die Martis quarta intrante Augustum.

XVIII.

Domina Judith,[1] filia quondam domini Hyppoliti comitis, soror et monialis dicti monasterii gloriose virginis Marie, (iuravit) ut supra.

Interrogata de vita et conversatione istius virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod ista virgc Margaretha fuit erga Deum magno amore, et magna humilitate contra sorores suas, et de magnis orationibus.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod a pueritia sua ipsa fuit socia sua, et quotiescunque ipsa virgo Margaretha loquebatur sibi, rogabat eam, quod deberet ipsam amagistrare[2] qualiter posset servire, et qualiter debebat orare. Et dicebat mihi: ‚Soror mea, cuiusmodi orationes dicis tu? Monstra mihi de tuis orationibus', et amagistrabam ipsam, et postea dicebam sibi: ‚Quid[3] oras?' Et ipsa quasi ridendo ibi transibat, et nolebat mihi dicere, et videbam, quod plus oraret quam ego». Item dixit, quod de nocte multum

[1] «Tizennyolczad sornak vala neve soror Judit Ipolt ispán úrnak leánya . . . . Vala zent Margit azzonnak társa mind ő gyermekségétől fogva . . . . Mikoron bizonságot tőn . . . semmit nem tuda mondani az ő esztendeéről, hanem csak azt, hogy féleztendővel jut az zerzetben zent Margit azonnak előtte.»

[2] Az olasz ammæstrare szóból.

[3] A kéziratban, kétségkívül hibásan áll: Quam.

stabat in orationibus apud lectum suum, ubi erat una stora, super quam ponebat se ad dormiendum, quando erat fatigata, et parum dormiebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et frequenter presens eram». Item dixit, quod a Dominica qua cantatur, ‚Judica me' ipsa morabatur cum magnis orationibus, cum magna devotione et magnis cum lacrymis, et ita transibat illas duas septimanas usque ad resurrectionem «et quando aspiciebam eam, ego videbam faciem suam cargatam lacrymis».

Interrogata, quomodo scit hoc, quod orabat et stabat in orationibus per illas duas septimanas, ut dixit, respondit: «Quia videbam ipsam».

Interrogata de loco, respondit: «Quandoque in choro ecclesie et quandoque in aliis locis». Item dixit, quod dilexit paupertatem in omnibus rebus, et veteres vestes et petiatas portabat libenter.

Interrogata, quomodo scit (hoc), respondit, quia sepe rogabat eam «quod ego cusirem[1] et petiarem sibi vestes suas, et sepe feci hoc.» Item dixit, quod faciebat coquinam, quando erat sua septimana, et lavabat scutellas et ollas, et radebat pisces, et omnia alia servitia libenter serviebat, ita quod multoties multum deturpabat vestes suas in servitiis coquine».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc». Item dixit quod nimis libenter faciebat servitium infirmis, cum suis manibus faciebat coquinam eis, et dabat eis ad manducandum et bibendum. et faciebat eis lectum, et vidi quod quadam die ipsa rasit capita septem amalatis, et unxit nescio quo unguento».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Bene scio, quia videbam et ante me faciebat». Item dixit, quod: «Quodam tempore eram infirma, ipsa veniebat ad visitandum me, et dicebat: ‚Soror mea, quomodo stas tu, es tu meliorata, vis tu aliquid?' Et ego quadam vire interrogavi eam: ‚Domina mea estis gvarita de inflatura genuum vestrarum,' et ipsa dixit: ‚Genua non dolent modo mihi, et ille inflature iam indurate sunt ad modum coste'».

Interrogata, quomodo scit, quod haberet genua inflata sic, ut dixit, respondit: «Quia ipsa dixit mihi multoties in secreto: ‚Soror mea, ego habeo genua inflata, et multum dolent mihi,' «et dixit ipsa testis: «Credo quod habuit illas inflaturas propter multas venias, quas faciebat, sed hoc non dixit mihi». Item dixit: «Sepe audivi ab ea, quod libenter daret corpus suum ad martyrizandum pro Deo, si esset tale tempus». Item dixit, quod ipsa virgo Margaretha dicebat: «Ego truncabo mihi nasum et labia, antequam sustineam quod pater meus maritaret me regi Bohemie, vel alteri».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Ab ore suo, quando pater suus

[1] Cucire, olasz szó: «varrni».

volebat eam maritare regi Bohemie». Item dixit, quod ista sancta Margaretha, dixit sorori Margarethe, filie domine Anne et sorori Margarethe, filie domini Gulielmi: «Cito moriar, et rogo vos, quod faciatis (me) poni ante altare sancte crucis, et si locus ille est nimis strictus propter sorores, faciatis me poni in loco, quo oro, et non timeatis de fetore, quia de corpore meo non exibit fetor».

Interrogata, quantum vixit virgo Margaretha, postquam audivit predicta verba a predicta sorore Margaretha, respondit: «Intra quindecim dies mortua est».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia audivi ab ore dicte sororis Margarethe, filie domine Anne». Item dixit, quod postquam ista sancta Margaretha mortua fuit, stetit per duodecim dies in quodam scrinio de ligno, posito in quadam fovea ante altare, quod est in ecclesia, et non fuit coopertum istud scrinium de terra, nec de aliquo alio, nisi cum cooperculo suo, et quamdiu sic stetit ibi nullus fetor fut ibi, sed bonus odor, et tunc fratres dubitantes, ne aliquod unguentum, vel aliud appositum fuisset circa dictum corpus, quod haberet bonum odorem, frater Michael prior provincialis dixit ad fenestram sorori Margarethe, filie (domine) Anne, nepti dicte sancte Margarethe: «Volo, quod iures mihi, si de aliquo unguento, vel alio odorifero unxisti corpus Margarethe, vel si scis, quod per aliquem de aliis hoc factum sit, et dicas mihi veritatem»; et sic iuravit et dixit, quod nec per se, nec per aliquam aliam sciat aliquod unguentum, vel aliud odoriferum appositum fuit circa corpus.

Interrogata, quomodo scit, quod dictus prior sic dixerit predicte sorori Margarethe, filie domine Anne, et sic iuravit, respondit: «Predicta audivi ab ore predicte sororis Margarethe».

Interrogata, quomodo scit, quod predictum corpus stetit in ecclesia ante altare per duodecim dies, sicut dixit, respondit: «Quia per dies illos ego cum aliis sororibus stabamus circa corpus istius sancte Margarethe, nisi quando dicebamus officia nostra, et quando eramus in mensa et ad dormiendum».

Interrogata, quomodo scit, quod nullus fetor exibat de dicto corpore, sed bonus odor, respondit: «Bonum odorem sentiebamus, et nullum malum». Item dixit, quod ipse frater Michael tunc provincialis quesivit in confessione ab omnibus sororibus, si aliquam rem odoriferam apposuerunt circa dictum corpus, et quelibet per se respondit: «Non».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia in confessione interrogavit me de predictis, et fecit me iurare, et illud idem fecit aliis sororibus, sicut audivi ab eis».

Interrogata, si aliud vult dicere, respondit: «Quod recordor dixi, et non possum dicere totam bonitatem suam».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est ista virgo Margaretha, respondit: «Sicut audivi, septem anni sunt».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Non recordor».

Interrogata, per quot annos stetit in monasterio, respondit: «Nescio, sed bene scio, quod per dimidium annum ante sanctam Margaretham intravi monasterium».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XIX.

Domina Cecilia, que fuit filia quondam Moysis de Vesprimio,[2] soror et monialis istius monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione istius Margarethe virginis, dixit sub iuramento, quod ista sancta Margaretha fuit humilis domina et devota erga Deum, et sororibus istius monasterii obediens et humilis fuit, et fuit domina de sanctitate magna, et semper antequam iret ad prandium ibat sancta Margaretha ante crucifixum, quod est in domo capituli, et ibi plangebat et stabat in orationibus.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Semper videbam eam sic facientem». Item dixit, quod quando priorissa aliquid precipiebat sororibus per obedientiam, ipsa erat prima, que illud facere volebat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam oculis meis». Item dixit: «Vidi oculis meis, quod ista domina Margaretha manibus suis trahebat aquam de puteo ad faciendum balneum infirmis, et portabat illam aquam ad coquinam, et balneabat ipsas infirmas, et radebat eis capita, et alia servitia faciebat eis multum libenter, que facere poterat». Item dixit: «Vidi, quod per septimanam suam faciebat coquinam, lavabat scutellas et ollas, et spazabat[3] domum et alia, que erant necessaria ad coquinam, et aliis temporibus quando poterat faciebat simile».

Item dixit: «Istud vidi ab ea, quod intravit hortum et metas spazabat[4] ibi, et mundabat hortum». Item dixit: «Vidi, quod purgabat necessaria». Item dixit: «Vidi, quod faciebat sibi legi et exponi passiones sanctorum et dicebat: ‚Deus vellet, quod esset tempus martyrii, quia libenter sustinerem passionem pro nomine Jesu Christi'».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et audivi hoc».

---

[1] Augusztus 4.

[2] «Tizenkelenczed sornak vala neve soror Cecilia, és ő vala néhai Bezprimi Mojses úrnak leánya . . . Nem tudá megmondani hány eztendős, hanem azt mondá, hogy mi időtől fogva eze emlékezete volt az úta mendenkoron lakozott ez két klastromban, Bezprímet és itt az bódog azzon klastromban, de miképen alétja vala, vala ötven eztendős.»

[3] Spazare, olasz szó: «seperni».

[4] A kéziratban hibásan: «sapabat».

Interrogata, que erant presentes, quando sic dicebat, respondit: «Elisabeth, filia Olimpiadis».

Interrogata, a quibus faciebat sibi legi et exponi dictas passiones, respondit: «Fratrem Desiderium».

Interrogata, quot anni sunt, quod faciebat sibi legi et exponi passiones sanctorum, ut dixit, respondit: «Semper in festivitatibus martyrum». Item dixit: «Quadam die quedam soror istius monasterii infirmabatur ad mortem, et iam uncta erat et steterat per quinque dies quod non poterat loqui, et tunc dixit soror Olimpiades: ‚Lavemus capillos sancte Margarethe, et de illa lavatura ponamus in bucca[1] ipsi infirme', et sic laverunt capillos illos, et de lavatura posuerunt sibi in bucca' et statim loquuta fuit, et meliorata et adhuc vivit».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et presens fui».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Modo tertius annus».

Interrogata de presentibus, respondit: «Predicta soror Olimpiades et soror Sabina, soror Elisabeth, filia Olimpiadis et multe alie, de quibus non recordor, quia semper expectavimus quando moreretur».

Interrogata, de quo fuerunt loti dicti capilli, respondit: «Nescio, sed credo quod de aqua».

Interrogata, si aliqua verba dicta fuerunt, quando imposuerunt dictam lavaturam in buccam illius infirme, ut dixit, respondit: «Sic».

Interrogata, que fuerunt illa verba, respondit: «Dictum fuit: ‚In nomine patris et filii et spiritus sancti, et propter merita sancte Margarethe loquaris'».

Interrogata, que fuit illa, que dixit predicta verba, respondit: «Fuit soror Olimpiades».

Interrogata, quomodo hoc scit, quod soror Olimpiades dixit predicta verba, et (quod) posuerunt lavaturam in ore ipsius infirme, ut dixit, respondit: «Quia vidi et presens fui, et alie sorores erant presentes, de quibus ego dixi».

Interrogata, quod est nomen illius infirme, que sanata fuit, respondit: «Soror Lucia».

Interrogata, in quo loco tunc iacebat dicta infirma, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Nunc est tertius annus».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor, sed fuit in ascensione domini».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post nonam ante vesperas».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Jam sunt septem anni».

---

[1] Bocca, olasz szó: «száj».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Habeo adminus quinquaginta annos».

Interrogata, quot anni sunt, quod est in religione, respondit: «Non habeo in mente, sed postquam recordor, semper fui in isto monasterio et de Vesprimio».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Martinus prior monasterii sancti Michælis et *Martinus Rubini* interpretes fuerunt modo predicto, in predictis, predictarum dominarum Agnetis, Judith et Cecilie.

Die Mercurii quinta intrante Augustum.

XX.

Domina Lucia, filia quondam domini Ottonis de Vesprimio,[1] soror et monialis istius monasterii de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Scio, quod ista domina sancta Margaretha fuit domina magne humilitatis et magne bonitatis, et sepe lavit mihi caput, quando eram parva puella».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi oculis meis». Item dixit: «Vidi, quod ista sancta Margaretha ibat per magnum lutum et per magnam pluviam quandoque, et portabat aquam in olla magna ad ignem pro infirmis, et cum magna humilitate serviebat infirmis in infirmaria, faciendo lectos eis, et portabat eas ad necessaria, quando oportebat».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quod ipsa scopabat ecclesiam, infirmariam, coquinam et alias domos cum magna humilitate.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit: «Ego sepe fui cum ipsa, et vidi quod ipsa post completorium stabat in choro in orationibus, quousque claudebatur chorus; et quando claudebatur chorus, ibat ad labium claustri, et frequenter tantum orabat ibi, quod ego me adormitabam, et quando postea ibat ad lectum suum, intrabat domum capituli, et ibi faciebat multas venias et orationes ante crucifixum, magnis cum lacrymis, et postea iuxta lectum suum stabat in orationibus usque ad cantum galli.» Item dixit, quod: «Quodam tempore fui infirma, quod ego non poteram loqui, nec me regere, et tunc sorores miserunt pro quodam fratre, qui mihi daret penitentiam, sed ego non potui sibi loqui pre magna infirmitate quam habebam, tunc fecerunt mihi dare corpus

[1] «Huzad sornak vala neve soror Lucia Bezprimy Uten leánya . . . . Vala ez időben hnzonhét eztendős.» A IV. tanu-vallomásban «dc mini Ose» leányának mondatik.

Christi et oleum, et tunc fecerunt me portari ad infirmariam, et cum iacerem ibi, nec dormire possem, ista sancta Margaretha apparuit mihi et dixit: ‚Soror surge, et comede aliquantulum', et ego tunc, quasi excitata, aperui oculos et sedi in lecto, et ita sedendo statim incepi sudare, et post(quam) sudarem melius fuit mihi, et eadem die liberata fui et surrexi».

Interrogata, quanto tempore duraverat sibi dicta infirmitas, respondit: «Per tres dies».

Interrogata, cuiusmodi infirmitas erat illa, respondit: «Nescio nominare infirmitatem illam, sed venit mihi subito».

Interrogata, per quot dies stetit, quod non potuit loqui, respondit: «Per unam noctem».

Interrogata, quot anni sunt, quod habuit illam infirmitatem, respondit: «Tres anni sunt».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, qua fuit liberata, respondit: «Quadam die Lune in quadragesima».

Interrogata, si alique sorores sciverunt de dicta infirmitate, quod esset infirma respondit: «Sic, totus conventus».

Interrogata, si scit, quod aliqua de sororibus fecit sibi aliquam medicinam, vel posuit sibi aliquid in ore, respondit: «Semel posuerunt mihi salivam in ore, et tunc peius fuit mihi, et nihil aliud».

Interrogata, quantum stetit sana, postquam liberata fuit, respondit: «Usque ad ascensionem domini invasit me quedam infirmitas acuta, ita quod per quinque dies non potui loqui, et tunc sorores fecerunt mihi dari corpus Christi, et fecerunt me ungi oleo sancto, et postea laverunt capillos istius sancte Margarethe et posuerunt in os meum lavaturam illam, et statim incepi loqui, et sorores vidi et cognovi que stabant circa me, et recepi mentem meam tunc».

Interrogata, quomodo scit, quod datum fuit sibi corpus Christi et uncta fuit, ut dixit, respondit: «Tantum recordor, quod sensi, quando mihi oculos unxit, et sorores postea dixerunt mihi predicta».

Interrogata, quomodo scit, quod capilli dicte Margarethe loti fuerunt et lavatura posita fuit in ore suo, ut dixit, respondit: «Quia sorores postea dixerunt mihi».

Interrogata, que fuerunt ille sorores, quas tunc cognovit et vidit, ut dixit, respondit: «Soror Cecilia, soror Olimpiades, istas bene habeo in mente, de aliis non recordor.»

Interrogata, quomodo scit, quod dicte (sorores) laverunt dictos capillos, ut dixit, respondit: «In illa hora dixit mihi sensus (?), sed dicte sorores postea dixerunt mihi».

Interrogata, quo tunc loti fuerunt dicti capilli, respondit: «Tunc non habebam in mente, nec scivi, sed postea dicte sorores dixerunt mihi, quod fuit aqua».

Interrogata, si scit, que fuit illa soror, que posuit sibi lavaturam in ore,

respondit: «In illa hora nihil cognovi, sed postea dicta soror Olimpiades dixerat mihi, quod ipsa fuerat».

Interrogata, si aliqua verba tunc dicta fuerunt, quando dictam lavaturam posuit in ore eius, quod ipsa sciat, respondit: «Nescio, quia non habebam mentem tunc».

Interrogata, quot anni sunt, quod fuit infirma et liberata, ut dixit, respondit: «Tres anni sunt».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, in quo liberata fuit, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Inter nonam et vesperas».

Interrogata, in quo loco tunc iacebat, quando liberata fuit, ut dixit, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, si postea habuit infirmitatem illam, vel similem, respondit: «Non». Item dixit, quod dicta virgo Margaretha, quadam die in secreto respiciebat sibi genua sua, que videbantur esse dura et scissa, sicut scortia ligni «et credo, quod habebat propter multas venias, quas faciebat, et quando vidit, quod ego videam eam, dixit mihi: ‚Multum dolent mihi genua ista, sed nemini dicas', et usque nunc nemini dixi».

Interrogata, si vult (aliud) dicere, respondit: «Non».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Viginti septem».

Interrogata, per quot annos stetit in monasterio, respondit: «Per viginti annos».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni sunt».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Jovis tertia intrante Septembrem.

Interrogata, si scit, quod soror Catharina, filia quondam Marci de Sumegio habuit aliquam infirmitatem post mortem istius virginis Margarethe, de qua sanata fuerit, respondit: «Habuit febrem, et dixit mihi post vesperas in illa hora, in qua dicebat habere febrem illam, quod liberata erat; et dixit, quod hoc devenerat sibi, quia promiserat reddere testimonium de sanctitate istius sancte Margarethe».

Interrogata de presentibus, quando hoc sibi dixit, respondit: «Nulla presens erat».

Interrogata, in quo loco erat tunc, respondit: «In infirmaria, in qua ipsa iacebat».

Interrogata, cuiusmodi febris erat illa, respondit: «Quartana».

Interrogata, si scit, quanto tempore duraverat sibi dicta infirmitas, respondit:

«A nativitate sancte Marie usque ad festum sancte Margarethe martyris, que fuit modo, et dimisit eam ipsa infirmitas».

Interrogata de mense, quo sibi dixit, quod sic erat sanata et liberata, ut dixit, respondit: «Nescio nominare mensem».

Interrogata de die, respondit: «Die Dominica octava hora dixit sibi».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non.«

Eadem die.[1]

XXI.

Domina Catharina, filia domini Segne de Strigonio,[2] soror et monialis istius monasterii de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis, dixit sub iuramento, quod in dicta virgine fuit tota bonitas et humilitas, et fuit domina bone vite et magne sanctitatis, et que multum stabat in orationibus «et ego hoc vidi, quia sepe associabam eam, sicut socia sua». Item dixit, quod «consuetudo istarum sororum est, quod in festo omnium sanctorum semper confitentur, et recipiunt corpus Christi, et cum dicta sancta Margaretha deberet confiteri et communicare in predicta die, memoravit quamdam sororem, que sibi locuta non fuerat per tres dies, et dubitans dicta sancta Margaretha, ne in aliquo offendisset eam, prostravit se ad pedes illius, et videns hoc, quesivi: ‚Domina, quare fecisti sic?' et ipsa respondit: ‚Petii veniam ab ea, si in aliquo offendissem eam, antequam velim confiteri et communicare'».

Item dixit, quod tamdiu stabat in orationibus apud lectum suum, donec alie sorores dormiebant, «et quando excitabam, aliquando vidi eam sic stantem et orantem; et videbam, quod aliquando ibat plane per dormitorium ad auscultandum, si aliqua de sororibus lamentaretur, et tunc quando audiebat eas, ibat ad eas, et querebat, si aliquid volebant, et si petebant bibere vel aliquid aliud, statim ibat ad canovam vel ad coquinam, et portabat eis, quidquid petebant, et faciebat eis hoc multum plane, ne alie sorores excitarentur». Item dixit, quod in isto monasterio, cui pater et mater ipsius magna bona et multa donaverant, nolebat ipsa sancta Margaretha plus recipere, vel habere quam alie de sororibus, neque in vestibus, neque in cibariis, nec in aliis, imo multo minus, quam alie.

---

[1] Augusztus 5.

[2] «Huszonegyedik sornornak vala neve soror Katerina és vala Eztergami Sennye úrnak leánya . . . . Nem tudá megmondani hány eztendős, hanem csak azt, hogy huzonöt eztendeig volt ez klastromban ez zerzetben, az fejérvári klastromban kedeg volt három eztendeig.»

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi hoc». Item dixit, quod malas vestes laceratas et petiatas portabat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia videbam hoc, et ego aliquando appetiavi sibi dictas vestes». Item dixit, quod pro servitio infirmarum non separabat se, «et vidi, quod quadam die, cum ego ivissem cum ea ad accipiendas carnes pro infirmis, et non possemus ita cito invenire, in quo possemus portare ipsas carnes, statim detraxit sibi scapularium suum, et posuit eum in terra, et involvit carnes in ipso scapulario, et portavit ad coquinam». Et dixit, quod: «Quando ego cum dicta sancta Margaretha intravi coquinam cum predictis carnibus, scapularium meum inunctum erat et deturpatum propter illas carnes, quas ego portaveram, et suum scapularium nullum malum habebat, et cepi multum contristari et irasci, quasi circa ipsam sanctam Margaretham, et illa cepit ridere et dixit mihi: ‚Quare es irata? ego scio bene, quid cogitas', et totum illud, quod cogitabam, dixit mihi». Item dixit: «Vidi, propter multa servitia, que faciebat, habebat manus suas in hyeme multum ruptas et crepatas; et quando audiebat predicationes, que fiunt sororibus, ego aliquando sedebam iuxta eam, et videbam, quod ipsa tunc multum plangebat».

Interrogata, si vult aliquid aliud dicere, respondit: «Que scivi, dixi».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, per quot annos fuit in religione, respondit: «Nunc sunt viginti quinque anni, quod ego sum in isto monasterio, et in quodam monasterio de Alba [1] steti per tres annos«.

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[2]

XXII.

Domina Alexandria, filia domini Alexandri de genere *Taar,*[3] soror et monialis eiusdem monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ista sancta Margaretha fuit honeste conversationis et bone humilitatis

[1] Fehérvári apácza-zárdáról ezen vallomáson kívül még csak egy történeti emlék szól: egy 1280-ik évi oklevél. Hazai Okmánytár. VI. 258.

[2] Augusztus 5.

[3] «Huzonkettődik sornak vala neve soror Alexandria és vala Caacky Alexander úrnak leánya . . . . Vala az időben negyvenkilencz eztendős, és lakozott vala Bezprémet és ez bodok azzon klastromában ez zerzetben huzonhat eztendeig.»

domina et obediens priorisse et sororibus, et erat multum devota erga Deum, et plus stabat in orationibus, quam alie sorores».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi hoc oculis meis».

Item dixit, quod si aliqua de sororibus, vel servitialibus faciebat sibi aliquam offensionem, sustinebat humiliter pro Deo, et humiliabat se eis, et ibat ad eas, et satisfaciebat eis de ipsis offensis, licet fuit offensa.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi hoc oculis meis». Item dixit, quod ipsa sancta Margaretha in secreto post completorium orabat usque ad galli cantum, et postea dormiebat usque ad matutinum, (vel)dormiebat usque ad auroram, et ab aurora usque ad horam misse stabat in orationibus suis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia videbam, et sepe dixit mihi, quod excitarem eam, si non sentiebat horam».

Item dixit, quod ab aurora usque ad horam prandii non loquebatur alicui, sed semper orabat, vel erat in officiis, et quando sorores ibant ad comedendum, ipsa se ponebat ante crucifixum, et ibi orabat cum magna devotione, donec alie sorores intrabant refectorium.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod ista sancta Margaretha, postquam habuit undecim annos, incepit se multum verberare, et portare cilicium.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Multoties dedi sibi virgam cum spinis et cilicium». Item dixit, quod: «Ipsa sancta Margaretha quodam tempore dedit mihi septem ritios vivos ad custodiendum, sed nesciebam, quare hoc faceret, sed postea scivi, quod de pellibus ipsorum faciebat scoriatas ad battendum se, et scoriatas postea vidi».

Interrogata, quomodo scit, quod faciebat illas scoriatas ad battendum se, respondit: «Quia vidi et habui illas scoriatas in manu mea».

Interrogata, si alique alie erant presentes, quando videbat predicta, respondit: «Sic, soror Sabina, que battebat eam». Item dixit, quod ipsa libenter serviebat infirmis, et in collo suo in capistrio portabat carnes ad coquinam, et coquebat illas, et dabat infirmis, et omnia alia servitia, que poterat, faciebat eis»,

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quodam tempore Danubius crevit in tantum, quod dubitabant sorores, quod nocte illa deberet intrare coquinam, et ipsa sancta Margaretha stetit per totam illam noctem in coquina, et paravit omnia, que erant necessaria infirmis, et per diem sequentem.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Bene scio, quia secum fui». Item dixit, quod aqua Danubii in tantum crevit, quod nocte illa intravit in domum, in qua est infirmaria et in curtem servitialium, et postea aqua rediit ad locum suum, et frater Marcellus, qui tunc erat provincialis, forte per octo dies postea venit ad istud monasterium, et visitavit sorores, et tunc ista sancta Margaretha

dixit sibi, qualiter aqua Danubii creverat, et intraverat curtem servitialium et domum de furno,[1] et tunc frater Marcellus dixit: ‚Quomodo posset hoc esse, non possum credere', et tunc ista sancta Margaretha dixit: ‚Domine Deus, fac, quod aqua crescat, et veniat huc, et monstra, quod hoc quod dixi fratri Marcello, fuit verum', et tunc incontinenti aqua Danubii crevit et incepit venire cum magno sonitu et intravit claustrum sororum et crevit usque ad ligna, que vadunt circa claustrum.

Interrogata, in quo loco erant tunc dictus frater Marcellus et sorores, respondit: «In lebio, quod est post loquutorium».

Interrogata, si ibi sunt alique arbores, respondit: «Sic, arbores parve et herba, quasi viridarii».

Interrogata, que erant presentes, respondit: «Domina Margaretha, filia domine Anne ac Margaretha, filia Gulielmi, et multe alie, de quarum nominibus non recordor».

Interrogata, si aliquis frater erat cum dicto fratre Marcello, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Per tres annos ante mortem suam».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni sunt».

Interrogata, de quo mense fuerunt predicta, respondit: «Inter epiphaniam et carnis biduum».[2]

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post nonam ante vesperas».

Interrogata, si aliquid aliud vult dicere, respondit, quod: «Fuit ita humilis et ita sancta domina, quod non possem totum dicere et de miraculis nihil aliud dico, quia totum id quod erat in ea miraculum fuit».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quinquaginta minus uno».

Interrogata, per quot annos fuit in religione, respondit: «Per viginti sex annos fui in isto monasterio et Vesprimiensi».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium respondit: «Non».

---

[1] Forno, olasz szó: «kemence».

[2] Ez a szó a szótárakban nem fordúl elő; kétségkívül farsang utolsó két napját jelezi.

Eadem die.[1]

XXIII.

Domina Agnes, filia quondam domini Gregorii de Simigio,[2] soror et monialis dicti monasterii, iuravit ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit sub iuramento, quod dicta sancta Margaretha fuit de bona vita et sancta et de bona conversatione, et multum fuit humilis sororibus et pauperibus et multum obediens priorisse, et fuit domina de magnis orationibus».

Interrogata, quomodo scit predicta: «Quia vidi». Item dixit, quod fuit de magnis penitentiis in acomentamento[3] pueritia sue, quia ipsa colligebat rotandatas,[4] que tajabantur[5] de vestibus et insimul aggropabat[5] eas, et de illis cingebat se ad carnem subtus vestes.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quia quando infirmabatur, dabat mihi ad gubernandum predictos cingulos, «et quando erat sana, restituebam sibi, et hoc faciebat in pueritia sua». Item dixit: «Ego iuvi eam facere scophonos, in quibus apponebat per quosdam clavellos parvos de ferro acutos, et ego querebam ab ea: ‚Domina, quando portabitis istos scophonos, dicatis mihi, quod ego sciam', et ipsa mihi dicere nolebat, sed tamen cum capite faciebat mihi aliquod signum».

Interrogata, si scit, quod portaret in pedibus dictos scophonos, respondit: «Ita secrete faciebat, quod nullus sciebat, sed postquam mortua est, invenimus, quod portaverat illos scophonos». Item dixit, quod dicta sancta Margaretha habuit quodam tempore per quadraginta dies infimitatem, et timens, ne priorissa, si scivisset hoc, misisset eam ad infirmariam, noluit dicere, et sic stetit per illos dies in refectorio, quasi non esset infirma.

Interrogata, quomodo scit, quod fuerit infirma, ut dixit, respondit: «Quia ipsa dixit mihi, et dixit, quod nulli alii de sororibus dixerat».

Interrogata, cuiusmodi infirmitas fuit illa, respondit: «Fluxus ventri».[6] Item dixit, quod domum, dormitorium, et subtus lectum sororum ita mundabat et scopabat, quasi esset vilis persona.

---

[1] Augusztus 5.

[2] «Huzonharmadik sornak vala neve soror Ágnes és vala Somogy Gergely úrnak leánya .... Vala harmiczhét eztendős.»

[3] «A comenzamento» olasz kifejezés: «kezdetétől».

[4] Ezt a szót a szótárakban nem találtam.

[5] Tagliare, olasz szó: «metszeni».

[6] Ezt a szót a szótárakban nem találtam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia eram cum ea et videbam».

Interrogata super miraculis dixit: «In festo sancti Joannis fuit unus annus, quod ego habebam ita inflatam faciem, quod inflatura cooperiebat dextrum oculum meum, ita quod non poteram videre cum illo, et tunc crines dicte sancte Margarethe, quos habeo penes me cum aliis reliquiis, posui super faciem meam, fricando locum, ubi habebam maius malum, et hoc fuit in hora tertie, et antequam irem ad prandium, tota fui sanata et liberata».

Interrogata, quanto tempore habuit dictam inflaturam, respondit: «A festo sancti Joannis baptiste usque ad festum sancti Petri tunc sequentis».

Interrogata, si alique de sororibus sciebant, quod haberet sic dictam inflaturam, respondit: «Sic, soror Catharina de Sumigio».

Interrogata, si alique alie sciverunt hoc, respondit: «Sic, totus conventus».

Interrogata, si (sciverunt) alique de sororibus, quando apposuit dictos capillos super faciem suam, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, si aliqua verba dixit tunc, quando posuit dictos capillos super faciem suam, ut dixit, respondit: «Dixi: ‚O sancta Margaretha, multis aliis fecisti gratiam, fac et mihi, ne pereat oculus meus'».

Interrogata, qua die apposuit dictos capillos super faciem suam, ut dixit, et verba predicta dixit et liberata fuit, respondit: «In festo sancti Petri, sed nescio, in qua die fuit tunc dictum festum».

Interrogata, in quo loco erat tunc, respondit: «Juxta lectum meum». Item dixit: «Quadam die vidi per fenestram chori quemdam iuvenem intrantem ecclesiam, qui habebat curvum brachium, super illud sepulcrum istius sancte Margarethe, et posuit brachium[1] super illud sepulcrum, et incontinenti sanatus fuit».

Interrogata, si antea viderat dictum iuvenem, respondit: «Non».

Interrogata, si scit, quo nomine vocaretur, respondit: «Non».

Interrogata, si cognoscebat patrem, vel matrem dicti iuvenis, respondit: «Non».

Interrogata, si scit, unde fuit oriundus predictus iuvenis, respondit: «Nescio».

Interrogata, quomodo scit, quod sanatus fuit, sicut dixit, respondit: «Quia postea vidi eum extendentem brachium».

Interrogata, si alique alie erant tunc presentes, quando hoc vidit, respondit: «Sic, soror Elisabeth, filia quondam domini regis Stephani».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Tres anni sunt».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata de hora diei, respondit, quod fuit post missam ante prandium. Item dixit, quod soror Cecilia, die Dominica proxime preterita fuerunt octo dies, subito habuit ita magnum dolorem ad cor, quod ipsa videbatur mori, et tunc

[1] A kéziratban, kétségkívül tévesen: «Posuit sepulcrum super illud brachium».

fecit se portari ad domum capituli, et confessa fuit ibi fratri Andree, et tunc oravit istam sanctam Margaretham, quod non permitteret eam mori subitanea morte, et statim sanata est.

Interrogata, si alique erant presentes, quando habebat dictum dolorem, ut dixit, respondit: «Sic, soror Sabina».

Interrogata, quomodo scit, quod haberet tantum dolorem, ut dixit, respondit: «Quia videbatur mihi, quod ipsa vellet mori».

Interrogata, per quas sorores portata fuit dicta soror ad domum dicti capituli, ut dixit, respondit: «Per sorores Sabinam et Aglent».

Interrogata, quomodo scit, quod dicte sorores portaverunt dictam Ceciliam ad domum dicti capituli, ut dixit, respondit: «Quia vidi eas, et ego portavi tunc lectum ipsius».

Interrogata, quomodo portabant eam, respondit: «Non portabant eam, sed ibat cum pedibus suis, et una ibat ex una parte et alia ex altera, et sic ducebant eam».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta Cecilia oravit dictam sanctam Margaretham, ut dixit, respondit: «Quia audivi».

Interrogata, quomodo scit, quod statim liberata fuit, ut dixit, respondit: «Sic, predicte sorores Sabina et Aglent mihi dixerunt».

Interrogata, si vult plus dicere, respondit: «Non dico plus, sed scio, quod timens Deum fuit».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Triginta septem».

Interrogata, per quot annos fuit in religione, respondit: «Nunc sum in vigesimo quinto anno».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Martinus, prior ecclesie sancti Michaelis et *Martinus Rubini* interpretes fuerunt modo predicto in dictis predictis.

Die Jovis sexta intrante Augustum.

XXIV.

Domina Benedicta, filia quondam Domini Stephani de genere Canaco[1] soror et monialis eiusdem monasterii iuravit ut supra.

[1] «Huzonnegyedik sornak vala neve soror Benedicta, és vala Canac István úrnak leánya .... Vala az időben ez zerzetben létének ez klastromban huz eztendeje, de Bezprimi klastromban hány eztendeig volt nem tudá megmondani.»

Interrogata de vita et conversatione predicta virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Hoc vidi in ista sancta domina Margaretha, quod quando priorissa precipiebat aliquid sororibus per obedientiam, ista sancta Margaretha festinavit ante esse, et faciebat omnia, que precipiebat priorissa, quasi esset filia pauperis hominis».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi et presens fui».

Item dixit, quod ipsa panem portabat assiduo cum pauperibus super collo suo usque ad infirmariam, ubi loquebatur quasi esset una servitialis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis, et quadam vice assabat carnes pro infirmis, et ego dixi sibi: ‚Domina fac me rostire carnes istas, quia non decet, quod vos faciatis hoc', et ipsa tunc respondit mihi: ‚Tu haberes meritum de hoc a Deo, sed ego nolo perdere meritum meum'».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi oculis meis».

Item dixit: «Ista sancta Margaretha quadam die portabat unam ollam plenam de pollastris[1] in scapolario suo, et cum per magnam nivem de coquina ad infirmariam iret, cecidit in nivem, et parum de brodio[2] sparsum fuit super brachia sua, et postea portabam dictam ollam infirmis».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi et presens fui».

Item dixit: «Ego et soror Sapientia de Vesprimio, que mortua est, iuvimus facere dictam sanctam Margaretham duas vestes de cilicio, secreto in quadam camera, et posuimus pecias ad manicas a cubito interius, ne cilicium possit apparere, et istud cilicium portabat in secreto».

Interrogata, quomodo scit, quod portaret predictum cilicium (ut dixit, respondit: «Quia vidi, quod) aliquando portabat illud». Item dixit: «Ista sancta Margaretha quadam die post completorium in sero duxit me in domum capituli, et dedit mihi disciplinam de virgis, et rogavit me, quod ego battirem eam fortiter et satis, et ego tunc tantum battivi eam, quod ego stanca[3] fui». Item dixit: «Quadam die amarissime plorabat, et ego interrogavi eam, quare hoc faciebat, et ipsa respondit: ‚Dicitur, quod pater meus vult me maritare, sed non erit aliquis homo qui possit me trahere de isto claustro, et ante truncarem mihi nasum'».

Interrogata, si alique erant presentes tunc, respondit: «Omnes domine de claustro sciebant hoc». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis, lavando eis capita et radendo, et hoc videbam.

Interrogata, si vult plus dicere, respondit: «Quod scivi melius dixi, et plura scirem, sed non possum dicere».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Non recordor».

---

[1] Pollastro, olasz szó: «tyúk-étel».

[2] Brodo, olasz szó: «leves».

[3] Stanco, olasz szó: «fáradt».

Interrogata, per quot annos stetit in religione, respondit: «In isto monasterio per viginti annos, sed (quot annos) steti in Vesprimio, non recordor».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Die eadem sexta Jovis intrante Augustum.

XXV.

Domina Margaretha,[1] mater domini Matthei, ducis Transylvani, soror et monialis eiusdem monasterii de insula Danubii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Vidi in ipsa sancta Margaretha maximam humilitatem et maximam obedientiam, et fuit simplex et obediens omnibus sororibus suis, et fuit bona domina et sancta». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis parvis et magnis in faciendo coquinam, in magno frigore nudis pedibus lavabat scutellas, scopabat casam, et in aliis, in quibus poterat, serviebat eis cum magna humilitate. Item dixit, quod ivit ad lavandam lanam et filabat et non separabat personam suam ab aliquo servitio, quod facere poterat, ac si esset filia cuiusdam pauperis hominis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit: «Unus homo portabat quamdam puellam, que habebat octo annos ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et illa puella habebat tunc brachium contractum et gambam,[2] et quando posita fuit iuxta sepulcrum, ea die qua ibi posita fuit, sanata fuit.

Interrogata de nomine, qui portavit dictam puellam, respondit: «Nescio, sed fuit serviens domini Matthei de genere Taacs,[3] patris dicte puelle.

Interrogata de nomine puelle, respondit: «Nescio».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus homo fuerit serviens dicti domini Matthei, respondit: «Bene scio, bene cognovi eum».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella fuerit filia dicti domini Matthei, respondit: «Et una patris et matris illa (?); Mattheus est de parentela mea, quomodo non cognoscam eum et eius filiam?»

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella fuerit sic contracta, ut dixit, respondit: «Dominus Mattheus, pater suus portavit eam mihi ad fenestram, et dixit mihi, sicut debilis erat, et ego vidi eam sic contractam; et dixit mihi, quod ego rogarem sanctam Margaretham, ut sanaret ipsa filiam suam».

---

[1] «Huszonötödik sorornak vala neve soror Margareta és ő vala Erdély Matyus herczegnek anya . . . Vala az időben ötvenegy esztendős.»

[2] Gamba, olasz szó: «lábszár».

[3] Ugyanez a XIII. vallomásban «de genere Mastaacs» a XLI-ben «de genere Caach» neveztetik

Interrogata, que erant presentes, quando vidit filiam suam sic contractam, ut dixit, respondit: «Soror Olimpiades».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella sanata fuerat illa die, in qua portata fuit ad dictum sepulcrum ut dixit, respondit: «Quia dicta puella venit pedibus suis eadem die ad me, et eam vidi bene sanatam et liberatam, et tunc recessit cum patre suo».

Interrogata, si vidit postea dictam puellam, respondit: «Non; sed vidi patrem suum, qui dixit mihi, quod bene sanata et liberata erat».

Interrogata, quanto tempore stetit sic contracta dicta puella, respondit: «Ab eo tempore circa quod erat in cunabulis».

Interrogata, quomodo scit, quod tanto tempore fuit sic contracta, ut dixit, respondit: «Quia pater suus dixit mihi».

Interrogata, si scit, quod aliqua verba fuerunt dicta per aliquem quando dicta puella sic fuit sanata, ut dixit, respondit: «Nescio, quid tunc dictum fuerat, quia ego stabam ad fenestram, et ipsa puella erat cum aliis iuxta dictum sepulcrum».

Interrogata, si scit, que erant tunc presentes, iuxta dictum sepulcrum, quando sanata fuit, respondit: «Nescio, quia illa fenestra multum parum stat apta, nec audemus sic respicere, unde non poteramus videre, qui ibi essent».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta puella sic sanata fuit, ut dixit, respondit: «Modo sumus in quinto anno».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Hora misse».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta sancta Margaretha mortua est, respondit: «Septem anni sunt». Item dixit: «Quando ego habeam debilitatem aliquam et filii mei aliquam adversitatem, ego recurro ad istam sanctam virginem Margaretham, et ipsam rogo, et habeo quod peto».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quinquaginta unum, et sunt viginti duo anni, quod ego sum vidua, in quibus steti in isto monasterio per tresdecim annos, et in aliis tamquam religiosa me habui».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Item dixit, quadam die portata fuit quedam nobilis fenima, que non potuit ambulare pedibus, ad dictum sepulcrum sancte Margarethe, et ibi stetit per tres dies, et in tertia die fuit resanata, et sorores quando audiverunt hoc a fratribus, cantaverunt in choro nostro: ‚Te Deum laudamus'.

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta domina fuit portata ad dictum sepulcrum, respondit: «Quinque».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post missam ante tertiam».

Interrogata, que erant presentes, quando sic resanata fuit, respondit: «Nescio».

Interrogata de nominibus, qui portaverunt dictam dominam ad dictum sepulcrum, respondit: «Nescio».

Interrogata de illius domine nomine, respondit: «Nescio».

Interrogata, si primo cognoscebat dictam feminam, respondit: «Non cognosco eam, nec unquam vidi eam, nec infirmam nec sanam, nec scio, unde sit, nec unde venerit».

Interrogata de nominibus illorum fratrum, qui tunc dixerunt, quod dicta domina sanata erat, respondit: «Frater Felicianus, qui tunc erat prior in isto monasterio et modo stat in Buda».

Interrogata, si vult aliud dicere, respondit: «Multa bona audivistis de ista domina ab aliis dominabus, et iterum audietis, nolo plus dicere».

Eadem die.[1]

XXVI.

Domina Judith,[2] filia quondam domini Moysis comitis palatini domini regis, soror et monialis eiusdem monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe sub iuramento dixit: «Vidi in ista sancta Margaretha multas venias et orationes cum fletu». Item dixit: «Vidi, quod ipsa portavit per lutum aquam pro infirmis, et portabat ita magnam tinam, quod mirabamur, qualiter poterat portare». Item dixit: «Vidi quod ipsa lavabat lanam in maximo frigore, et faciebat compostam cum manibus suis, et calcabat pedibus suis in tina in maximo frigore, ita quod vestimenta sua congelabantur ab illa aqua, et manus sue propter magnum frigus crepabant et sanguinabant». Item dixit, quod soror Olimpiades, magistra sua, quando ipsa Margaretha orabat prostrata in terra, aliquando reprehendebat illam, dicens: ‚Tu queris Deum in terra cum naso et facie, sicut esses porcus, quare facis hoc, quare destruis te'? Et ipsa omnia sustinebat in pace.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, si vult plus dicere, respondit: «Non fui per longum tempus in isto monasterio, et propteraa non possum multum dicere, et que scivi dixi».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quadraginta quatuor».

Interrogata, per quot annos stetit in isto monasterio, respondit: «Per undecim annos».

Interrogata, si est docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

---

[1] Augusztus 6.

[2] «Huzonhatodik sornak vala neve soror Judit és ő vala Moyses nádorispánnak leánya .... Vala ez időben negyvennégy eztendős.»

Eadem die.[1]

XXVII.

Domina Anna,[2] filia quondam domini Meloan de Nittra, soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Scio, quod ista sancta Margaretha vitam suam duxit in magna humilitate, et fuit multum devota domino in orationibus suis, de die et de nocte, et libenter ibat ad officia sua, et libenter faciebat officia domus, faciendo coquinam, lavando scutellas et ollas, scopando domos et faciendo omnia alia servitia, que poterat».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi, et aliquando fui socia sua». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis, faciendo eis ad comedendum et bibendum, et faciendo eis lectos, et radendo capita, et balneando eas.

Interrogata, quomodo scit predicta. respondit: «Quia vidi, et mihi ipsi faciebat lectum, quando eram infirma, et rasit caput meum». Item dixit: «Vidi in ipsa maximam penitentiam, et quadam die vocavit me, et feci cum ea unam cordam de caneva, et rogavit me, quod ego ligarem sibi utrumque brachium super carnem cum ipsa corda, et quod multum stringerem, et tunc ego ligavi sibi primo unum brachium cum ipsa corda, et fecit me stringere tantum brachium suum cum ipsa corda, quod ipsa corda videbatur intrare carnem suam, et postea statim fecit me ligare aliud brachium suum de alia parte corde eodem modo».

Interrogata, ubi erant tunc, respondit: «In quadam domo claustri, in qua moratur domina regina, quando venit ad monasterium illud».

Interrogata, si alique erant tunc presentes, vel scirent, quod stringeret sibi brachia, ut dixit, respondit: «Non, quia hoc fecimus in secreto, et mihi dixit, quod non dicerem hoc alteri persone, et nemini propterea dixi, nisi modo».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Per quinque annos ante mortem istius sancte Margarethe».

Interrogata, si scit, quanto tempore portavit dictas cordas ita ligatas et constrictas ad brachia sua, ut dixit, respondit: «Nescio, quia in secreto portabat». Item dixit: «De vita istius sancte multa possem et scirem dicere, sed credo, quod illa audivistis ab aliis sororibus et adhuc audietis».

Interrogata super miraculis dixit: «Ista sancta quadam die, in qua erat ita magnus ventus, quod portaverat cooperturam domus capituli in pomerium, porta-

[1] Augusztus 6.

[2] «Huzonhetedik sornak vala neve Anna Nyttray Meloan leánya . . . . Vala az időben ez zerzetben lételének húz eztendeje.»

bat unam assidem plenam de terris (?) ad furnum, coopertam de una toalida, et tunc ego que iuvabam ipsam, dixi sibi: ‚Domina, quo vadimus, ventus iste destruet istas terras, et noli facere malum'; et tunc ista sancta respondit: ‚Quomodo non nocebit nobis, quia destruxit cooperturam capituli nostri', et tunc fecit me stare ibi tantum, quod possent dici septem psalmi penitentiales, et tunc ventus cessavit omnino ita, quod nobis nihil nocuit».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Per duos annos ante mortem ipsius».

Interrogata de mense, respondit: «In quadragesima tertia die post festum sancti Gregorii».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Circa nonam».

Interrogata, qui erant presentes, respondit: «Nullus».

Interrogata, quomodo scit, quod ventus portavit cooperturam capituli in pomerium, ut dixit, respondit: «Quia vidi».

Interrogata, in quo loco erant tunc, quando ipse steterunt, ut dixit: respondit: «In curia servitialium ad celum apertum», et dixit: «Nolo aliquid aliud plus dicere, et ea que dixi, vidi et vera sunt».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Non recordor».

Interrogata, per quot annos stetit in monasterio, respondit: «Per viginti annos».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Andreas, prior eremitanorum de Buda et frater *Martinus*, prior ecclesie sancti Michaelis de insula et *Martinus Rubini* interpretes fuerunt modo predicto in depositionibus sororis Lucie, Catharine, Alexandrie, Benedicte, Margarethe, Judith et domine Anne.

Die Veneris septima intrante Augustum.

XXVIII.

Domina Catharina cantrix, filia domini Andree de Vardino,[1] soror et monialis eiusdem monasterii iuravit, ut supra.

---

[1] «Huszonnyolczadik sorornak vala neve soror Katerina cantrix és vala Várady András úrnak leánya. Ez soror Katerina .... nem tudá megmondani eztendejét, hanem csak azt mondá, hogy húz eztendeje vagyon az zerzetben».

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ista sancta Margaretha fuit domina bone vite et timens dominum, multum humilis ad sorores suas, et patiens domina, et sancte vite».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi predicta in ea». Item dixit, quod cum magna devotione multum stabat in orationibus de die et de nocte, et aliquando dicebat sororibus, quod excitarent eam, quia parum dormire volebat, et quando erat excitata a somno, tollebat quamdam crucem parvam, quam sepe tenebat iuxta lectum suum, et illam ponebat ante faciem suam ante oculos, et cum magnis lacrymis et devotione illam aspiciebat, et portabat illam ad altare sancte crucis, et ibi stabat in orationibus, donec alie sorores intrabant chorum et incipiebant officium.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi eam sic facientem». Item dixit, quod ista sancta Margaretha semper in paupertate fuit, et paupertatem dilexit in vestibus et aliis rebus.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi», et dixit: «Nunquam vidi, quod ipsa portaret vestes de lino, nec in loco teneret(?) et hoc fecit usque ad mortem suam». Item dixit: «Quando sorores ibant de choro, exibant ad prandium, ista beata Margaretha remanebat post alias in orationibus ante crucifixum, qui est in capitulo, genibus flexis cum magnis lacrymis, et sepe tamdiu stabat, donec alie comederent usque ad secundam menestram».

Interrogata, quomodo scit predicta, (respondit): «Quia vidi eam sic facientem». Item dixit, quod ab illa Dominica, qua cantatur ‚Judica', que est de quadragesima, usque ad pascha faciebat sibi legi et exponi passionem Christi, et quando audiebat, sicut exponebatur, multum plangebat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi eam».

Item dixit, quod quadam die in ramis palmarum legebatur passio Christi, et ipsa incepit tam fortiter plangere, quia cor eius videbatur crepare.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi eam».

Interrogata, quis legebat tunc dictam passionem, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogata, si alique de sororibus tunc erant presentes, respondit: «Quando vidi hoc, totus conventus erat presens».

Interrogata, in quo loco legebatur tunc dicta passio, quando sic plangebat fortiter, quia videbatur cor eius crepare, respondit: «In refectorio, quando eramus in prandio, quia sic consuetum est fieri».

Item dixit, quod in vigilia nativitatis Christi et in vigilia pentecostes et in vigiliis sancte Marie faciebat mille venias, cum mille ‚Ave Maria', et hoc faciebat in qualibet predictarum vigiliarum.

Interrogata, quomodo scit, quod faciebat mille venias cum mille ‚Ave Maria',

respondit: «Audivi ab ore suo, et multe sorores hoc audiverunt, et receperunt in bonum exemplum, quia iam plures sic faciunt, sicut ipsa faciebat».

Interrogata, per quot annos faciebat predictas venias in dictis vigiliis dicendo, ‚Ave Maria', ut dixit, respondit: «A pueritia sua usque ad mortem suam».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia secum conversata sum usque a pueritia, et sic vidi eam facientem». Item dixit, quod malas vestes et veteres portabat, et quando per matrem suam mittebantur sibi bone vestes, illas mittebat priorisse, et rogabat, quod darentur pauperibus.

Interrogata, quomodo scit, predicta, respondit: «Vidi oculis meis». Item dixit: «Multum habebat de pediculis, et non lavabat sibi caput, nisi raro».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod faciebat coquinam, lavabat scutellas, preparabat pisces «et propter talem laborem ligavimus sibi rupturam, quam habebat in manibus».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc». Item dixit: «Ego pluries quesivi ab ipsa domina sancta Margaretha et rogabam ipsam dicendo: ‚Domina mea, instruas me, quomodo debeo orare Deum et servire sibi', et ipsa dicebat: ‚Commenda corpus tuum et animam tuam domino, et semper cor habeas ad ipsum, ita quod neque mors, neque alia creatura retrahat te de amore Dei'».

Interrogata, si alique erant tunc presentes, quando sic rogavit dictam virginem Margaretham, respondit: «Non, quantum ego sciam». Item dixit: «Quando legebatur evangelium in missa in festivitatibus, ipsa sancta Margaretha postea faciebat sibi exponi evangelium illud, quod tunc in missa lectum erat, faciebat sibi similiter exponi vitas sanctorum, et quando nos eramus in domo illa, in qua sorores laborant, ipsa veniebat illuc et exponebat nobis, sicut expositum erat sibi evangelium et vite sanctorum, sicut melius sciebat, et instruebat nos, quod semper sic faceremus sicut legebatur in ipso evangelio et in vitis sanctorum».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia fui presens».

Interrogata, a quibus audiebat expositionem evangelii et expositionem de vitis sanctorum, respondit: «A fratre Desiderio, qui adhuc est in monasterio».

Interrogata, in quo loco, respondit: «In dominarum capitulo». Item dixit, quod propter multas orationes ista sancta Margaretha taliter destruxerat corpus suum et faciem, quod quasi deformata erat in facie, et ita habebat caput rigidatum propter sparsionem multarum lacrymarum, et ipsa portabat in capite multos per annos revolutos, (?) sed quando mortua fuit, habuit pulchriorem faciem, quam in vita sua.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod semper secum portabat et tenebat de die et de nocte cum magna devotione quamdam crucem, in qua erat de ligno domini.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Vidi cordam ligatam ad collum ipsius sancta Margarethe, et ad illam cordam erat ligata illa crux».

Interrogata, si portabat dictam crucem supra vestes, vel subtus vestes, re-

spondit: «Infra duas tunicas, et sic invenimus quando fuit mortua». Item dixit: «Sepe audivi, quod dicta sancta Margaretha, quando fecerat sibi exponi passiones sanctorum, quod libenter sustineret martyrium pro amore Dei, et quod ad penam traderet corpus suum».

Interrogata, que erant tunc presentes, respondit: «Nulla, et in secreto dixit hoc mihi».

Interrogata, si vult aliquid aliud dicere de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit: «Que scivi dixi».

Interrogata de miraculis, respondit: «Vidi quamdam feminam ita contractam intrantem ecclesiam, quod nullo modo poterat ire, nisi quando iuvabat se manibus, iuxta sepulcrum istius virginis Margarethe, et tunc dicta domina Margaretha, filia domine Anne, dixit: ‚Si ista femina, que ita contracta est, surgeret et sanaretur, ego crederem, quod beata Margaretha esset sancta'; et tunc ipsa femina surrexit in pedibus, et fuit sanata, et ivit ter circa sepulcrum, et tunc sorores de mandato priorisse cantaverunt: ‚Te Deum laudamus'.

Interrogata, in quo loco ipsa erat, quando vidit ipsam dominam sic contractam iuxta dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «In choro ad fenestram».

Interrogata, si alique alie erant tunc ad dictam fenestram quando vidit ipsam feminam sic contractam iuxta sepulcrum, respondit: «Soror Stephania et predicta soror Margaretha erant ibi».

Interrogata, si viderat eam prius, antequam intrasset dictam ecclesiam, respondit: «Vidi ipsam ante per septimanam unam intrantem et exeuntem sic contractam de ecclesia, sed ante non videram ipsam».

Interrogata, si scit nomen dicte femine, respondit: «Nescio».

Interrogata, si scit, de quo loco fuerit nata dicta femina, respondit: «Nescio».

Interrogata, si ab eo tempore, quo fuit sanata dicta femina, vidit eam, respondit: «Non».

Interrogata, si scit, cuius filia fuit dicta femina, respondit: «Nescio».

Interrogata, si scit, quod aliqua verba dixit predicta femina, quando sanata fuit, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Quinque, sicut credo».

Interrogata de mense, respondit: «Circa pentecosten».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non recordor». Item dixit: «Quadam die in cena domini debebam regere chorum, quia cantrix eram, et habebam tantum malum in gutture, quod multum dolebat, nec cantare poteram, et tunc rogavi istam sanctam Margaretham, quod per merita sua et passionem Christi, quam exponi audiebat cum lacrymis suis, resanaret me, quod possim cantare et facere officium meum, et hoc dixi post completorium, et quando surrexi ad matutinum, ita fui liberata et sanata, quod bene feci officium meum».

Interrogata, si alique erant tunc presentes, quando sic rogavit beatam Margaretham, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, per quot dies habuit infirmitatem illam in gutture, ut dixit, respondit: «Per quatuor dies».

Interrogata, per quot dies stetit, quod non habuit infirmitatem illam, vel similem, postquam fuit sic liberata, respondit: «Postea non habui illam infirmitatem, nec similem usque ad hodiernum diem».

Interrogata, si alique sorores sciebant, quod haberet tunc dictam infirmitatem, respondit: «Sic, soror Candida».

Interrogata, quot anni sunt, quod sic fuit sanata, ut dixit, respondit: «Tres anni».

Interrogata de mense, respondit: «De mense paschali». Item dixit: «Quodam tempore habui malam voluntatem et iram contra quamdam meam sororem, et cum essemus in refectorio in prandio cogitabam, quomodo possem facere, vel dicere sibi iniuriam, et quando fuimus pranse, ista sancta Margaretha vocavit me, et dixit mihi: ‚Catharina, quid cogitabas in prandio, ego scio malas cogitationes tuas, tollas eas de corde tuo, et ne repellas Deum a te'; et dixit mihi omnia, que cogitaveram, et tunc humiliavi me, et habui bonam pacem et bonam voluntatem contra sororem meam».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, per quot annos fuit in monasterio, respondit: «Per viginti».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XXIX.

Domina Margaretha, filia quondam Drisii de Betama,[2] soror et monialis eiusdem monasterii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit, sub iuramento: «Vidi in ista domina, quod ipsa fuit bona domina et devota et humilis, timens Deum, et istum ordinem dilexit et regulam suam observavit».

---

[1] Augusztus 7.

[2] «Huzonkilenczedik sorornak vala neve soror Margareta Betamy Drisnak leánya . . . . Vala az időben negyvennégy eztendős.»

Item dixit: «Vidi, quod ipsa serviebat cum magna humilitate, et septimanam suam servabat in servitiis ecclesie et in aliis, sicut alia de aliis sororibus». Item dixit, quod multum libenter stabat in orationibus, et post completorium orabat quousque ibat ad dormiendum, et postea surgebat ad matutinum et ubi erat in officio, et post matutinum stabat in orationibus usque ad missam, et postea audiebat missam, nisi quando erat infirma.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi». Item dixit, quod post missam stabat in orationibus usque ad horam prandii, et post prandium si habebat facere aliquid pro monasterio, illud faciebat, quandoque filando, quandoque lavando lanam, et faciendo alia servitia.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Presens fui». Item dixit, quod in quolibet tempore serviebat libenter infirmis, et quod in obedientiam querebat a priorissa, quando erat malum tempus et magnum frigus et magnum lutum, septimanam suam ad serviendum infirmis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui et vidi». Item dixit, quod in vigiliis sancte Marie semper ieiunabat in pane et aqua.

Interrogata, quomodo scit, quod ieiunaret in pane et aqua in dictis vigiliis, ut dixit, respondit: «Bene scio, quia ipsa inter nos erat et videbam eam». Item dixit, quod libenter serviebat infirmis, et eis faciebat lectos, et quadam die rasit capita septem vel octo infirmis, a nona usque ad vesperas.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi et fui una ex illis, cui rasit caput». Item dixit, quod ipsa libenter portabat veteres vestes, «et quando ego habui officium dividendi vestes inter sorores, dicebam sibi: ‚Domina, quare portatis ita viles vestes? Dabo vobis bonas et novas, et bonam chlamydem et novam'; et ipsa dicebat: ‚Non, sed da mihi duas veteres chlamydes, et de illis faciam mihi unam chlamydem'». Item dixit: «Quando ipsa sancta Margaretha videbat vestes malas et squantatas sororibus, ipsa rogavit me, quod ego darem eis meliores vestes pro Deo, et (si) ego non possem facere hoc, quod ego dicerem priorisse; et pro se ipsa aliquando a me petebat aliquas petias, de quibus posset appetiare vestes suas, et ego dabam ei, quando habebam».

Interrogata, si alique sorores erant tunc presentes, quando petebat et dicebat predicta, respondit: «Non, sed dicebat mihi soli». Item dixit, quod septimanam suam faciebat in coquina conventus, sicut alie de sororibus, et quod lavabat scutellas et ollas, et pisces purgabat in maximo frigore.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi, et secum fui in illo servitio». Item dixit, quod quando aliqua de sororibus moriebatur, et portabatur in choro ecclesie, ipsa sancta Margaretha stabat in officiis cum lacrymis et orationibus, (cum) magna devotione, plus quam aliqua alia de sororibus.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «In eodem choro eram et videbam eam». Item dixit, quod quando respiciebat corpus Christi per fenestram chori,

aliquando videbat ibi aliquem pauperem, «et tunc rogabat me cum magna humilitate, quod ego dicerem priorisse, quod mitteret illi pauperi aliquod vestimentum, quo posset cooperire corpus suum».

Interrogata, si alique erant presentes, quando dicebat sibi ista, respondit «Non, quia dicebat mihi hoc in secreto». Item dixit: «Quando eram ita infirma, quod non poteram dicere horas meas, ista sancta Margaretha horas dicebat pro me».

Interrogata, si vult plus dicere, respondit: «Quod vidi oculis meis dixi, et alia bona, que audivi ab ea, non possum dicere».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Quadraginta quatuor».

Interrogata, per quot annos stetit in monasterio, respondit: «Per sexdecim».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XXX.

Domina Candida, filia quondam domini Tauri de Gaura[2] soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Hoc bene scio, quod fuit bone vite et sancte et bone conversationis et magne devotionis, et habuit magnam humilitatem versus sorores suas, et obediens fuit priorisse et sororibus istius monasterii». Item dixit: «Vidi, quod cum magna humilitate serviebat (tam) infirmis, quam sanis, et portabat aquam ad faciendum balnea eis, et eas balneabat, et radebat eis capita, et alia servitia, et hoc vidi, quod ipsa mihi fecit, quando fui infirma, et mihi rasit tunc (caput)». Item dixit: «Vidi, quod in quadam estate, multe de sororibus erant infirme, et ipsa sancta Margaretha non erat bene sana, et multum debilis erat, sed semper volebat servire infirmis, et serviebat in quantum poterat, confortando se et dicendo: ‚Bene sum sana, bene sum sana, bene possum vobis servire;' et eis multum libenter serviebat, et ego ipsa tunc infirma eram, et istud bene scio». Item dixit: «Libenter serviebat conventui et in luto et frigore, aliquando habebat vestimenta sua affangata usque ad genua, et quando peius tempus erat, petebat a priorissa, quod tunc daret sibi se-

[1] Augusztus 7.

[2] «Harmiczhat sornak vala neve soror Candida Gauray Tauros úrnak leánya . . . . Vala az időben huzonnyolcz esztendős.»

ptimanam suam ad serviendum, et aliquando manus habebat per servitium, quod faciebat in magno frigore, crepatas usque ad sanguinem».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Omnia vidi oculis meis».

Item dixit, quod quando sic serviebat, ipsa lavabat scutellas et ollas et coquinam faciebat et appagiabat pisces et alia, que pertinent ad coquinam, et si aliqua alia volebat tunc illud servitium facere, ipsa non lassabat, et cum magna alacritate faciebat hoc.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi oculis meis». Item dixit: «Vidi in ea maximas orationes, ipsa stabat in orationibus ab aurora usque ad prandium, nisi quando erat in officiis cum aliis sororibus, et tunc nec parentum, patris, nec matris, vel alterius persone (gratia) dimittebat orationes suas, nisi quando per obedientiam vocabatur, et istud bene scio et vidi».

Interrogata, in quo loco stabat ad orandum, ut dixit, respondit: «Ipsa habebat in choro locum suum secretum, in quo orabat». Item dixit: «Vidi, quod quadam die dicta sancta Margaretha tantum stetit in orationibus super genua et gabetos, quod ego legi totum psalterium, et hoc probavi et tunc domina Anna, soror sua venit, et dum iret ad eam, quedam assis cecidit super caput ipsius sancte Margarethe, et tamen ipsa noluit se movere, sed stetit ut prius in orationibus».

Item dixit: «Vidi, quod in orationibus suis semper fuit sollicita et inventa usque ad mortem suam». (?)

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia hoc vidi, et sexta die antequam mortua fuisset, in illa infirmitate in qua mortua est, vidi, quod stabat in orationibus suis». Item dixit, quod quadam die magistra sua Olimpiades dicebat sibi: ‚Vos domina destruitis personam vestram, quid facitis? Vos quotidie statis in orationibus tenendo faciem et nasum super terram, sicut porcus, numquid queritis Deum in terra?' Et illa cum magna humilitate et patientia sustinebat talia verba, nec commovebatur».

Interrogata, que erant presentes, quando dicta verba dicebat sibi, respondit: «Elisabeth, filia Olimpiadis.» Item dixit, quod pater, mater, soror, frater ipsius venerant ad istud monasterium, et dixerunt sibi, quod volebant eam maritare regi Bohemie, et tunc non potuit orare, sicut facere consueverat, sed in meridie et post completorium recuperavit orationes suas, «et tunc dixit mihi cum magno fletu, sicut volebant eam maritare, dicendo: ‚Anteqnam ego faciam istud, manibus meis tajabo mihi nasum.'»

Interrogata, que erant presentes, quando dixit, quod pater suus volebat eam maritare, ut dixit, respondit: «Tunc eramus in choro ecclesie, et nulla persona presens erat.»

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc dictum fuit sibi, ut dixit, respondit: «Non recordor». Item dixit: «Quid plus dicere possum? tamen iterum dicam, pau-

pertatem diligebat, et veteres vestes libenter portabat et ruptas et petiatas, et quadam die venerat pater suus ad istud monasterium et ipsa habebat manicam vestimenti sui laceratam usque ad carnem, et tunc cucurrit et fecit apponi unam petiam in ipsa manica, propter timorem patris sui».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi omnia, et ipsam petiam tunc apposui». Item dicebat: «Quando debebat recipere corpus Christi, sicut est consuetudo in isto monasterio, ipsa post completorium incipiebat stare in orationibus cum magnis lacrymis per maiorem partem noctis usque ad illam horam, in qua recipiebat ipsa corpus Christi, et in matutinis tunc et in missa legebat lectionem suam, et officium faciebat cum aliis in choro, et quando recipiebat ipsum corpus, ipsa erat in magnis lacrymis et in magna devotione».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi hoc».

Interrogata, si alique alie de sororibus sciebant predicta, respondit: «Multe alie sciebant hoc, sed ego non possum eas nominare».

Interrogata, quanto tempore predicta virgo Margaretha fecit predicta, ut dixit, respondit: «Usque ad mortem suam».

Interrogata, quomodo scit hoc, quod fecit sic usque ad mortem suam, respondit: «Ego recipiebam corpus Christi secum, et ipsam videbam, et aliquando associavi ipsam, (?) sicut mihi dicebat». Item dixit, quod per totam quadragesimam transibat cum magna humilitate et ab illa Dominica, qua cantatur ‚Judica' usque ad cenam domini illud magis faciebat, et cum magnis lacrymis, plus quam in aliis diebus, et in cena domini pedes lavabat sororibus, et cum magna devotione et humilitate osculabatur pedes ipsarum, et cum velo quod portabat in capite sugabat pedes ipsarum, et postea per totam noctem sequentem et diem usque ad Sabathum stabat in orationibus, nec dormiebat, nec comedebat, nec sedebat, nec alicui persone volebat loqui.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi oculis meis, et omnes sorores sciunt illud, et hoc faciebat omni anno».

Interrogata, in quo loco stabat tunc ad orandum, quando sic stabat, quod nec comedebat, nec bibebat, nec dormiebat, ut dixit, respondit: «In loco suo secreto qui est in choro stabat in nocte, et in die ante altare».

Interrogata, quomodo stabat sic in dictis locis, ut dixit, respondit: «De die bene videbamus eam ego et alie sorores, et de nocte, transeundo ante ostium illius loci, videbamus eam sic orantem».

Interrogata, que erant alie sorores, que videbant eam tunc, respondit: «Omnes, que volebant eam videre».

Interrogata, quanto tempore fecit predicta, respondit: «Omni anno faciebat hoc». Item dixit, quod in qualibet vigiliarum nativitatis domini et pentecostes et sancte Marie, quolibet anno, ieiunabat in pane et aqua, et faciebat mille venias cum mille ‚Ave Maria'.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Bene scio, quia sic ieiunabat et sic faciebat; in una de vigiliis sancte Marie, in qua infirma erat, et non poterat facere predictas venias et dicere mille ‚Ave Maria', rogavit me, quod ego illud facerem pro ea, et sic feci». Item dixit: «Numquam audivi tempore vite sue, quod aliquod turpe verbum, vel blasphemia, sive iniuria exiret de ore suo». Item dixit, quod quando aliqua de sororibus offendebat eam in aliquo, ipsa non expectabat, quod illa sibi faceret veniam, sed ipsa sancta Margaretha ibat ad eam, et humiliavit se sibi, petendo veniam, quam illa petere debebat.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod quando rex Bela, pater suus et regina mater sua, vel eius frater mittebat sibi aurum, vel argentum, vel gemmas, nihil recipere volebat, sed mittebat illud priorisse ad opus ecclesie.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Hoc vidi sepe». Item dixit, quod pater et mater dicte virginis Margarethe valde diligebant eam, et ipsa hoc sciens, magis se humiliavit «et dixit mihi quandoque cum fletu: ‚Deus, vellem quod ego essem una ancilla pauperis potius, quam filia regis, quia magis possem servire Deo'».

Interrogata, si aliqua erat presens, quando hoc sibi dixit, respondit: «Nulla persona».

Interrogata, si aliquid aliud vult dicere super vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit: «Tantam bonitatem vidi in ea, quod lingua mea non posset dicere».

Interrogata super miraculis dixit: «Quedam de sororibus ita dolebat in gutture, quod non poterat bene loqui, neque cantare, et hoc sibi duravit a Dominica palmarum usque ad matutinum quinte ferie, et tunc incepit cantare, et ego interrogavi eam: ‚Quomodo potes cantare, es tu guarita?' respondit: ‚Bene possum cantare et bene sum guarita invocando nomen beate Margarethe'».

Interrogata de nomine illius sororis, que sic infirmabatur, respondit: «Catharina cantrix, filia Andree».

Interrogata, si alique alie sorores sciebant de dicta infirmitate, respondit: «Nescio».

Interrogata, si alique alie sorores audiverunt, quando ipsa quesivit, quomodo guarita erat, et illud quod sibi dixit dicta Catharina, respondit: «Non, quia loquebatur sibi plane in aure».

Interrogata, in quo loco erant tunc, respondit: «In choro».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Nescio pro vero, tamen credo, quod modo sunt tres anni».

Interrogata de mense, respondit: «In mense paschali».

Interrogata, quanto tempore vidit eam sic liberatam, ut dixit, respondit: «Usque nunc». Item dixit: «Dum essem quodam tempore in tantum infirma

quod medicus, qui me medicabat, desperatus erat de vita mea, et postquam levatus sol erat, respexi in orientem, et visum (est) mihi, quod ego viderem tres portas et per illas ibant tres societates sanctorum, et veniebant ad claustrum istud, et fuerunt iuxta lectum, in quo tunc iacebam, et ego dixi eis: ‚Ad quid venistis vos?' Et ipsi responderunt: ‚Nos venimus ad dicendum domino Philippo archiepiscopo Strigoniensi, qui facit inquisitionem de sanctitate istius virginis Margarethe, quod dicere volumus testimonium pro ea et de sanctitate eius'; et vidi inter ipsas tres personas, quas cognovi, et erant sanctus Bartholomeus et sanctus Demetrius et sanctus Laurentius, et tunc venerunt quedam de istis sororibus, et ego dixi eis, quod sic in isto monasterio ego vidi talem visionem et omnia narravi eis, ut videram, et ipse responderunt mihi: ‚Visio vestra non est vana, imo vera est, quia archiepiscopus est hic, et facit inquisitionem de sanctitate beate Margarethe', et tunc ego scivi, quod illa inquisitio fiebat, et ante nihil sciveram, nec audiveram de hoc, propter gravem illam infirmitatem, quam habebam».

Interrogata, quis fuit ille medicus, qui medicabat eam? respondit: frater *Rudolphus* de ordine predicatorum.

Interrogata, per quot dies habuit infirmitatem illam, respondit: «A die festivitatis sancte virginis Margarethe martyris usque ad festum sancti Jacobi proxime venientis».

Interrogata, per quot (dies) habuerat illam infirmitatem, quando vidit visionem illam, respondit: «Per octo dies».

Interrogata, cuiusmodi infirmitas erat illa, quam tunc habebat, respondit: «Acuta».

Interrogata, que fuerunt ille sorores, quibus dixit visionem predictam, respondit: «Catharina cantrix et Margaretha, filia domine Anne».

Interrogata de aliis, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot anni sunt, quod habuit dictam infirmitatem, respondit: «Quinque anni».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio nomina mensium, sed scio, quod fuit illo tempore, quo dixi».

Interrogata de die, respondit: «Nescio, sed dicte sorores, quibus dixi tunc, dixerunt mihi, quod fuit quinta feria».

Interrogata, in qua domo tunc iacebat, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Triginta minus duobus».

Interrogata, per quot annos stetit in isto monasterio, respondit: «Per viginti unum».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Predicti priores Martinus (et Andreas) interpretes fuerunt modo predicto in depositionibus sororis Catharine, Margarethe et Candide.

Die Sabathi octava intrante Augustum.

XXXI.

Domina Elisabeth, filia comitis Germani de Salon[1] soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ab eo tempore, circa quod cognovi istam sanctam Margaretham, de qua facitis inquisitionem, vidi, quod fuit bona et humilis domina, et in multis orationibus stetit, et libenter serviebat in officiis suis». Item dixit, qud magistre sue multum fuit obediens. Item dixit: «Vidi, quod habebat tantam compassionem de infirmis sororibus et servitiialibus, et ipsa frequenter mittebat eis quid quid apponebatur sibi ad manducandum ac bibendum in refectorio, et frequenter ieiuna surgebat ex mensa».

Interrogata, si aliqua de sororibus scivit, vel vidit, respondit: «Soror Ancilla».

Item dixit, quod quando ipsa sancta Margaretha videbat pauperes in ecclesia, dabat eis vestimenta, si habebat penes se, vel alias eleemosynas, et si non habebat, rogabat priorissam, quod aliquid daret eis pro amore Dei, «et nobis sororibus, que non habebamus aliquid, de quo possemus facere eleemosynam, dicebat, quod nos oraremus (pro) ipsis pauperibus».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi et audivi».

Interrogata, in quo loco erat tunc dicta virgo Margaretha, respondit: «Ad fenestram, per quam videmus corpus Christi». Item dixit: «Vidi et audivi, quod quando videbat homines claudos, cecos, et similes, ipsa flebat et reddebat gratias Deo, dicens: ‚Domine Deus, sic potuisti facere de me'». Item dixit: «Vidi, quod ipsa in vigiliis nativitatis domini et sancte Marie et pentecostes, omni anno, ieiunabat in pane et aqua, et mille venias faciebat in qualibet vigiliarum ipsarum, et faciebat mille ‚Ave Maria'».

Interrogata, per quantum tempus fecit hoc, respondit: «Ab eo tempore, circa quod cognovi eam usque ad mortem suam, et modo sunt viginti anni, quod sum in isto monasterio».

Interrogata, si alique de sororibus videbant, quod sic ieiunaret, et faceret mille venias, ut dixit, respondit: «Omnes sorores videbant et sciebant hoc». Item dixit, quod in illis duabus septimanis, que precedunt festum resurrectionis, de die et nocte stabat in magnis orationibus cum multis lacrymis, et multum habebat se libenter quod alie sorores non viderent eam, «et nos que desiderabamus semper

[1] «Harminczegyedik sorornak vala neve soror Ersébet és Salony Germán ispán úrnak leánya .... Vala az időben huszonhét esztendős».

videre eam, videbamus eam sic orantem et flentem, et vidi, quod aliquando tot lacrymas fundebat, quod velum suum, cum quo sugabat illas, ita balneabatur ut postea premebat illud, et aqua exibat ex illo». Item dixit: «Vidi multoties quando recipiebat corpus Christi, eadem die stabat in magna devotione et orationibus, et quando veniebat ad mensam, quasi nihil comedebat». Item dixit, quod ita erat humilis et obediens, quod semper, quando priorissa aliquid precipiebat, ipsa volebat esse prima, «ut daret nobis bonum exemplum ad faciendum illud, quod priorissa precipiebat, lavando lanam, scopando domum, faciendo balnea infirmis et lectos suos».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi et presens eram». Item dixit: «Vidi, quod quoties transibat per aliquem locum, ubi esset signum crucis, flexis genibus ponebat se ad terram, et orabat, et hoc non dimittebat, quantumcumque iret in magna frequentia ad aliquem locum». Item dixit: «Vidi et audivi, quod domina Maria, mater sua dixit, quod pater suus de mandato domini pape volebat eam maritare regi Bohemie, ut haberet pacem secum, et ista sancta Margaretha respondit: ‚Prius volo, quod corpus meum incidatis per petias, quam frangam fidem, quam promisi Christo, et ante sustinerem omnem excommunicationem, quam ego frangerem fidem, quam promisi domino Jesu Christo'.»

Interrogata, si alique de sororibus erant tunc presentes, respondit: «Sic, soror Olimpiades».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non computavi numerum annorum». Item dixit, quod quando audiebat passiones sanctorum, eas audiebat multum libenter et dicebat: ‚Deus, vellem, quod fuissem tempore illo, quia libenter passa fuissem eodem modo'.»

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Presens fui et audivi».

Interrogata, si alique sorores erant tunc presentes, respondit: «Dicebat hoc in presentia omnium sororum, et semper laudabat illas virgines, que sic fuerunt martyrizate». Item dixit, quod ipsa sancta Margaretha, quando dicebatur, quod Tartari veniebant, dicebat: «Rogo Deum pro christianis, quod ipsi non veniant, sed quantum est pro me, vellem, quod iam ipsi venissent, quia libenter sustinerem pro fide Christi mortem».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Audivi ab ore ipsius».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor, sed homines de isto regno bene sciunt, quod dicebatur quod Tartari veniebant».

Interrogata, si alique sorores erant tunc presentes, quando dixit sibi predicta verba, respondit: «Mihi soli dixit».

Interrogata, si vult aliquid dicere, respondit: «Plus non dico; sed scio, postquam cognovi eam, ipsa fuit domina bona et sancta usque ad consummationem vite sue, et quod servavit regulam et ordinem suum melius et strictius, quam aliqua alia de sororibus, quia ultra ordinem (et) regulam melius et strictius semper volebat facere aliqua bona».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Viginti septem, et fui in isto monasterio viginti annis».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Credo, quod sunt septem anni».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XXXII.

Domina Elisabeth, filia quondam comitis Adriani,[2] [3] soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod dicta sancta Margaretha multum obediens fuit, et semper voluit habere pacem cum sororibus suis. Item dixit, quod semper voluit esse prima ad faciendum omnia servitia, que necessaria erant, ut daret bonum exemplum aliis sororibus in faciendo lectos et alia servitia, et libenter serviebat omnibus sororibus. Item dixit, quod bene et fortiter servabat regulam suam.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod nolebat habere multum de vestibus, et si aliquando videbat aliquem pauperem, si habebat duas tunicas, dabat sibi unam, et si non habebat, rogabat priorissam, quod mitteret ipsi pauperi aliquam vestem.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi».

Interrogata, in quo loco erant tunc, quando videbat pauperem, et quod dabat sibi tunicam, ut dixit, respondit: «Ad fenestram in choro, unde sorores vident corpus Christi». Item dixit, quod quando videbat ipsa aliquem debilem, tunc dicebat: ‚Domine Deus, bene potuisses me facere talem', et consulebat sororibus, que ibi erant, quod dicerent ‚Ave Maria' pro eo.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi». Item dixit, quod tantum portabat tunicam suam, quod frangebatur, et postea faciebat appetiari; et si aliquando serviendo sororibus, eundo et redeundo per lutum ad coquinam tunica sua . . . et fatigabatur, et nocte illa faciebat sic in illa tunica. (?)

---

[1] Augusztus 8.

[2] A kéziratban «Adam» áll. De ez tollhiba, mert föntebb — lapon ugyanez az Erzsébet Adrianus comes leányának mondatik. A magyar legenda.

[3] «Harmiczkettőd sorornak es vala neve soror Ersébet és vala Adrián ispán urnak leánya . . . Nem tudá megmondani hány eztendős, hanem csak hogy húz eztendeig volt a zerzetben».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Sepe vidi». Item dixit: «Per totam quadragesimam non mutabat tunicam, nec lavabat sibi caput, et rara vice pro aliis temporibus, ita quod capilli sui tenebant se simul ad modum feltri, et quando sorores rogabant eam, quod faceret sibi lavari caput, vel radi, ipsa respondebat: ‚Non, volo quod vermes castigent corpus meum'».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi et audivi». Item dixit: «Postquam cognovi eam, ipsa non intravit balneum, nec in sanitate, nec in infirmitate».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Continue et magno tempore steti cum ea». Item dixit, quod si aliquando aliqua soror dolebat, vel flebat de morte, vel infirmitate alicuius sui consanguinei, ipsa dolebat et flebat cum ea, et dicebat: ‚Deus vellet, ut hoc venisset mihi et non tibi'.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Vidi et mihi hoc fecit et dixit». Item dixit, quod post completorium, quando habebat aliquos infirmos in cura, ibat ad infirmariam, et serviebat illis, et semper voluit esse ultima post alias sorores ad colligendum se in lecto suo.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia presens fui et vidi». Item dixit: «In qualibet vigilia sancte Marie ieiunabat in pane et aqua, et dicebat mille ‚Ave Maria' et hoc idem faciebat et dicebat in qualibet vigilia nativitatis domini», et dixit, quod plures de hoc sumpserunt exemplum ab ipsa, et quod hodie faciunt.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi, et ab ea recepi exemplum, et hoc hodie servo». Item dixit, quod in die parasceve nihil comedebat, nec bibebat, et quod in Sabatho sancto sequenti ieiunabat in pane et aqua, et si dies annunciationis sancte Marie fuisset eadem die, servabat ieiunium, quod debebat facere in illa die in pane et aqua, post festum resurrectionis, et illud tunc faciebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi». Item dixit, quod in vigilia pentecostes dixit mille ‚Veni sancte Spiritus', et si mater sua erat tunc in monasterio (et) non poterat illa die facere illud, faciebat in alia die, quando poterat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia tota die illa videbam eam in orationibus, et frequenter querebat a me, si facerem simile».

Interrogata, si vult aliud dicere de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil volo plus dicere de hoc». Item dixit super miraculis: «Quinque anni sunt, quod ego habebam quamdam sororem in guarda,[1] que habebat febrem quartanam quandoque, et quandoque tertianam, et duravit sibi

[1] Gvarda, olasz szó: «felügyelet».

infirmitas circa tres menses, et multoties rogabam Deum et sanctam Margaretham, quod liberaret dictam sororem, et frequenter lavi capillos sancte Margarethe istius cum aqua, et dabam illam lavaturam ad bibendum dicte infirme, et postea liberata fuit».

Interrogata de nomine dicte sororis, respondit: «Soror Maria, filia Michaelis».

Interrogata, per quot vices lavit dictos capillos, et dedit ipsam lavaturam ad bibendum ipsi infirme, ut dixit, respondit: «Per quinque vices».

Interrogata, in quot diebus lavit dictos capillos quinquies, ut dixit, et dedit lavaturam predicte infirme, respondit: «In quinque diebus qualibet die semel».

Interrogata, quantum stetit, antequam esset bene liberata, postquam incepit sibi dare dictam lavaturam, ut dixit, respondit: «In sequenti septimana sanata fuit, et (nec) illam infirmitatem, nec aliam habuit postea».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio, sed scio, quod sunt viginti anni, quod intravi monasterium illud, et tunc habebam primos dentes».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non»

Eadem die.[1]

XXXIII.

Domina Catharina,[2] filia quondam domini Marci de Simigio, soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Super omnes ipsa sancta Margaretha habuit amorem Dei et obediens fuit».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia vidi». Item dixit, quod libenter et magna cum humilitate serviebat infirmis.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi oculis meis». Item dixit, quod quedam de sororibus istis in gutture habebat magnum malum, et debebat medicari stercore de bove, et alie sorores abhorrebant apponere illam medicinam, et eam reliquerunt, et ipsa sancta Margaretha illam medicinam apposuit et ligavit eam».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi oculis meis et presens

[1] Augusztus 8.

[2] «Harmiczharmadik sornak vala neve soror Katerina Somogy Marc leánya . . . . Val az időben huzonhat eztendős».

fui». Item dixit, quod quedam servitialis erat multum scabiosa, et habebat totas carnes suas rubeas et infirmabatur ad mortem, et tunc sancta Margaretha fecit sibi balneum, et eam balneaverat manibus suis, lavit et rasit sibi caput.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi ipsam servitialem sic infirmam, et audivi a sororibus, quod eam laverat et balneaverat et caput sibi raserat». Item dixit, quod si aliqua de sororibus infirmabatur, ipsa erat prima, que hoc sciebat, quia multum vigilabat in nocte.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Quia multoties vidi hoc».

Item dixit, quod non spectabat personam suam, nec verecundiam habebat facere vilissima servitia, in scopando domos et claustrum, et quadam die quedam infirma desiderabat habere budellas de porco[1] et ipsa procuravit quod apportarentur sibi, et recepit plenas budellas ipsas, sicut de porco tracte fuerant, et evacuavit eas, et lavit et paravit, et super vestes suas sparsa fuit illa putredo, que erat in ipsis budellis, et portavit ipsam tunicam in dorso, sicut prius, et humiliter hoc sustinuit.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi cum oculis meis, et illud servitium facere nolui, sed ita placuit sibi». Item dixit, quod quando aliqua de sororibus erat tristis pro morte alicuius sui parentis, vel pro aliqua alia causa, et ipsa ibat et tristabatur cum ipsa.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Hoc mihi fecit et aliis sororibus». Item dixit, quod in magno frigore et magna nive semper habebat ruptos calceos.

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: («Vidi»). Item dixit, quod in magno frigore, quando alie sorores erant ad calefaciendum se, ipsa stabat in orationibus suis.

Interrogata, quomodo (scit) hoc, respondit: «Vidi». Item dixit: «Quando exibat ipsa de orationibus suis, tantum pulchra erat in facie, quod nos non audebamus eam respicere».

Interrogata, quomodo scit hoc, (respondit): «Ego ipsa tunc non audebam eam guardare in facie». Item dixit: «Quando ipsa loquebatur cum sororibus, multum habebat in ore suo nomen Jesu, et tunc semper cum suspiriis oculos levabat in celum».

Interrogata, quomodo scit hoc, respondit: «Vidi hoc et presens fui». Item (dixit): «Ego semel feceram sibi offensam, et ipsa venit ad me, petendo cum hamilitate, quod ego parcerem sibi de offensa, quam ego feceram ei, et quod haberem pacem cum ea». Item dixit: «Si ego credidissem, quod omnia sua bona facta deberent reduci ad sanctitatem eius, plura potuissem notasse, quam notavi, sed ea que recordor dixi».

---

[1] A magyar legenda említi ezt az esetet: «Kevána enni disznó bélt».

Interrogata super miraculis dixit: «Post mortem dicte Margarethe habui tam magnum malum in capite, quod videbatur mihi, quod oculi mei exirent de capite meo, et tunc ivi ad locum, in quo solebat orare, et posui caput in locum illum, in quem in orationibus suis consueverat ponere caput suum, sperando de sanctitate sua, et statim fui sana et liberata ab illo dolore».

Interrogata, si alique de sororibus erant presentes, respondit: «Non, sed bene sciebant, quod ego habebam illum dolorem».

Interrogata, que fuerunt ille sorores, que sciebant, quod haberet tam magnum malum, respondit: «Iam magnum tempus est, quod ego non recordor».

Interrogata, per quot dies habuerat illud malum in capite, respondit: «Ab aurora inceperat in nativitate sancte Marie, et post nonam eadem die sanata fui». Item dixit: «A nativitate sancte Marie usque ad festum sancte Margarethe virginis proxime preteritum habueram febrem quartanam, et usque ad tempus, in quo incepi habere predictam infirmitatem, nolui dicere testimonium de sanctitate sua, ante primos inquisitores, et in ipsa infirmitate promisi isti sancte Margarethe, quod, si me liberaret de dicta infirmitate, ego dicerem testimonium de sua sanctitate, et eadem die, qua hoc promisi, fui tota sanata et liberata, nec postea habui eamdem infirmitatem, nec similem».

Interrogata, si alique de sororibus erant presentes, quando promisit et sic liberata fuit, ut dixit, respondit: «Hoc promisi in corde meo, sed quando sanata fui, hoc dixi sororibus».

Interrogata de nominibus sororum dictarum, respondit: «Catharina priorissa et soror Lucia».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, in qua liberata fuit et sanata, ut dixit, respondit: «Die Dominica».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post vesperas in eadem hora».

Interrogata, quantum tempus est, quod dixit predictis Catharine priorisse et sorori Lucie, sicut promiserat et liberata fuerat, respondit: «Illa die, in qua consueveram habere dictam infirmitatem, et iacebam in lecto, et expectabam dictam infirmitatem, et quando sensi, quod eram sanata et liberata, surrexi eadem die, et hoc dixi dicte sorori Lucie, et in sequenti die hoc dixi priorisse».

Interrogata, si alie sorores sciebant, quod haberet dictam infirmitatem, respondit: «Omnes sciebant hoc».

Interrogata, in quo loco erat, quando hoc dixit predicte Lucie, respondit: «In infirmaria».

Interrogata, in qua hora dixit, respondit: «Antequam esset finitum completorium».

Interrogata, in quo loco erant tunc, quando hoc dixit priorisse, respondit: «In infirmaria».

Interrogata de hora diei, quando dixit priorisse predicta verba, respondit: «Post nonam».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Credo, quod habeam viginti sex, vel viginti septem, et sunt viginti anni quod ego sum in isto monasterio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Jovis tertia intrante Septembrem.

Interrogata, si scit, quod soror Agnes, filia quondam Gregorii de Somogio habuit post mortem predicte virginis Margarethe aliquam infirmitatem in aliqua parte sui corporis, respondit: «Scio, quod habuit inflaturam in facie sua, et credebam de illa inflatura deberet perdere oculum, et postea sanata fuit, et dixit mihi, quod quamdam petiam de vestibus istius sancte Margarethe posuerat super faciem suam et sanata fuit».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Sicut credo, unus annus fuit circa festum sancti Joannis baptiste».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post tertiam».

Interrogata, in quo loco erant, respondit: «Ante infirmariam».

Interrogata de presentibus, qui erant ibi, quando hoc sibi dixit, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogata, quando habuerat dictam infirmitatem et inflaturam, respondit: «A festo sancti Joannis baptiste usque ad festum sancti Petri».

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Vidi eam omni die».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die Sabathi octava intrante Augustum.

XXXIV.

Domina Chinga, filia quondam comitis Badoldy,[1] soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Scio, quod ista domina fuit bona domina et devota et obediens, et

[1] «Harmicznegyedik sorornak vala neve soror Chinga avagy Chenge és vala Badoldy ispánnak leánya . . . Vala az időben harmicz eztendős».

quod stabat in orationibus ante auroram usque ad horam misse, et quod libenter humiliavit se ad omne servitium, lavando scutellas et ollas, et faciendo alia in coquina, que erant necessaria».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi hoc cum oculis meis». Item dixit: «Sepe vidi, quod ipsa stabat in orationibus usque ad matutinum, et aliquando ducebat me secum et nullam aliam, et quando orabat, ego stabam aliquando longe ab ea, et aliquando videbatur mihi, quod loqueretur cum aliqua persona, et vocem audiebam, sed verba non intelligebam». Item dixit, quod impetraverat a priorissa, quod posset servire infirmis, et libenter eis serviebat, in eundo et redeundo pro servitiis eorum per pluviam per lutum et per nutum (?) et quod vestes suas propter hoc balneatas et fangulentas tenebat in dorso de nocte.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi». Item dixit, quod si priorissa precipiebat aliquid sororibus in communi, ipsa erat prima, que faciebat illud, quod priorissa precipiebat, et libenter serviebat omnibus servitialibus infirmis et sanis.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi». Item dixit, quod in qualibet vigilia beate Marie virginis ipsa ieiunabat in pane et aqua, et faciebat mille venias et dicebat mille ‚Ave Maria'.

Interrogata, quomodo scit predicta, quod in predictis vigiliis ieiunaret in pane et aqua, et faceret mille venias, respondit: «Vidi».

Interrogata, quomodo scit, quod dicebat mille ‚Ave Maria', ut dixit, respondit: «Ego ipsa de consilio suo in predictis vigiliis dico mille ‚Ave Maria', et ieiuno et facio venias, sicut ipsa faciebat, et ipsa aliqua vice dixit mihi, quod sic dicebat et faciebat». Item dixit, quod si de nocte aliquo tempore audiebat aliquam sororem lamentantem, ipsa incontinenti ibat ad eam, et querebat: ‚Quid habes soror, vis tu aliquid?' Et si oportebat, ibat nudis pedibus per lutum ad coquinam, et calefaciebat vestes, vinum, vel aliud, et portabat dicte infirme, et ponebat in loco, in quo habebat dolorem, et dabat ei bibere dictum vinum, si oportebat.

Interrogata, quomodo scit, quod ita surgebat et ibat nudis pedibus ad coquinam, ut dixit, respondit: «Aliqua vice surrexi, et ivi cum ea, et vidi hoc». Item dixit, quod ipsa faciebat coquinam pro infirmis manibus suis, et dabat ad comedendum et bibendum eis, ducebat eas ad privata, et privata purgabat quando oportebat.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi hoc».

Interrogata, quoties vidit eam sic facientem, respondit: «Sepissime». Item dixit, quod plura alia bona fecit «sed propter pueritiam meam non recordor de omnibus, et que scivi dixi».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Credo, quod habeam triginta annos, et viginti unus anni sunt, quod ego sum in monasterio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die. [1]

XXXV.

Domina Anglent, filia quondam Andree de Vesprimio, soror et monialis dicti monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ista sancta Margaretha nimis devota fuit et timens Deum, et multum fuit in orationibus».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi». Item dixit, quod cum magno desiderio serviebat infirmis et toti conventui.

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Multoties vidi».

Interrogata, si aliud vult dicere, respondit: «Infirma sum et non possum loqui, sed scio, quod totam bonitatem in se habuit».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Credo, quod habeam quinquaginta annos».

Interrogata, quot anni sunt, quod est in monasterio, respondit: «Nescio, sed bene scio, quod habebam primos dentes in ore, quando data fui monasterio Vesprimiensi, et postea semper fui in illo monasterio et in isto».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die. [3]

XXXVI.

Domina Alincha, filia quondam domini Petri de generatione Aycha,[2] soror et monialis eiusdem monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ista sancta Margaretha totum desiderium suum habuit inflammatum ad amorem Dei, et multum devote stabat in orationibus suis, (et) si aliquis respiciebat faciem suam, multum diligebat videre eam».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi cum oculis meis». Item

---

[1] Augusztus 8.

[2] «Harmiczötödik sorornak vala neve Aglent és vala Bezprimy András úrnak leánya .... Vala az időben ötven eztendős».

[3] Augusztus 8.

[4] «Harmiczhatod sorornak vala neve soror Alincha Aykay Peter úrnak leánya .... Vala az időben harmicz eztendős».

dixit, quod in tantum humiliabat se priorisse, quod quando priorissa precipiebat aliquid communiter sororibus, ipsa prius quam alie volebat facere illud, quod priorissa precipiebat, et si aliqua vice aliqua de sororibus retrahebat se a servitiis, ipsa confortabat se ad hoc, et dabat nobis bonum exemplum».

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Vidi cum oculis meis, et cum ipsa fui sepe in servitiis illis». Item dixit: «Soror Elisabeth, que erat multum veterana, que mortua est, quodam tempore habuit longam infirmitatem et magnam per octodecim annos, et pervenit ad tantam debilitatem, fluxum ventris et vomitum, quod non poterat se elevare de lecto per se, et dixit, quod sorores quadam die erant ita fatigate, quod nulla volebat ire ad eam iuvandam, et ista sancta Margaretha tunc petiit in obedientiam a priorissa, quod ipsam deberet habere in guardiam suam, et priorissa hoc sibi concessit, et dixit, quod acciperet secum unam sociam, et tunc accepit me, et ivi secum ad dictam infirmam, et ipsa sancta Margaretha tunc levavit eam de lecto suo cum manibus suis, et posuit eam ad scamnum super concham, et propter fetorem fluxus et vomitus ego traxi me in partem, quia fetorem illum non poteram sustinere, et dicebat mihi: ‚Soror mea, si tu non potes hoc sustinere, removeas te, permitte me facere hoc', et postea iterum accepit eam in brachiis suis, et posuit eam in lectum suum, et mirabar, quod poterat eam sustinere, quia erat multum magna, et postea ista sancta Margaretha cum manibus suis istam concham portavit ad aquam, et lavit eam tunc manibus suis, et illa pluries fecit hoc».

Interrogata, que erant presentes, quando ista sancta Margaretha petiit in obedientiam a priorissa, ut dixit, respondit: «Totus conventus».

Interrogata, si aliqua alia vidit, quod dicta virgo Margaretha apportavit dictam concham et fecit dicta, ut dixit, respondit: «Soror Ancilla et ego, que tunc erat infirma, et hoc fuit per tres annos ante mortem suam». Item dixit, quod libenter audiebat exponi passiones martyrum, et magno cum fletu, et quadam die exposita fuit sibi passio sancti Jacobi martyris et tunc dixit mihi: ‚Placent tibi ea, que audisti?' Et ego respondi: ‚Placent, sed quid ad nos, postquam non possumus sustinere ista'; et ista tunc dixit mihi: ‚Deus, vellem, quod fuissem tempore illo, et fuissem tajata in petiis pro amore Jesu Christi, ita quod passio mea durasset multum, et quod in fine truncavissent caput meum pro fusione sanguinis Jesu Christi'; et quando hoc dicebat, videbatur multum gaudere».

Interrogata, quomodo hoc scit, quod libenter audiebat exponi passiones sanctorum, ut dixit, respondit: «Quia videbam in facie sua et frequenter faciebat mentionem de istis».

Interrogata, si alique erant presentes, quando dixit sibi, quod libenter permitteret se occidi pro amore Jesu Christi, ut dixit, respondit: «Mihi soli dixit».

Interrogata, quot anni sunt, quod ipsa soror Margaretha dixit sibi predicta, respondit: «In illo anno, quo mortua est».

Interrogata super miraculis dixit: «In secunda Dominica adventus domini per tres annos, antequam moreretur predicta virgo Margaretha, dum esset cum aliis sororibus in refectorio in cena, et magnum dolorem haberem in corde, et nulla de sororibus videretur habere curam de me, cepi cogitare et dicere intra me, (si) non essem soror, et essem inter parentes meos, multos haberem, qui curarent me, et post cenam intraverunt sorores in processionem in ecclesiam, secundum consuetudinem nostram, et ego remansi in refectorio propter dictum dolorem, et quando sorores redierunt, ipsa sancta Margaretha venit ad me, et dixit mihi: ‚Soror, quid habes? quomodo stas tu?' Et ego dixi: ‚Hic sum', et tunc sancta Margaretha respondit: ‚Quid est, quod propter dolorem tuum non velles esse in ordine?' et postea ad tres dies non audebam respicere ad faciem suam, quia dixerat mihi omnia, que cogitaveram».

Interrogata, si alique sorores erant presentes, quando dixit sibi predicta, respondit: «Mihi soli dixit». Item dixit: «In inquisitione sua quam fecerunt primi inquisitores in facto isto pro verecundia nolui ire coram eis, et postea, quando audivi, quod dominus papa mittebat huc alios inquisitores, similiter cogitavi in corde meo: ‚Nihil scis dicere coram eis', et postea habui maximam infirmitatem acutam per sex dies, de qua credebam me mori, et tunc cogitavi in corde meo, si Deus me sanaret de infirmitate ista, quod ego dicerem testimonium coram inquisitoribus pape[1] si venirent, et ea die liberata fui de illa infirmitate».

Interrogata, quot anni sunt, respondit: «Possunt esse tres septimane».

Interrogata, in quo die ita cogitavit et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Quadam die Jovis».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post nonam et ante vesperas».

Interrogata, si alique sorores sciebant, quod haberet dictam infirmitatem, respondit: «Totus conventus sciebat hoc, sed maxime soror Elisabeth, que est modo sacristiana».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Credo, quod habeam circa triginta annos, et fui in isto monasterio per viginti annos».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Non computavi annos».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Dominus Petrus (prior) et rector monasterii sancte crucis de ordine signatorum et *Martinus de Nitra* scholasticus predicti monasterii interpretes fuerunt modo predicto in depositionibus sororum Elisabethe, filie comitis Ermani et Elisabethe, filie quondam comitis Adriani, Catharine, Chinge, Aglent et Alinche.

---

[1] A kéziratban hibásan: «proprie».

Die Mercurii secunda intrante Septembrem.

XXXVII.

Domina Maria,[1] filia domini Michaelis, soror et monialis eiusdem ordinis, iuravit, ut supra.

Interrogata, si aliqua de sororibus istis dixerit sibi, quod de aliquo dolore quem haberet, sanata fuisset per aliquem modum, respondit: «Bene recordor, quod Margaretha, filia domine Anne dixit mihi, quod ipsa mirabatur de medicinis, que fiebant beate Margarethe pro dolore, quem habebat in spatula sua, et pensando[2] sic in corde suo, in sua spatula incepit habere magnum dolorem, et rogavit Deum, quod placeret(?) quia malum pensaverat de dolore quem habebat sancta Margaretha, et ivit ad ipsam, et petivit veniam de eo quod male cogitaverat, et tunc sanata fuit».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc dixit sibi, respondit: «Non recordor».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Sic habeo in mente, die Lune fuit, sed non bene scio».

Interrogata de hora diei, respondit: «In mane».

Interrogata, in quo loco, respondit: «Ante infirmariam».

Interrogata de presentibus, respondit: «Nullus erat presens».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Dominus Petrus presbyter et rector ecclesie sancte crucis de aquis calidis de ordine cruce signatorum et *Martinus de Nitra* scholasticus eiusdem ecclesie interpretes fuerunt modo predicto in isto dicto.

Die Veneris vigesima octava mensis Augusti.

XXXVIII.

Frater Marcellus de ordine fratrum predicatorum, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ego fui a tenera etate istius beate virginis, de qua facitis inquisitionem istam, prelatus et confessor suus; postquam habuit septem annos, sicut

[1] «Harmiczheted sorornak vala neve Mária és vala Myhál úrnak leánya . . . Eztendeiről semmit sem írtak a legendában . . . .»

[2] Pensare, olasz szó: «gondolni».

mihi videtur, semper fuit magne humilitatis in scopando domos, in lavando scutellas et ollas et alia necessaria faciebat pertinentia ad coquinam».

Interrogatus, quomodo scit predicta, respondit: «De mea licentia plurima de istis faciebat, et aliquando, sicut prelatus dominarum monasterii Vesprimiensis, in quo a pueritia nutrita fuit, intrando illud monasterium, in quo predicte domine non erant ita incluse, sicut modo sunt in isto monasterio, vidi ipsam facientem humilitatem predictam». Item dixit: «Vidi, quando sibi dabantur pretiosa vestimenta, sicut filie regis, pre nimia humilitate erubescebat portare illa, cum alie huiusmodi pretiosas vestes non haberent, et illa optima vestimenta dabat sororibus indigentibus, et viles vestes ab eisdem recipiebat et portabat; et hoc vidi quod pluries fecit».

Interrogatus, in quo monasterio vidit eam facientem predicta, respondit: «In isto monasterio, in quo mortua est, et in illo de Vesprimio, in quo primo tradita fuit». Item dixit: «Ad eius petitionem sibi cilicium de crinibus equorum et pecudum, ad modum retis ligatum, procuravi, et illud in manibus suis dedi, et me sciente illud super se indutum portavit, precipue temporibus et diebus ieiuniorum, sicut in quadragesima et sextis feriis et in vigiliis sanctorum et in ieiuniis quatuor temporum.»

Interrogatus, quomodo scit, quod portabat dictum cilicium, ut dixit, respondit: «Sicut confessor suus frequenter secreto querebam ab ea: ‚Habes modo cilicium?' At ipsa respondebat, quod in predictis temporibus portabat, et taliter hoc scio.» Et dixit, quod «Quadam die rex Bela, pater istius beate Margarethe venerat ad monasterium istud conferendo cum dicta filia sua, apposuit manum super humerum suum, et in recessu eiusdem regis ista beata Margaretha dixit mihi: ‚Multum gaudeo, quod pater meus non perpendit, quando me tetigit, de cilicio, quod habebam in dorso'». Item dixit: «Cum magna humilitate et devotione serviebat sororibus infirmis, et quanto graviores erant infirmitates et magis contagiose, tanto diligentius serviebat eis, in lavando pedes ipsarum et earum capita radendo et ipsarum vestes purgando de vermibus et lectos earum sternendo et totum illud quod erat ad earum commodum».

Interrogatus, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quia aliquando, sicut prior provincialis, visitando infirmas dominas et alias istius monasterii, predicte infirme mihi exponebant, sicut ista beata Margaretha eis serviebat in predictis». Item dixit: «Aliquando sibi inhibui, ne predicta faceret, timens, ne occasione huiusmodi incurreret infirmitatem aliquam».

Interrogatus, que fuerunt ille infirme, que sibi dixerunt predicta verba, respondit: «Plures fuerunt, sed pre nimia multitudine sororum de ipsarum nominibus non recordor ad presens».

Interrogatus de presentibus, quando infirme predicte sibi dixerunt verba predicta, respondit: «Priorissa, que tunc erat, que mortua est, et subpriorissa et alie

sorores seniores, que tunc sequebantur me per illud claustrum visitando dictas sorores».

Interrogatus de presentibus, quando inhibuit predicte virgini Margarethe, ne sic faceret predictis infirmis propter occasionem infirmitatis, ne inde possit contaminari, ut dixit, respondit: «Olimpiades, que fuit semper magistra sua et supradicta priorissa, de aliis non recordor».

Interrogatus, quot anni sunt, quod sic visitavit predictas sorores infirmas et sanas, respondit: «Non bene recordor, sed pluries hoc feci, quia per duodecim annos fui provincialis et amplius, et ad officium meum spectabat visitare easdem».

Interrogatus de mensibus, quibus fecit predicta, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de diebus, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de horis dierum (respondit): «Aliquando post prandium, aliquando ante, sicut melius vacare poteram ad predicta». Item dixit: «Quando pater suus, vel mater sua, vel fratres sui aliquod argentum, seu danarios sibi dabant, de eis eleemosinas fieri cupiebat, et mihi pluries provinciam visitanti ratione officii mei, supplicavit, quod de predictis denariis, vel argento deberem indigentibus verecundis et aliis pauperibus subvenire».

Interrogatus, quomodo scit, quod predictum argentum, vel denarios reciperet a dictis parentibus suis, respondit: «Ita scio, quod de licentia mea, quando presens fui, recipiebat predicta».

Interrogatus, quot anni sunt, quod fuerunt predicta, respondit: «Annos non recordor, sed hoc pluries fecit, quando eram provincialis».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor, nec de die».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Recordari non possum». Item dixit: «Quando me contingebat absentem esse ab isto monasterio, ratione officii mei, ipsa beata Margaretha pluries me requisivit, quod sibi concederem, quod per manus alicuius fratris antiqui, hic residentiam facientis, de illis rebus quas a parentibus suis predicto modo ipsam recipere contingebat, posset facere eleemosinas, et sibi concessi quemdam fratrem *Georgium*, multum antiquum, qui tunc in isto monasterio morabatur».

Interrogatus de presentibus, quando hoc sibi concessit, respondit: «Soror Olimpiades, magistra sua».

Interrogatus, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor, nec de die, nec de hora diei». Item dixit: «Quodam tempore veni de monte Pesulano,[1] a capitulo generali,[2] et inveni (inter) istas dominas ita silentium neglectum, quod mihi multum

[1] Montpellier Francziaországban.

[2] Margit szűznek a nyulakszigetén tartózkodásának ideje alatt a Domonkos-rend Montpellierben az 1265-ik évben tartotta meg káptalani gyűlését. (MARTENE. Thesaurus novus IV. — Paris 1717—1739. és 1761. lapokon.)

turbatus fui, et tunc, sicut ipsarum prelatus, intravi ad locum illum, in quo (in) ista inquisitione recepistis (dicta) ipsarum, et ipsas multum redargui, comminando, quod penitentiam eis iniungerem, sicut regula ipsarum requirit, et ex hoc contra ipsas multum turbatus claustrum ipsarum non intravi, et eas sic dimisi; et ista beata Margaretha eadem die ante vesperas misit dictam magistram suam et sororem Margaretham, filiam domini Gulielmi, qui fuit cognatus regis Bele, ad fenestram rotundam, mihi humiliter supplicando, quod similem penitentiam, quam deberem iniungere predictis dominabus dicta occasione, eidem iniungerem, nec parcerem sibi, si aliis videretur, quod ei deferrem pro eo quod esset filia regis, et ita feci, imponendo predictis dominabus die sequenti in capitulo, quod in medio refectorii super nudam tabulam sedendo in terra comederent panem et aquam, et ista beata Margaretha totum illud servavit, sicut postea scivi per eamdem et alias dominas, quibus dictam penitentiam iniunxi; et bene fuerunt viginti».

Interrogatus, quot anni sunt, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «De Augusto».

Interrogatus de die, respondit: «Quinta feria feci comminationem, et in sexta faciendo capitulum inter eas, penitentiam predictam eisdem iniunxi». Item dixit: «Quodam tempore domina regina mater sua dixit mihi, quod rex, pater suus eam tradere volebat nuptui regi Bohemie, ut tranquillitatem et pacem cum eo posset habere, qui rex Bohemie ad ipsum regem Hungarie, patrem istius beate Margarethe, propter hoc nuncios speciales destinaverat, et tunc de mandato regine, matris ipsius ab eadem virgine Margaretha diligenter investigavi super hoc de voluntate sua, et ipsa mihi finaliter respondit, quod prius sustineret se excommunicari, quam consentire parentibus suis, et quod nulla ratione contra professionem, quam fecerat, volebat venire».

Interrogatus, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «De annis nescio, sed fuit illo tempore, quo dominus *Conradus* ivit versus Apuliam contra regem Sicilie.»[1]

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, in quo loco predicta verba dixit ipsi virgini Margarethe, respondit: «In loco, in quo recepistis dicta istarum dominarum».

Interrogatus de presentibus, respondit: «Soror Olimpiades, priorissa que erat tunc temporis, que mortua est, soror Margaretha, que erat germana sua et fuit filia domini Gulielmi, de aliis non recordor».

---

[1] Hohenstaufeni Konrádinról van szó, ki 1267-ben ment a nápolyi királyság meghódítására.

Interrogatus, si adhuc consecrata erat, quando predictus rex, pater ipsius beate Margarethe voluit eam tradere in uxorem regi Bohemie, respondit: «Non; sed tunc me rogavit, ut eam facerem consecrari, et tunc consecrata fuit per archiepiscopum Strigoniensem». Item dixit: «Predicta beata Margaretha in orationibus fuit assidua, in devotione prompta, et quando corpus Christi levabatur, prorumpebat in lacrymas, et gloriosam virginem Mariam cum magna humilitate nominabat, eiusdem vigilias in pane et aqua ieiunabat, et multorum aliorum sanctorum et maxime apostolorum (vigilias) ieiunabat, et predicta omnia mihi dixit quando confessionem audivi ab ea».

Interrogatus, si predicta virgo Margaretha ordinem suum et regulam bene servavit tempore vite sue, respondit: «In omnibus et per omnia valde bene».

Interrogatus, si scit, per quot tempus infirmitatis, de qua obiit predicta virgo, confessa fuit, respondit: «Sic, priori provinciali me vidente et presente, et corpus Christi in eadem infirmitate recepit me vidente et presente a predicto priore, et oleum petiit et inuncta fuit».

Interrogatus de nomine dicti prioris provincialis, respondit: «*Frater Michael,* qui modo stat in Pest». Item dixit: «Postquam dicta beata virgo mortua fuit, erat tante pulchritudinis et splendoris in facie, quod dominus Philippus, tunc archiepiscopus Strigoniensis dixit, presentibus episcopo Vaciensi[1] et preposito Budensi:[2] ‚Non debetis plorare super istam dominam, dirigendo sermonem ad istas dominas et sorores istius monasterii, que sibi astabant, quia iam videtur habere principium resurrectionis sue'». Item dixit: «Postquam sepulta fuit bene per octo dies tantus fuit odor, et odoris fragrantia circa ipsius sepulcrum, quod nos fratres et seculares persone super hoc multum mirabamur, et dubitantes ne aliqua de sororibus aliquid odoris circa corpus ipsius, vel eius sepulcrum posuisset, frater *Michael*, qui tunc erat provincialis, una mecum et quibusdam aliis fratribus, diligenter investigavimus ab eisdem, si aliquid fecissent circa corpus predictum et ipsius sepulcrum, ut ex hoc alicuius odoris refragrantia esset ibi, et precepimus eisdem strictissime et virtute obedientie et sub pena excommunicationis quod super hoc nobis dicerent veritatem, que responderunt iure iurando et dixerunt, quod per eas, nec per aliam personam eis scientibus, nihil fuerit appositum, vel factum».

Interrogatus, si scit, quod factum fuerit aliquid, quod predictus odor esset ibi, sicut dixit, respondit: «Juro omnipotenti Deo, quod nec scivi, nec feci, nec usque ad hodiernam diem scire potui, quod aliquis hoc fecisset, quantumcumque hoc investigaveram».

---

[1] Lodomer. 1269—1279.

[2] Valószinüleg Acus, ki 1271-ben kelt oklevélben mint ó-budai prépost fordúl elő. Wenzel. Arpádkori Új Okmánytár VIII. 381.

Interrogatus, quomodo hoc scit, quod predictus odor ibi fuerit, respondit: «Ego sensi, et alii fratres, qui tunc erant ibi et qui venerunt de aliis conventibus».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicti fratres senserunt predictum odorem, respondit: «Scio, quod super hoc admirantes de hoc inter nos sepe contulimus». Item (dixit): «Frater *Joannes* conversus, qui fuit socius meus, cum essem provincialis, a festo sancti Dominici, quod fuit in Augusto, usque ad festum purificationis, habuit quartanam, et cum indigerem eius societate ex eo, quod debebam me transferre ad visitandum loca remota, misi dictum fratrem ad ipsam beatam Margaretham, mandando sibi per eundem fratrem in hec verba: ‚Rogo te beata Margaretha, quod cum orationibus tuis sanes fratrem istum, quia multum eo indigeo', et predictus frater eadem verba dixit sibi ad fenestram rotundam, et illa respondit: ‚Quando erit dies abcessionis tue?', et ipsi dixit: ‚Hodie', et illa dixit ad eum: ‚Vadas et iuva te cum tuis orationibus, et ego in quantum potero iuvabo cum meis, et esto securus in domino Jesu Christo'; et ab illa die sanatus (est), et postea illam infirmitatem non habuit».

Interrogatus, si aliqui erant presentes, quando ipse frater Marcellus dixit eidem fratri predicta verba, respondit: «Non mihi videtur, quod aliquis alius presens fuerit».

Interrogatus, quomodo scit, quod predictus frater predicta verba dixit predicte virgini Margarethe, respondit: «Scio ex ipsius fratris relatione».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicta virgo sibi responderit, ut dixit, respondit: «Ille frater dixit mihi».

Interrogatus, quomodo scit, quod predictus frater sic sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Ita scio, quod predictus frater tribus annis, tunc temporis incipiendo, sequendo me, quando provinciam visitabam, fuit socius meus, et illam infirmitatem, vel consimilem non habuit».

Interrogatus, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Non recordor de numero annorum».

Interrogatus de mense, respondit: «De Februario».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor, sed fuit secunda, vel tertia die post purificationem». Item dixit: «Veneram de Strigonio ad istud monasterium, et ista beata Margaretha dixit mihi: ‚Nos fuimus in periculo submersionis propter inundationem Danubii, si pervenissemus, ubi pervenissemus ossa mea, (?) aqua usque huc venit mihi';[1] certum locum demonstrando, et ego respondi: ‚Vadas, vadas, hoc ego non credo'; et tunc illa dixit: ‚Domine Jesu Christe, ostendas veritatem istius facti priori, qui hic est, ut ipse credat verbis meis'; et cum tanta velocitate statim aqua reversa fuit, quod oportuit me ascendere, fugiendo ante

[1] Ez a mondat hibásan van lemásolva; kiigazítására a legendákban biztos alapot nem találunk.

aquam, super assidem positum super murum, in quo sunt columne, que sustinent porticum ipsius claustri, et satis maior fuit aqua, quam prius fuerat, et usque ad matutinum aqua ita se retraxit, quod vix vestigia ipsius apparebant».

Interrogatus, cuiusmodi tempus erat tunc, respondit: «Sicut recordor, serenum erat».

Interrogatus, qui erant tunc presentes, quando dicta virgo Margaretha dixit et rogavit, ut dictum est supra, respondit: «Priorissa, que tunc erat, et est mortua, soror Judith, que tunc erat subpriorissa, Margaretha, filia domine Anne, et soror Olimpiades; de aliis non recordor».

Interrogatus, in quo loco erant, qnando tunc sic rogavit et predicta aqua sic crevit, respondit: «Ante loquutorium, quod est in cemeterio dominarum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod predicta fuerunt, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «Credo, quod fuerit in Aprili, quando solent inundare aque».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Post prandium inter nonam et vesperas».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Non recordor ad presens, sed habemus in scriptis et de tempore mortis et de die».

Interrogatus, quot annorum est ipse frater Marcellus, respondit: «Nescio numerum annorum, sed bene recordor, quod fui in ordine predicatorum fratrum quadraginta duos annos».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Ultima die mensis Augusti.

XXXIX.

Frater Petrus, de ordine predicatorum, nunc provincialis in Hungaria, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe dixit: «Vidi in ista sancta Margaretha multam humilitatem et bonitatem, et audivi de ea et de vita et conversatione multa bona, sed omnia scire non possum, quia parum fui conversatus in isto monasterio, tempore vite sue, quia tunc provincialis non eram».

Interrogatus, que fuit illa humilitas et bonitas, quam vidit in ea, ut dixit, respondit: «Portabat abitum abiectum, et quod me et alios fratres rogabat et adstringebat, quantum poterat ad aliqua suffragia pro ea facienda in orationibus et missis et aliis».

Interrogatus, que fuerunt illa bona, que audivit de ea et de conversatione sua, respondit: «Quia erat in orationibus suis multum assidua, et quod libenter serviebat sororibus maxime infirmis, et quod sorores pacificabat, quando aliqua materia alicuius iniurie videbatur inter eas».

Interrogatus, si vult aliquid dicere de miraculis, dixit: «Post mortem istius sancte Margarethe ego, qui tunc eram lector Jauriensis,[1] vocatus fui, et veni cum quibusdam aliis fratribus de dicto conventu Jauriensi ad istud monasterium, occasione mortis ipsius, et sexta die post mortem ipsius ivi ad locum, in quo sepulta erat, lapide nondum superposito, et percepi et sensi mirabilem fragrantiam, quasi essent imposita aliqua aromata et odorifera olfanda circa pedes eius et caput, et hoc sensi et percepi pluries, et tunc dixi fratri Michaeli, tunc provinciali: ‚Quid est hoc, quod iste locus ita fragrat et ita redolet, videatis, ne aliquid odoriferum appositum sit hic'; et tunc ipse provincialis dixit mihi: ‚Ego istius rei requisivi cum omni diligentia veritatem a priorissa, sorore Olimpiade et ab aliis, que interfuerunt exequiis suis, per iuramentum et aliter, sicut districtius potui, (sed) numquam potui invenire, quod aliquid ibi positum fuerit, vel factum, quod spectaret ad aliquam fragrantiam, vel odorem alicuius rei».'

Interrogatus, qui erant presentes, quando sensit et percepit fragrantiam illam circa sepulcrum, ut dixit, respondit: «Frater Marcellus et predictus frater Michael, tunc provincialis et frater Desiderius».

Interrogatus, si aliqui fuerunt presentes, quando dixit predicta verba fratri Michaeli et quando ipse frater respondit, ut dixit, respondit: «Predicti fratres Marcellus et Desiderius». Item dixit: «Quadam die Dominica post matutinum, cum significatum esset nobis de infirmitate istius sancte Margarethe, audivi quamdam vocem in somnis: ‚Agna (?) mortua est'; et statim mane sequenti hoc dixi fratribus, et veniens huc, inveni, quod ista sancta eadem nocte mortua est».

Interrogatus, quibus fratribus dixit visionem predictam, respondit: «Fratri Jacobo et quibusdam aliis de conventu, de quorum nominibus non recordor ad presens». Item dixit: «Quodam tempore habebam magnum dolorem dentium, et genam multum inflatam, et rogavi quodam sero istam beatam Margaretham, quod liberaret me, et promisi, quod in singulis diebus in honorem suum inflecterem genua; et in mane sequenti inveni me liberatum omnino a predictis dolore et tumore, et hoc dixi tunc fratri Nicolao, qui erat tunc de illo conventu, qui viderat tumorem gene mee».

Interrogatus, quot anni sunt, quod habuit tumorem et dolorem et ita liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor, sed fuit in hyeme».

---

[1] A Domonkos-rend győri kolostora a legrégibb volt Magyarországban. RUPP, I. 439.

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor». De hora diei dixit.

Interrogatus, quanto tempore habuerat dolorem et tumorem, ut dixit, respondit: «Quatuor diebus».

Interrogatus, quantum fuit sine illo dolore et tumore post liberationem illam, respondit: «Ab eo tempore circiter non habui illum dolorem, nec consimilem».

Interrogatus, in quo loco erat, quando retulit predicto Nicolao, sicut liberatus erat, respondit: «In Jaurino, in cella mea».

Interrogatus, si aliqui erant presentes, quando dixit predicta verba predicto fratri Nicolao, respondit: «Nullus».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Circa septem anni».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio, sed per triginta annos et plus fui in ordine isto».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Jovis tertia intrante Septembrem.

XL

Domina Aglent, filia quondam domini Ladislai de Serenna,[1] soror et monialis predicti monasterii, iuravit, ut supra.

Interrogata, si soror Cecilia habuit magnum dolorem postquam mortua est virgo Margaretha, respondit: «Scio, quod ista Cecilia stabat in choro, et habuit magnum dolorem ad cor, sed non eram ibi, et ipsa ivit ad cellam suam, et ego ivi ad eam circa horam tertie, et habebat tam magnum dolorem quod videbatur mori, et ego et soror Agnes et soror Sabina portaveramus eam ad domum capituli ante crucifixum, in quodam loco, ubi consueverat orare beata Margaretha, et ego ivi ad fenestram et dixi, quod unus presbyter veniret ad dandum sibi corpus Christi, et quando tornavi[2] ad eam, ipsa Cecilia invocabat sanctam Margarethaam, et clamando sic sanctam Margarethaam in hora none, in qua portavimus eam ad dictum locum, statim sanata fuit».

Interrogata, quantum duravit sibi dicta infirmitas, respondit: «Eadem die sanata fuit, qua incepit habere dictum dolorem».

Interrogata, quomodo portaverunt eam, (respondit) . . .[3]

---

[1] «Harmicznyolczad sornak vala neve Aglent Serennay Lazló úrnak leanya. Ez soror Aglentnek sem irtak semmit eztendeirőL».

[2] Tornavi, olasz szó: «visszatérni».

[3] A kéziratban a felelet ki van hagyva.

Interrogata, cuiusmodi verba dicebat, quando invocavit istam sanctam Margaretham, ut dixit, respondit: «Audivi, quod dicebat: ‚Sancta Margaretha, rogo te, quod non moriar ista subitanea morte».'

Interrogata, si alique erant presentes, quando rogavit et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Ille due sorores, quas ego nominavi».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Fuit hoc anno, postquam venistis».

Interrogata de mense, respondit: «De mense Augusti».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor». De hora diei dictum est.

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni sunt, sicut credo».

Interrogata, si est docta, vel rogata, respondit: «Non» . . .[1]

XLI.

(**Frater Felicianus** ordinis predicatorum).[2]

(Interrogatus) . . . ille Benedictus,[3] respondit: «Nescio nomen ville sue».

Interrogatus, quando ipse viderat eum cecum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Circa festum purificationis beate Marie vidi donec fuit liberatus, ut dixi superius».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Benedictus sanatus et liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Presens fui».

Interrogatus, qui erant presentes tunc, respondit: «Frater Michael provincialis, predictus frater Vincentius, qui modo est sacristanus, frater Gerardus et multi alii».

Interrogatus, si dictus Benedictus dicebat aliqua verba apud dictum sepulcrum, quando sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Per merita istius sancte Margarethe sum sanatus».

Interrogatus, si ipse, vel fratres tunc dixerunt aliquid ipsi Benedicto, respondit: «Non, nisi quod dedimus gratias Deo».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi Benedicto, postquam venit ad sepulcrum istud, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Nulla, quod ego sciam».

---

[1] Ennek a vallomásnak vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[2] Ennek a vallomásnak eleje hiányzik. Fönnmaradt részében a tanu említi, hogy a nyulakszigeti domonkos-rendü monostornak Margit halála után perjele és több csodás gyógyulásnak tanuja volt. Már pedig egy ilyen csodás gyógyulásról szóló más vallomásban (LIV.) említtetik, hogy azt «frater Felicianus tunc prior» látta.

[3] L. a XCIV. vallomást.

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus Benedictus sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Non computavi annos».

Interrogatus de mense, respondit: «Circa festum pentecostes». De die dixit supra.

Interrogatus de hora diei, respondit: «Post tertiam, ante prandium».

Interrogatus, si vidit eum postea sic sanatum et liberatum, ut dixit, respondit: «Sic, multoties ad istud sepulcrum cum uxore et filiis suis, cum multis eximiis post liberationem suam, tempore quo eram prior in domo ista». Item dixit: «Quidam nobilis de genere Caach,[1] qui vocatur dominus Mattheus, sicut mihi videtur, venit ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et fecit portari per quemdam suum servientem quamdam suam filiam, que erat contracta in manu et pede, et quando dicta puella posita fuit ad dictum sepulcrum, statim sanata et curata fuit».

Interrogatus de nomine servientis, qui portavit dictam puellam ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Nescio nomen eius».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicta puella fuit contracta in manu et pede, ut dixit, respondit: «Vidi eam, quia non poterat ambulare».

Interrogatus, in qua manu et quo pede dicta puella contracta erat, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, si ante eam viderat, vel nisi tunc, respondit: «Nisi tunc».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta puella curata et liberata fuit, respondit: «Quia primo vidi eam contractam, ut dixi, et postea vidi eam sanatam, et ıvit ad dominas cum pedibus suis, et ad petitionem dominarum introduxi eam ad illas dominas».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta puella iverat pedibus suis ad dominas, ut dixit, respondit: «Vidi eam sic euntem».

Interrogatus, que fuerunt domine, ad quarum petitionem introduxit dictam puellam, ut dixit, respondit: «Soror Olimpiades et uxor quondam domini Matthei de genere Caach, cuius nomen nescio et alie multe».

Interrogatus, quot annos habebat dicta puella, quando liberata fuit, ut dixit, respondit: «Credo, quod habebat quinque, vel septem annos».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta puella liberata fuit, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «In estate, sed nomen mensis nescio».

Interrogatus de die, respondit: «Nescio».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Circa vesperas».

Interrogatus, qui erant presentes, quando dicta puella liberata fuit, ut dixit, respondit: «Frater Vincentius, frater Gerardus et plures alii, de quibus non recordor».

Interrogatus, que verba dicta fuerunt, quando dicta puella sanata fuit, ut dixit,

---

[1] Ugyanez a legendákban Zaach-nak neveztetik.

respondit: «Dictus dominus Mattheus pater suus publice dicebat, quod dicta puella sua sanata fuit ad invocationem istius sancte Margarethe, et semper invocaverat nomen eius pro ipsa sua puella, ex quo audivit, quod inceperat facere miracula».

Interrogatus, quanto tempore postea vidit dictam puellam sic sanatam, ut dixit, respondit: «Pater suus ivit statim ad partes suas ultra silvas cum magno gaudio, et postea non vidi eam, sed patrem suum postea pluries interrogavi de ipsa, et ipse respondit mihi, quod erat bene sanata et liberata».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit dicte puelle, quando portata fuit ad dictum sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Non, quod ego sciam». Item dixit: «Quidam nobilis homo de genere Cata,[1] qui vocatur Petrucius, languit diu hic, et movere se non poterat, ad invocationem istius sancte Margarethe curatus fuit hic, coram multitudine».

Interrogatus, de quo loco est dictus Petrucius, respondit: «Cata».

Interrogatus, quomodo scit, quod diu languit hic, (et) quod non poterat se movere, ut dixit, respondit: «Ego vidi ipsum, et portabatur in lecto suo per servientes suos ad sepulcrum».

Interrogatus de nominibus illorum servientium, respondit: «Nichil scio».

Interrogatus, que est ista sancta Margaretha, ad cuius invocationem sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Sancta Margaretha, que fuit filia regis Bele, cuius corpus est in ista ecclesia».

Interrogatus, quomodo scit, quod ad invocationem istius sancte Margarethe sanatus fuit, respondit: «Hoc ipse clavamit coram multitudine, et filii sui et cognati sui hoc dicebant».

Interrogatus, in quo loco erat tunc dominus Petrucius, quando sic clamabat, respondit: «Ante ecclesiam in predicatione».

Interrogatus, in quo loco erat tunc dictus Petrucius, quando sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Hoc audivi ab eo, et postea vidi eum frequenter sanatum et liberatum venire huc, cum uxore et filiis».

Interrogatus, si scit, quibus verbis interpositis curatus fuit, respondit: «Quomodo possem hoc scire? nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus Petrucius clamabat coram multitudine magna, quod curatus erat, respondit: «Nescio».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Post missam in predicatione, et hoc multoties dixit».

Interrogatus de presentibus, respondit: «In predicatione erat, et multi erant presentes, et non possum dicere nomina illorum».

Interrogatus, quot annorum est ipse testis, respondit: «Habeo circa octua-

[1] A kéziratban: «Tata» áll. Az LIV. vallomásban «Catha», a magyar legendában «Kaatai».

ginta annos, et per triginta annos fui in ordine isto, et per quinque annos fui prelatus in domo ista».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Die Martis vigesima mensis Octobris.

XLII.

Frater Jordanus, ordinis predicatorum, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Audivi, quod predicta virgo Margaretha dum esset in etate quatuor, vel quinque annorum tradita fuit monasterio de Vesprimio, et tante fuit simplicitatis, quod aliquando fratres predicatores putabat non esse viros».

Interrogatus, a quo audivit, quod predicta virgo Margaretha tradita fuit predicto monasterio, ut dixit, respondit: «A fratre Gerardo, qui tunc erat confessor domine regine, matris predicte virginis Margarethe».

Interrogatus, a quo audivit, quod fuerit predicte simplicitatis, respondit: «A sorore Olimpiade».

Interrogatus, quot annorum erat tunc predicta virgo Margaretha, quando erat predicte simplicitatis, respondit: «Nescio».

Item dixit: «Audivi a domina regina, matre eiusdem virginis Margarethe, quod ipsa virgo Margaretha fuit tanti silentii, quod ipsa regina, mater sua vix extrahebat verbum de ore eius, et quando sibi loquebatur, pro magno gaudio reputabat».

Interrogatus, quando fuit hoc, respondit: «Postquam ipsa venit ad istud monasterium». Item dixit: «Processu temporis confessor et familiaris fui predicte domine regine, et tunc temporis conversationem et familiaritatem habui in isto monasterio, et pluries ad fenestram fui locutus isti virgini Margarethe, et semper vidi et audivi omnem humilitatem et omnem mansuetudinem in ea, et semel expertus fui patientiam suam in eo, quod satis rigide redargui eam de quodam facto, et ipsa cum multa patientia sustinuit verba illa dicendo: ‚Frater Jordane, indulgeatis mihi».' Item dixit, quod «Magne contemplationis et orationis fuit, quod taliter scio, quod aliquando predicto tempore volui sibi loqui ante tertiam, et mihi semper dicebatur, quod in oratione erat, et causa veniendi ad me (non) volebat dimittere orationes suas».

Interrogatus, quot annorum poterat esse tunc dicta virgo Margaretha, respondit: «Credo, quod erat viginti annorum et plurium». Item dixit: «Audivi ab omnibus sororibus, cum quibus locutus fui, quod ipsa virgo Margaretha numquam aliquam iniuriam verbo, vel facto fecit alicui de sororibus istius monasterii».

Interrogatus de nominibus predictarum sororum, a quibus audivit hoc, respon-

dit: «A domina Alexandria et a quadam domina Reta . . . comitis Nave,[1] cuius nomen nescio, et a quibusdam aliis, quarum nomina non habeo in mente». Item dixit: «Audivi, quod libenti animo in omnibus servitiis se libenter exhibuit, sicut est in lavando scutellas et purgando domos et in serviendo ad mensam per septimanam suam».

Interrogatus a quibus audivit hoc, respondit: «A sororibus eiusdem claustri».

Interrogatus de nominibus illarum sororum, respondit: «Non recordor».

Item dixit: «Audivi, quod libenter serviebat sororibus infirmis, et vigilabat in servitiis ipsarum, et hoc audivi a predictis sororibus, et specialiter a domina Judith, cui in infirmitate sua magnam pietatem exhibuit, sicut ipsa Judith mihi retulit».

Item dixit: «In hoc maxime noto sanctitatem eius, quod quoties secum contuli super aliquo facto, semper omnem modestiam[2] consideravi esse in ea». Item dixit: «Cum essem prior Strigoniensis,[3] quidam nobilis homo, qui vocatur comes Andreas, infirmabatur, et ad eius petitionem sibi concessi, quod in infirmaria fratrum iaceret in dicta infirmitate, et postmodum gravem patiebatur acutam, et tunc dixi sibi: ‚Habeo de crinibus beate virginis Margarethe, et si placet vobis portabo et dabo vobis de lavatura dictorum capillorum, et spero firmiter, quod per hoc alleviabimini'; qui et devote recepit, et vel in eadem nocte, vel crastina liberatus fuit ab infirmitate, et reddebat gratias Deo et isti virgini Margarethe».

Interrogatus, ubi morabatur iste nobilis, respondit: «In diversis locis, sicut habebat possessiones suas, sed tunc venerat Strigonium».

Interrogatus, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Credo, quod sunt sex anni, vel quinque».

Interrogatus, de quo mense fuit hoc, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Credo circa vesperas».

Interrogatus de presentibus, respondit: «Fratres aliqui illius conventus, sed nominum illorum non recordor».

Interrogatus, si aliqua verba dicta fuerant tunc, quando recepit dictam sanitatem, respondit: «Non recordor, que verba dicta fuerunt».

Interrogatus, si postquam recepit dictam lavaturam, antequam esset liberatus, ut dixit, eidem data, vel facta fuit aliqua medicina, respondit: «Non, quod ego sciam».

Interrogatus, quanto tempore stetit sanus, postquam liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Ab eo tempore circiter sanus fuit, sicut ego vidi».

---

[1] A személynevek kétségkivül hibásan vannak írva. Kiigazításukra nincs támpontunk. A mondatból néhány szó hiányzik.

[2] A kéziratban, kétségkivül hibásan áll: «medicinam».

[3] Az esztergomi domonkos-zárdáról. RUPP, I. 25.

Interrogatus, quanto tempore predictus nobilis habuerat predictam acutam, ut dixit, respondit: «Per quatuor, vel quinque dies, sicut credo». Item dixit: «Quedam nobilis de Strigonio pregnans erat, et gravem patiebatur infirmitatem, adeo, quod in partu modis omnibus expirare deberet, et tunc ego sibi dixi, quod habebam ex cilicio, quod ista sancta virgo Margaretha portaverat in dorso, et illud sibi dedi, credens, quod propterea deberet liberari, quod penes se retinuit; et infirmitas talis fuit, quod nullus medicorum, sicut credo, eam potuisset iuvare».

Interrogatus de nomine predicte domine, respondit: «Nescio nomen eius, sed maritus eius vocatur Vanchus, qui est civis Strigoniensis».

Interrogatus, quanto tempore predicta domina fuerat sic infirma, respondit: «Per quatuor septimanas, vel quinque, sicut recordor».

Interrogatus, qui erant presentes, quando sibi dedit illud cilicium, ut dixit, respondit: «Quedam persone, quarum nomina nescio, et quidam frater, socius meus mecum erat, cuius nomen nescio».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicta domina tenuerat penes se dictum cilicium, ut dixit, respondit: «Ad caput eius tunc ego posui illud, sicut recordor, quomodo autem illud retinuerat, nescio, nisi quia per tertiam, vel quartam septimanam illud remisit mihi, et sicut recordor, ipsa postea venit ad sepulcrum istius virginis Margarethe, et gratias sibi reddidit de eo, quod restituta fuerit sanitati, icut ipsa dom ina dixit mihi».

Interrogatus, qui erant presentes, quando predicta domina hoc sibi dixit, respondit: «Quidam meus socius».

Interrogatus de nomine illius socii sui, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta domina dixit sibi predicta verba, respondit: «Nescio, quinque, vel sex anni, sicut credo».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Post nonam et ante vesperas, sicut credo».

Interrogatus, quot anni (sunt), quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Sicut credo, sum in etate quinquaginta annorum, vel quinquaginta quinque, et per triginta duos annos fui in ordine, sicut recordor».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus icere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XLIII.

Frater Michael, ordinis predicatorum, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Tempore primo, quo fui provincialis in ista provincia, vidi istam Margaretham puellam in tenera etate, forte quatuor annorum in monasterio sancte Catharine de Vesprimio, et postea ad preces domine regine, matris dicte puelle transtuli eam, cum decem et octo sororibus dicti monasterii ad istud monasterium gloriose virginis Marie de insula Danubii, quod dicta domina regina fundari fecerat pro dicta filia sua, et in isto monasterio, sicuti vidi, et a sororibus audivi et etiam per confessionem suam habui, religiose et humiliter conversata est semper in isto monasterio.

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta domina regina fecerit fundari istud monasterium pro dicta puella, sua filia, respondit: «Quia predicta domina regina dixit mihi: ‚Quare non duxisti filiam meam ad istud monasterium?' et ego respondi: ‚Domina, claustrum monasterii nondum perfectum est'; et ipsa mihi tunc respondit, quasi irata: ‚Cicius perficietur, si venerit huc'».

Interrogatus, a quibus audivit, quod dicta puella semper vixit honeste et religiose in isto monasterio, respondit: «A sorore Olimpiade, magistra sua et a sorore Catharina, nunc priorissa et a multis aliis».

Interrogatus, quot anni sunt, quod transtulit dictam puellam cum dictis sororibus de monasterio sancte Catharine ad istud, respondit: «Possunt esse viginti anni». Item dixit: Ista sancta Margaretha infirmata fuit tempore precedente secunda vice, quando fui provincialis, et quadam die Sabathi circa primum somnum expiravit, et tertia feria sequenti venit dominus Philippus, olim Strigoniensis (archi)episcopus et dominus Philippus Vaciensis episcopus cum eo ad istud monasterium, occasione obitus istius sancte Margarethe, et introduxi eos ad locum, ubi erat corpus ipsius, in quo vos recepistis depositiones sororum istius monasterii, et tunc sorores, que erant circa corpus ipsius, ceperunt ejulare, et dominus archiepiscopus dixit eis: ‚Non debetis dolere super mortem ipsius, sed potius gaudere, quia habet signum resurrectionis'; sed ultimum verbum de resurrectione non intellexi, sed frater Marcellus et Felicianus, qui tunc erat prelatus istius monasterii, dixerunt mihi, quod hoc audiverunt a domino archiepiscopo: ‚Videtur mihi in facie sua, quod pulchrior videbatur, quam in vita'».

---

[1] Október 20.

Interrogatus, quot anni sunt, quod predictus dominus archiepiscopus dixit predicta verba, respondit: «Credo, quod possunt esse quinque, vel sex anni, sed annos non computavi».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense, in quo est festum sancte Prisce virginis, aliter nescio de mense». De die et hora diei et loco dixit supra.

Interrogatus, qui erant presentes, respondit: «Predicti fratres Marcellus et Felicianus et plures alii, de quibus non recordor, et sorores istius monasterii».

Interrogatus, quando audivit a predictis fratribus Marcello et Feliciano, quod archiepiscopus dixit predicta: ‚Habet signum resurrectionis', respondit: «Nuper audivi hoc ab eis». Item dixit: «Tunc feci poni corpus predicte virginis Margarethe in quadam arca de ligno, quam feci fieri propter hoc, et ligavi cum virculis ferreis, et in illa nulla aromata, nec aliqua redolentia alicuius generis apposita fuerunt intus, vel extra; et postea portata fuit dicta arca cum corpore ipsius sancte Margarethe et posita in quadam fovea ante altare virginis gloriose, eo in loco in quo modo est, magna cum devotione et solemnitate misse et officii ibi celebrate per ipsum dominum archiepiscopum, et audivi postea a magistris lapicidis Alberto et Petro Lombardis, quod die decimo quarto posuerunt lapidem rudem super arca ipsa, et nihil mali odoris tunc senserunt, sed potius redolentia; et postea lapidibus marmoreis per magistros predictos (apparatis), dum removissent lapidem predictum post duos, vel tres menses, ut apponerent ibi lapides marmoreos, tunc noviter apparatos, senserunt, quod tantus vapor ascendit et odor, ac si essent omnino rose ibi».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicti magistri senserunt vaporem et odorem, respondit: «Quia dixerunt mihi».

Interrogatus, quando sibi dixerunt predicta, respondit: «In Sabatho nuper preterito».

Die Dominica vigesima sexta mensis Julii.

XLIV.

Petrus Hungarus de Buda, qui fuit de Tapolczano, iuravit ad sancta Dei evangelia dicere et respondere meram et puram veritatem de eo, quod scit super vita et conversatione recolende memorie Margarethe virginis sanctimonialis monasterii virginis gloriose de insula Danubii, ordinis predicatorum Vesprimiensis diocesis, et super miraculis, que ad invocationem ipsius Deus dicitur ostendisse, remoto odio, amore, timore, pretio, precibus, utilitate et damno suo et alieno. Qui sub iuramento dixit: «Nihil scio de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, nisi per auditum, quia totus mundus dicit, quod fuit bona domina et sancta».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Dum starem in dicta terra Tapolczano, eram multum infirmus et paralyticus, et tunc veni in quodam curru in Buda ad standum, et stabam apud fratres minores, et eram ita infirmus, quod vix poteram ire ad ecclesiam dictorum fratrum, sustinendo me cum baculo, ad audiendum officium; et quadam die dixi cuidam servitiali meo: ‚Adiuva me ad eundum ad sepulcrum beate Margarethe'; et tunc ipse puer incepit venire mecum, iuvando me, et quando fuimus ad portam predicte civitatis, ego rogavi Deum et beatam Margaretham, quod possem venire ad sepulcrum suum, et tunc incontinenti fui liberatus, quod potuissem ire usque ad Strigonium, et sic veni ad sepulcrum predictum dicendo illis, qui veniebant mecum in navi, quod sanatus eram».

Interrogatus, quanto tempore duravit sibi dicta infirmitas in dicta terra de Tapolczano, respondit: «Per duos annos, et in terra de Buda duravit mihi per quinque annos».

Interrogatus, quot anni sunt, quod liberatus fuit, ut dixit, respondit: «In festo sancti Martini, quod debet venire, erunt tres anni».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de die, respondit: «Quadam die Dominica».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Ante tertiam».

Interrogatus, qui fuerunt tunc presentes, quando liberatus fuit, respondit: «Predictus Petrus, servitialis meus, qui iuvabat me, ut supra dixi, et alii, quos non cognoscebam».

Interrogatus, qui fuerunt secum in navi, quibus dixit predicta, respondit: «Non cognoscebam eos».

Interrogatus, quot anni sunt, quod venit ad standum ad Budam, respondit: «Decem et octo anni, vel decem et novem».

Interrogatus, si postea habuit infirmitatem illam, respondit: «Non». Item dixit: «Quando liberatus fui a predicta infirmitate, tunc etiam habui aliam infirmitatem, quia ruptus eram et portabam unum circulum de ferro, qui sustineret budellas meas, et quidam frater minor curabat me de dicta infirmitate, et faciebat me portare dictum circulum propter hoc, quod postea circa unum annum budelle mee ita descendebant, quod nihil videbatur mihi manere in corpore, et tunc ego misi pro quodam medico Bele regis, et medicus vidit me, et dixit mihi, quod non poterat me liberare, et tunc ego misi pro dicto fratre et rogavi eum, ut adiuvaret me, et frater dixit mihi: ‚Ego non dico, tentando te, sed consulo, quod mittas pro quodam sacerdote et accipias penitentiam et corpus Christi;' et tunc ego misi pro Ladislao sacerdote ecclesie sancte Marie Magdalene de Buda,[1] et confessus fui

[1] A sz. Mária Magdolnáról czímzett plébánia-templom a mai dísztéren állott. Rupp. 103.

cum eo et recepi corpus Christi ab eo, et sepe oravi beatam Margaretham, quod iuvaret, et feci votum, quod si liberaret me, qualibet die Dominica venirem ad sepulcrum suum, et nocte sequenti, hora matutini cepi evenire, et budelle mee tunc redierunt in locum suum, et sanatus fui per merita predicte virginis Margarethe, quam non cessabam rogitare, et postea non habui illam infirmitatem».

Interrogatus, quot anni sunt, quod liberatus fuit, respondit: «Tres anni erunt in festo sancti Martini».

Interrogatus, quis fuit nuncius, quem misit pro dicto medico, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «Fui liberatus in vigilia beati Martini».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, in quo loco erat tunc ipse testis, quando liberatus fuit, respondit: «In Buda, in domo mea».

Interrogatus, qui erant presentes, quando recepit penitentiam, respondit: «Clementia, uxor mea, que mortua est iam sunt duo anni, et Martinus et Bocha, filii mei, qui vivunt».

Interrogatus, qui erant presentes, quando liberatus fuit, respondit: «Predicta uxor mea et filii mei predicti».

Interrogatus, quanto tempore duraverat sibi dicta infirmitas, respondit: «Sex annis, et septimo anno liberatus fui, ut dixi supra».

Interrogatus, quot anni sunt, quod rex Bela mortuus est, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de nomine fratris, qui eum curabat de dicta infirmitate, respondit: «Vocabatur Aginetus, qui mortuus est, iam est unus annus».

Interrogatus, si dictus frater, qui curabat eum, veniebat solus vel associatus, respondit: «Cum quodam alio fratre, qui vocabatur frater Antonius, qui mortuus est, et quandoque quidam alius frater, qui vocabatur Henricus de Strigonio, qui modo est de conventu fratrum minorum de Buda, sociabat dictum fratrem, qui curabat me».

Interrogatus, si aliqui alii ex fratribus minoribus dicti conventus sciverunt, quod dictus frater minor curaret eum, respondit: «Sciverunt multi, qui modo non sunt de isto conventu et frater Saulus, qui erat tunc guardianus, qui modo est in Posega, sicut credo, scivit hoc».

Interrogatus, quot annos habet dictus testis, respondit: «Sexaginta septem annos habeo».

Interrogatus, si est servus, vel liber, (respondit: «Liber»).

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Dictus dives, secundum consuetudinem huius terre».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, si fuit doctus,vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XLV.

Petrus, filius Mala de Buda, iuravit ad sancta Dei evangelia dicere et respondere meram et puram veritatem de eo, quod scit et requisitus fuerit a supradictis inquisitoribus, remoto pretio et precibus, odio et amore, speciali utilitate et damno suo, vel alieno.

Interrogatus, si cognoscat Petrum Hungarum, qui fuit de Tapolczano, respondit: «Sic, quia cognatus suus sum».

Interrogatus, si stat cum dicto Petro, respondit: «Non».

Interrogatus, si stetit unquam cum dicto Petro, respondit: «Sic, per unum annum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod stetit cum eo, respondit: «Tres anni».

Interrogatus, si quando stabat cum dicto Petro, erat serviens eius, respondit: «Non».

Interrogatus, si quando stabat cum eo, ipse Petrus erat sanus, vel infirmus, respondit: «Infirmus».

Interrogatus, quam infirmitatem habebat, respondit: «Paralyticus erat».

Interrogatus, si scit, quando dictus Petrus fuit curatus ab illa infirmitate, respondit: «Sic, circa festum beati Martini».

Interrogatus, quot anni sunt, quod fuit curatus, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, in qua hora sanatus fuit, respondit: «In hora misse».

Interrogatus, si quando curatus fuit, erat presens, respondit: «Non»; et correxit dictum suum et dixit, quod sic.

Interrogatus, si alii erant presentes, quando curatus fuit, respondit: «Multi erant presentes, sed non cognoscebam eos».

Interrogatus, si scit, in quo loco curatus fuit, respondit: «In porta civitatis Bude».

Interrogatus, si iuvabat eum, quando curatus fuit, respondit: «Non».

Interrogatus, si iuvabat dictum Petrum in eundo de domo sua usque ad dictam portam civitatis, respondit: «(Non), sed graviter veniebat sustinendo se cum baculo».

Interrogatus, si poterat ire sine baculo, respondit: «Non».

Interrogatus, si sciret, quo iret tunc dictus Petrus, respondit: «Sic, ad sepulcrum sancte Margarethe».

Interrogatus, quomodo sciebat hoc, respondit: «Quia veniebam cum eo».

---

[1] Julius 26.

Interrogatus, si dictus Petrus dixit alicui, vel aliquibus, quod curatus esset, respondit: «Multis, de quibus non recordor».

Interrogatus, si scit, quomodo fuit curatus dictus Petrus, respondit: «Sic, invocando sanctam Margaretham et dicendo: ‚Sancta Margaretha, adiuva me'».

Interrogatus, quanto tempore habebat illam infirmitatem, respondit: «Per longum tempus».

Interrogatus, per quot annos, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod cognoscit dictum Petrum, respondit: «Sexdecim anni».

Interrogatus, si ab eo tempore circiter, quo cognoscit dictum Petrum, ipse Petrus habebat infirmitatem predictam, respondit: «Sic, et habuit ad tempus, quo fuit curatus».

Interrogatus, si postmodum fuit curatus, habuit dictam infirmitatem, respondit: «Non».

Interrogatus, si scit, quod dictus Petrus fecerit aliquod votum propter curationem predictam, respondit: «Sic, sancte Margarethe, quod visitaret sepulcrum eius, quandocunque posset, et statim visitavit, quando fuit curatus, sicut audivi de ore ipsius Petri, et postea pluries veni cum eo ad dictum sepulcrum».

Interrogatus, si scit, quod dictus Petrus haberet tunc dictam infirmitatem, respondit: «Sic, quando ruptus erat».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Petrus erat ruptus, respondit: «Scio, quia hoc audivi ab ore ipsius Petri, et liberatus fuit ab illa infirmitate ad invocationem sancte Margarethe, sicut ipse dixit mihi, aliter nescio hoc».

Interrogatus, quot annos habet, respondit: «Triginta minus duobus».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Satis dives».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Die Martis vigesima octava mensis Julii.

XLVI.

Petrus, filius Paus de calida aqua de Buda iuravit ad sancta Dei evangelia dicere et respondere meram et puram veritatem de eo, quod scit et requisitus fuerit super vita et conversatione recolende memorie virginis Margarethe, sanctimonialis monasterii sancte Marie de insula Danubii de ordine predicatorum Vesprimiensis diocesis, et super miraculis, que ad invocationem ipsius dicuntur esse facta, remotis pretio et precibus, odio et amore, speciali utilitate et damno suo vel

alieno. Sub iuramento interrogatus, respondit: «Audivi dicere, quod dicta virgo Margaretha erat bona femina et sancta».

Interrogatus, a quibus audivit dici, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Iuxta pascha resurrectionis incepi habere magnum malum in nervis circa genua, et habebam tantum malum, quod ab illo tempore usque ad pascha de madio (?) non poteram ire sine baculo, et in tantum crevit illud malum, quod oportuit me iacere in lecto bene per octo dies, vel per septem, nec ire poteram, nisi aliquis portaret me in quadam conta[1] ad sepulcrum dicte beate Margarethe, et quando ego audivi et pater meus, quod ista sancta domina faciebat tantam graciam infirmis, feci me portari in quadam conta ad sepulcrum dicte beate Margarethe, et hoc voluit pater meus, et steti et iacui circa sepulcrum dicte beate Margarethe per tres dies et duas noctes in dicta conta, et in tertia die in hora vesperi sensi me melius, sed non eram liberatus in totum, et illa die feci me portari ad domum, quia non poteram adhuc ire pedibus meis,[2] et postea de die in diem liberatus fui».

Interrogatus, quot anni sunt, quod habuit infirmitatem illam, respondit: «Quinque anni sunt». Quanto tempore fuit infirmus, dixit superius.

Interrogatus, de quo mense fecit se portari ad dictum sepulcrum, respondit: «Circa medium istius mensis».

Interrogatus, qua die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, de hora diei, respondit: «De mane».

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui portarunt eum tunc, respondit: «Dictus pater meus et Nicolaus et Tiba cognati mei».

Interrogatus, ad cuius invocationem sensit se melioratum, respondit: «Ad invocationem dicte beate Margarethe».

Interrogatus, que verba dicebat tunc, respondit: «Dicebam...[3] respondit: «Habeo viginti annos minus uno».

XLVII.[4]

... Interrogata, a quo ducebatur cum baculo, sicut dixit supra, respondit: «Aliquando a matre sua, aliquando a sorore».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata sic dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

---

[1] «Conta species navigii». (Du Cange.)

[2] A kéziratban hibásan: suis.

[3] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[4] Ennek a vallomásnak csak vége van meg. Úgy látszik a vak Erzsébettől ered, a kinek csodás gyógyulását a következő vallomás beszéli el.

Eadem die.[1]

XLVIII.

Soror Elisabeth, uxor quondam Everardi, qui fuit de Ratisbona,[2] et morabatur Bude, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod fuit bona domina et sancta et bone vite, et semper voluit habere paupertatem, et quod malas vestes portabat et petiatas.

Interrogata, quomodo hoc scit, respondit: «Quia hoc audivi dici a fratribus et ab aliis, qui conversabantur in isto monasterio».[3]

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Scio, quod filia mea Elisabeth ita ceca erat, quod quando stabat ad mensam, non videbat scutellam ante se positam, et palpando querebat eam, et postquam multe medicine facte fuissent sibi et nihil valerent sibi, tunc audiens miracula, que fiebant per dictam virginem Margaretham, dixit: ‚Nolo amplius istas medicinas habere;' et ego dixi sibi: ‚Filia mea, vove castitatem, et promittas beate Margarethe, quod in perpetuum servies ei;' et tunc venit mecum, et induit habitum sororum eiusdem monasterii, et ita vovit et promisit, et tunc venit mecum et cum alia filia mea Heroch ad sepulcrum predicte virginis Margarethe, et stetit ibi per septimanam, et ego tunc dixi: ‚O sancta beata Margaretha, si placet tibi ut filia mea sit spiritualis, sicut tibi promisit, reddas sibi visum, et si debet stare in seculo, non reddas sibi'». Et dixit, quod beata Margaretha restituit sibi visum.

Interrogata, quanto tempore fuit ceca, ut dixit, respondit: «Per duos annos»

Interrogata, quomodo scit, quod dicta filia sua erat tam ceca, quod non videbat scutellam, sed palpabat, ut dixit, respondit: «Quomodo non possum scire quia filia mea est et ipsam videbam?»

Interrogata, si aliquas medicinas faciebat dicte filie sue, preter dictas medicinas, respondit: «Non, sed mater plebani de Buda que mortua est, misit multoties pulverem in oculis suis».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta filia sua promisit et vovit, ut dixit, respondit: «Quia ego hoc feci cum dicta filia mea».

---

[1] Július 28.

[2] A kéziratban hibásan: «Ennardi de Batisboam». A nápolyi legendában áll: «Heverardi de Ratispona» (Pars. II. cap. XXVIII.)

[3] Ezt a kolostort a magyar legenda közelebbről meghatározza: «Vala egy tiztelendő zűz . . . Őrsebet ez vala penitentia tartó, lakozik vala Pesten zent-Antalnak klastroma mellett». 39. Ennek a kolostornak egyéb történeti emlékekben nyomát nem találjuk.

Interrogata, si dicta filia sua Elisabeth ducebatur per aliquem, quando venit ea ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ego et filia mea Heroch ducebamus eam».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta filia sua steterat ad predictum sepulcrum per septimanam, ut dixit, respondit: «Quia presens eram».

Interrogata, qui erant presentes, quando ipsa testis dixit: ‚Beata Margaretha, si placet tibi, ut filia mea sit spiritualis, sicut tibi promisit, reddas sibi visum, et si debet stare in seculo, non reddas sibi,' respondit: «Ego et filia mea Heroch et ipsa beata Margaretha».

Interrogata, quomodo scit, quod illa virgo Margaretha restituit sibi visum, ut dixit, respondit, quod: «Homo hoc facere non poterat, sed beata Margaretha hoc fecit dicte filie mee, et nullus alius».

Interrogata, qui erant presentes, quando restituit sibi visum, ut dixit, respondit: «Frater Petrus et frater Bernardus de ordine predicatorum, qui viderunt eam cecam, ut supra dixi».

Interrogata, si postea habuit illam infirmitatem, vel similem, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta virgo Margaretha restituit visum dicte filie sue, ut dixit, respondit: «Duo anni sunt».

Interrogata de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogata de hora diei, respondit: «Non recordor, sed bene scio, quod filia mea bene videt».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Non recordor».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XLIX.

Soror Heroch, filia quondam Everhardii, qui fuit de Ratisbona, qui morabatur Bude, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit: «Ego audivi, quod dicta virgo Margaretha devotam et humilem vitam duxit».

Interrogata, a quibus audivit hoc, respondit: «Hoc audivi a fratribus predicatorum et sororibus, que circa eam fuerunt».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Sic, soror mea Elisabeth ita ceca erat, quod ire non poterat ad ostium, et venit ad sepulcrum

[1] Július 28.

beate Margarethe, et ego secum, et fuit ibi octo diebus, et rogavit Deum et beatam Margaretham, et tunc cepit videre, et melius fuit sibi qualibet die, donec fuit bene guarita».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta sua soror ita erat ceca, ut dixit, respondit: «Nonne debeo (scire), quia soror mea est, et mecum stat et vadit?»

Interrogata, si aliquis . . .[1]

L.

(Magister Gerardus medicus.[2]) «. . . est quarta estas,[3] bis habuit febres, et postea incidit in acutam, et in tantum fuit tunc illa infirmitas et gravitas, quod quatuor medici, qui ipsum curabant, desperaverunt de vita sua, et tunc ego superveni, et vidi ipsum regem in gravissimo statu, et timui, et inveni, quod velum dicte sancte Margarethe portatum fuerat ipsi domino regi, qui multum confidebat de meritis et sanctitate ipsius sancte Margarethe; et domina Anna, et nutrix domini regis ipsius dixerunt mihi, quod posuerunt dictum velum super caput predicti regis, et dominus Joachimus,[4] magister tavernicorum ipsius domini regis tunc ostendit mihi urinam, quam cum vidissem et inspexissem, dixi: ‚Si verum iudicium est in urina, dominus rex debet habere crisim', et statim incepit sudare, et liberatus est, et creditum fuit per ipsum dominum regem et per omnes barones et alios, qui fuerunt ibi tunc, et hodie creditur, quod liberatus fuit dictus dominus rex propter appositionem predicti veli et per merita ipsius sancte Margarethe».

Interrogatus, si aliquam medicinam ipse magister *Garcianus*[5] dedit vel fecit ipsi domino regi tunc, antequam ipse rex sudare inciperet, respondit: «Non».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus dominus rex bis habuit febres in predicta estate, ut dixit, respondit: «Quia vidi, et curavi ipsum de illis».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicti quatuor medici desperaverant de vita predicti domini regis, respondit: »Quia dicebant tunc me presente».

Interrogatus de nominibus dictorum medicorum, respondit: «Frater Theodoricus de ordine minorum et magister *Garcianus* medicus magistri Moys[6] et magister Joannes, tunc medicus magistri dicti Joachim et quidam magister Bartolomeus».

---

[1] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[2] Hogy ez a tanu Gerardus orvos volt, a nápolyi legendából tudjuk: «Aderant — írja ez — quatuor medici periti; supervenit autem expertissimus medicus magister Gerardus.» (Pars II. Cap. XI.) László király betegségéről és gyógyulásáról van szó, melyet a magyar legenda is elbeszél. 66.

[3] A kéziratban hibásan «etas».

[4] Pektari Joakim.

[5] A kéziratban hibásan: «Guardus».

[6] Mois 1270—1272 nádor volt.

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus rex multum confideret de meritis istius sancte Margarethe, respondit: «Hoc audivi ab ipso rege ante infirmitatem, in infirmitate et post infirmitatem».

Interrogatus, si aliqui erant tunc presentes, quando hoc audivit a dicto rege, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, qui erant presentes, quando predicte domine, domina Anna et nutrix, dixerunt sibi predicta, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de nomine nutricis, respondit: «Nescio».

Interrogatus, qui erant presentes, quando dictus Joachimus ostendit sibi predictam urinam, et iudicavit de ipsa urina, ut dixit, respondit: «Predictus frater Theodoricus et alii quam plures, de quorum nominibus non recordor».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus dominus rex statim incepit sudare et liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Presens eram et vidi».

Interrogatus, qui erant presentes, quando incepit sudare et liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Predicta domina Anna et nutrix et alii quam plures, de quibus non recordor».

Interrogatus, quomodo scit, quod creditum fuerat per ipsum dominum regem, barones et alios, et hodie credatur, quod ipse dominus rex liberatus fuerat propter appositionem veli predicti et merita ipsius sancte Margarethe, respondit: «Quia audivi ab ipsis tunc, et postea multoties».

Interrogatus, in quo mense dictus rex guaritus fuerat de dicta infirmitate et liberatus, ut dixit, respondit: «Circa festum sancti Michaelis».

Interrogatus de die, respondit: «Nescio».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Circa horam vespertinam».

Interrogatus, quot diebus vidit eum liberatum ab illa infirmitate, ut dixit, respondit: «Per unam septimanam, sed postea recidivavit propter inordinatum regimen ipsius, sed non fuit acuta et tanti timoris ut prius».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Die Dominica nona intrante Augustum.

LI.

Domina Arentha, uxor Petri de Buda, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe: «Nihil volo dicere de hoc».

Interrogata, si vult aliquid dicere super miraculis, respondit: «Petrus, qui fuit de Tapolczano, qui modo stat in Buda, pater meus, erat infirmus et ruptus taliter, quod budelle sue descendebant ad testiculos suos, et quidam frater minor,

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA

qui vocabatur Charent, qui mortuus est, dederat sibi quemdam circulum ferreum, qui sustinebat budellas sic, quod non descendebant ita, et dum iret per cortem[1] suam cecidit, et budelle tunc descenderunt omnes, et cepit fortiter clamare, et nos incontinenti ivimus ad eum, et statim ipse dixit, quod volebat habere presbyterum et corpus Christi, et tunc portavimus eum ad stubam ad iacendum, et postea missum fuit pro presbytero, et recepit corpus Christi, et ab illa hora que fuit post vesperas, circa completorium, usque ad matutinum non fuit locutus, et credebamus, quod moreretur, et post matutinum surrexit in lecto et dixit: ‚O beata Margaretha, multum confidebamus de te, et modo mihi monstrasti misericordiam tuam;' et statim incepit vomere taliter, quod credebamus, quod per os suum exiret pulmo, et tunc ipse dixit: ‚Non timeatis, quia sanatus sum;' et tornaverunt tunc budelle ad locum, in quo debebant stare, et secunda die ivit de lecto, et venit ad sepulcrum beate Margarethe».

Interrogata, quot anni sunt, quod ita fuit sanatus, ut dixit, respondit: . . . «Secunda die post festum sancti Martini».

Interrogata, que dies erat tunc, respondit: «Non recordor.» De hora dixit.

Interrogata, qui erant presentes, quando rogavit sanctam Margaretham, et vovit et sanatus est, ut dixit, respondit: ‚Ego et madregna[2] mea, uxor dicti patris mei, que mortua est et alia familia».

Interrogata, si viderat eum infirmum, antequam esset sanatus, respondit: «Quomodo non videram, quia pater meus est?»

Interrogata, per quot annos vidit eum sic infirmum, respondit: «Per sex».

Interrogata, si de dicta infirmitate aliquis medicus medicaverat eum, respondit: «Sic, quidam medicus regis Bele, qui mortuus est, et ille medicine semper sibi nocebant».

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit ipsi quando sanatus fuit, respondit: «Nulla».

Interrogata, si postea habuit infirmitatem predictam, vel similem, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod dictus pater suus venit ad standum in Buda, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta virgo Margaretha obiit, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Non recordor».

Interrogata, (si fuit docta) vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Petrus, presbyter ecclesie sancte crucis interpres fuit modo predicto.

---

[1] A kéziratban «crucrem». Ez kétségkívül hibás olvasás. A házban történt esetről lévén szó valószinű, hogy az udvarban történt.

[2] Matrigna, olasz szó: «mostoha anya».

Eadem die.[1]

LII.

Dominus Carolus de veteri Buda miles, iudex pro domino rege[2] in Buda, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe sub iuramento dixit: «Ab eo tempore, circa quod rex Bela fecit fieri hoc monasterium, et posuit me ad servitium istius monasterii et dominarum, in prima edificatione monasterii, vidi et audivi, quod ista virgo Margaretha, de qua facitis inquisitionem, fuit bona domina et sancta, (et) tantam spem habebam de ea, quod ibam per silvas, per latrones et per loca multum periculosa et per inimicos meos, et de omnibus istis periculis ista sancta Margaretha liberaverat me, et non videbatur mihi, quod aliqui possent nocere mihi». Item dixit: «Hodie et omni tempore pono spem meam in sanctitate sua et in orationibus suis».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Quedam neptis mea, filia cuiusdam mee sororis, quodam tempore fuit infirma per decem septimanas ita graviter, quod quatuor medici, qui habuerant eam in cura, dimiserant eam pro mortua, et expectabamus omni die, quod moreretur, et vocatus fuit tunc dominus Christianus, plebanus ecclesie sancte Marie de Buda, et dedit sibi corpus Christi, et inunxit eam, et aliquantulum post perdidit loquelam ex toto, nec loqui poterat, et ita stetit tribus diebus, et quarta die mater sua votum fecit pro ea ad istam sanctam Margaretham, quod si liberaret eam, duceret eam ad sepulcrum suum, et tunc dicta puella incepit statim loqui, et postea alia die parentes et cognati sui fecerunt eam portari ad dictum sepulcrum, et ibi stetit per diem illam, et non fuit sanata; et postea fecerunt eam portari in quamdam domum de insula Danubii, prope monasterium, et in dicta domo stetit per sex dies, et iterum fecerunt eam portari ad dictum sepulcrum, et dicta puella fecit se exponi super sepulcrum cum pectore, et ita stando oravit, et postea respexit et dixit: ‚Laudate Deum, quod ego sum bene liberata;' et tunc surrexit in pedibus suis, et rediit in domum suam super montem in castro Bude».

Interrogatus, quo nomine vocatur illa neptis sua, respondit: «Agnes».

Interrogatus, quot annos tunc habebat dicta Agnes, respondit: «Nescio».

Interrogatus de nomine dicte sororis sue, respondit: «Domina Perta».

---

[1] Augusztus 9.

[2] A nápolyi legendában említtetik: «Karolus de Veuri (?) miles, iudex pro domino rege in Buda». A magyar legendában: «Béla király képében vala bíró».

Interrogatus, cuiusmodi infirmitatem habebat tunc dicta neptis sua, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta neptis sua ita fuerat infirma per decem septimanas, ut dixit, respondit: «Vidi eam».

Interrogatus de nominibus medicorum, qui habuerant dictam neptem suam in cura, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus plebanus dederit dicte nepti sue corpus Christi, et eam inunxit, ut dixit, respondit: «Audivi a sorore[1] mea domina Perta».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta neptis sua ita amiserit loquelam, et stetit per tres dies, quod non potuit loqui, ut dixit, respondit: «Soror Tharant mihi dixit».

Interrogatus, quomodo scit, quod mater predicte neptis sue votum fecerit pro ipsa nepte[2] . . . .

LIII.[3]

. . . ductus fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Uxor sua Margarita et Michael filius suus».

Interrogatus, quomodo scit, quod ita liberatus fuit, et venit sanus, ut dixit, respondit. «Scio, quia portatus fuit in curru ad dictum sepulcrum et quando rediit, sanus venit».

Interrogatus, quomodo scit, quod rediit sanus, ut dixit, respondit: «Vidi cum oculis meis».

Interrogatus, si aliqui alii erant presentes, quando rediit ita sanus, ut dixit, respondit: «Sic, predicti Saleth et comes Petrus».

Interrogatus, quantum stetit, postquam portatus fuit ad dictum sepulcrum, antequam reverteretur domum liberatus, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Quatuor».

Interrogatus de mense, quo fuit liberatus, respondit: «Nescio, sed hoc fuit ante festum sancte crucis».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est predicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annos habet, respondit. «Nescio, sed senex sum».

---

[1] A kéziratban hibásan: «ab uxore».

[2] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[3] A vallomás eleje hiányzik. A tanú nevének megállapítására támpontunk hiányzik.

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber et nobilis et de nobili progenie».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Die Mercurii duodecima intrante Augustum.

LIV.

Soror Margaretha de ordine sancti Augustini,[1] que stat in insula Danubii gloriose virginis, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, sub iuramento dixit, quod ista domina Margaretha habuit magnam misericordiam et (fuit) bona domina, et libenter dabat eleemosinas pauperibus «et nobis subveniebat.»

Interrogata, quomodo scit predicta, respondit: «Scio, quod fuit bona et sancta, quia nobis mittebat eleemosinas in vestibus et in victualibus, et hoc faciebat in secreto, quia non volebat, ut sciretur».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Petrucius, consanguineus meus, in domo mea sanatus fuit de manu, quam contractam habebat, et venit ad fratres, et dixit eis: ‚Regracior vobis, quia sanatus sum propter merita sancte Margarethe'; et ivit postea sanus ad domum suam».

Interrogata, unde erat dictus Petrucius, respondit: «De genere Catha[2] et stat in Pest».

Interrogata, si habet domum in Pest, respondit: «Sic».

Interrogata, quomodo scit, quod habet domum in Pest, respondit: «Quia cognatus meus est».

Interrogata, quomodo habuerit ita manum contractam, ut dixit, respondit: «Demandabat nobis per famulum, quod sic infirmus erat».

Interrogata, quomodo scit, quod sanatus fuerat, ut dixit, respondit: «Quando venit de ecclesia, vidi, quod adhuc habebat manum contractam, et in domo mea sanatus fuit».

Interrogata, si aliqua verba, quando sanatus fuit, dixit, respondit: «Ipse dixit: ‚Sancta Margaretha adiuvit me et sanavit'».

---

[1] A magyar legenda azt az apácza-zárdát, a melynek lakója ez a tanú volt, közelebbről meghatározta: «Vala egy soror prepostok zerzetének harmadzerzetbeli soror, ki lakozik vala ez boldog azon zigetében . . . zent Myhal clastroma mellett». (39.) A «prépostok zerzete» alatt a premontrei rend értetik, melynek szent Mihályról czímzett prépostsága a szigeten létezett. A mellette fönnállott apácza-zárdáról más emlék nem szól.

[2] A magyar legendában: Kaatay Péternek neveztetik. 63.

Interrogata, qui erant tunc presentes, quando sanatus fuit in domo sua, ut dixit, respondit: Ursula, mater sua.

Interrogata, si alii erant tunc presentes, respondit: «Sic, familia dicti Petrucii».

Interrogata de nominibus dicte familie, respondit: «Nicolaus de Cata et Joannes de Pest».

Interrogata, quot anni sunt, quod ita liberatus fuit in domo sua, ut dixit, respondit: «Anno preterito, sed bene annos non scio computare, quia sum laica».

Interrogata de mense, respondit: «Oblita sum».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Circa horam misse».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus Petrucius venerit ad dictos fratres dicendo: ‚Propter merita sancte Margarethe sanatus sum', et regraciaretur sibi, respondit: «Ante me factum fuit».

Interrogata, qui fuerunt illi fratres, quibus hoc dixit, respondit: «Frater Felicianus, qui tunc erat prior».

Interrogata, in quo loco erat tunc dictus Petrucius, quando dixit illa verba dicto priori, respondit: «In ista ecclesia sancte Marie».

Interrogata, quanto tempore vidit postea dictum Petrucium sanum, respondit: «Venit postea ad me sanus bis, vel ter».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LV.

Femia, uxor Ladomerii de insula Danubii iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit: «Non volo dicere de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Filius meus quodam tempore habuit magnum dolorem bene per annum ita, quod pes suus totus fuit siccatus, et post nativitatem domini in die sancti Matthei(?) ita contractus fuit in toto corpore, quod dorsum eius exiverat ad modum gibbi, ut non poterat ire cum scabellis, nec cum baculo, et ita stetit usque ad carnisprivium predictum,[2]... quod ego portarem dictum meum puerum, quem videtis hic, ad sepulcrum

[1] Augusztus 12.

[2] Itt egy mondat ki van hagyva.

istius sancte Margarethe, et tunc vovi, quod ego portarem dictum filium meum ad predictum sepulcrum, et statim die Sabathi sequenti totus sanatus est, sicut videtis eum».

Interrogata, ubi morabatur tunc ipsa femina, quando fecit votum predictum, respondit: In villa Voch,[1] in domo Vataroi in diecesi Agriensi.

Interrogata de nomine dicti sui pueri, respondit: «Nicolaus».

Interrogata, quot annorum erat tunc dictus puer, quando sanatus fuit (respondit): «Credo, quod septem».[2] . . .

LVI.[3]

(Domina Laurentia)[4] « . . . sed nescio nomina illarum».

Interrogata, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Noviter factum est in die sancti Antonii».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «In die Sabathi». De hora dixit.

Interrogata, quantum stetit dicta puella apud ignem super dicto plumario, ut dixit, respondit: «Usque in sero».

Interrogata, quot annos habebat dicta puella, quando cecidit in dictum puteum, ut dixit, respondit: «Duos».

Interrogata, quot annos habeat modo dicta puella, respondit: «Duos, quia noviter fuit factum hoc».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annos habet ipsa testis, respondit: «Nescio».

Interrogata, si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

---

[1] Ezt a helyet nem határozhatjuk meg.

[2] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[3] A vallomás eleje hiányzik.

[4] A tanu a következő vallomásban neveztetik meg.

LVII.

Die Veneris decima quarta intrante Augustum.

Math, filia de (?) Iberti, que stat in villa Egidii de sancto Georgio,[1] iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit: «Nolo mentiri, quia non mansi hic, et nihil volo dicere (de) hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, (respondit): «Scio quamdam puellam, que cecidit in puteum in oratione (?) in die sancti Antonii, et tracta fuit de dicto puteo cum quadam hydria, in qua fuit tota constricta, et rogabamus sanctam Margaretham pro ea, et mortua stetit usque ad illud sero, et in illo sero intravit anima in corpus eius, et quando galli cantabant illa puella incepit loqui».

Interrogata, que fuit illa puella, respondit: «Vocatur Maria».

Interrogata, cuius filia est, respondit: «Coloni».[2]

Interrogata, unde est ille Colonus, respondit: «De predicta villa».

Interrogata, quomodo scit, quod predicta puella cecidit in puteum, ut dixit, respondit: «Vidi eam in puteo».

Interrogata, ubi est ille puteus, respondit: «In corte illius domine Laurentie, que fuit heri hic, et ibi habeo domum meam».

Interrogata, si predictus Colonus stat in illa corte, respondit: «Sic, stat circa illum puteum».

Interrogata, quomodo scit, quod illa puella ita constricta tracta fuit de dicto puteo, respondit: «Quia respiciebam semper in puteo et Colonus, pater suus dixit: ‚Non invenio eam'; tentando eam cum uno baculo, et traxit eam per vestes superius».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella mortua erat, ut dixit, respondit: «Vidi eam, quando extrahebatur de dicto puteo».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui traxerunt dictam puellam de puteo, ut dixit, respondit: «Martinus et quidam Teutonicus».

Interrogata de nomine illius Teutonici, respondit: «Hero».

Interrogata, ubi stant predicti Martinus et Hero, respondit: «Martinus in dicta curia et Hero in eadem villa».

---

[1] A nápolyi legenda erről a helyről így tesz említést: «In villa que dicitur Heug sancti Georgii Quinqueecclesiensis diocesis». (Pars II. Cap. LXV.) Vajjon a helynevet a mi kéziratunk vagy a nápolyi legenda adja-e hiven, vagy egyik sem; nem határozhatjuk meg.

[2] A nápolyi legenda az esetet elbeszélvén a leány és atyja nevét így adja: «Mariota filia Colini qui fuit de Leodio». A miből következik, hogy a Colonus (Colinus) tulajdonnév.

Interrogata, qui erant tunc presentes, quando tracta fuerat dicta puella de dicto puteo, respondit: «Multi erant, quomodo possum eos nominare?»

Interrogata, qui erant illi, qui rogabant beatam Margaretham pro dicta puella, ut dixit, respondit: «Ego et illa, que fuit heri hic».

Interrogata, que fuit illa domina, que fuit hic, respondit: «Domina Laurentia».

Interrogata, cuiusmodi verba dicebant, quando rogabant sanctam Margaretham pro dicta puella, ut dixit, respondit: «O sancta Margaretha, que es nobilis et sancta Dei et sancte Marie, reddas nobis istam puellam».

Interrogata, que est ista sancta Margaretha, quam rogabant, respondit: «Filia regis».

Interrogata, cuius regis, respondit: «Bele».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella stetit mortua usque ad sero, ut dixit, respondit: «Steti ante eam, et ipsam videbam, et intrabat anima in corpus eius, sicut in guanto».[1]

Interrogata, quomodo scit, quod anima intrabat in corpus dicte puelle, respondit: «Vidi».

Interrogata, si aliquid factum fuit dicte puelle, antequam anima intraret in corpus eius, ut dixit, respondit: «Tenebamus eam cum bucca versus terram supra puteum, ut aqua exiret de corpore eius, et postea portavimus ad ignem eam et calefecimus, et expectabamus, quando anima intraret corpus eius».

Interrogata, quomodo scit, quod loquuta fuit dicta puella in hora, qua galli cantabant, respondit: «Pater eius dixit mihi, et non eram presens».

Interrogata, qui erant presentes, quando anima ipsius puelle intravit in corpus eius, respondit: «Multi erant presentes, quos non possum nominare, quia multi erant».

Interrogata, quare non potest eos nominare, respondit: «Quia (erant) multi»

Interrogata, si aliquos cognoscebat, respondit: «Sic, Onnath, servitialem dicte domine Laurentie».

Interrogata, ubi erat tunc dicta puella, quando anima eius intrabat corpus eius, ut dixit, respondit: «Super quadam mensa».

Interrogata, in cuius domo erat tunc dicta puella, respondit: «In domo patris sui».

Interrogata, in qua parte domus erat tunc ignis, respondit: «Aliquantulum remotius in eadem domo».

Interrogata, quot annorum erat tunc dicta puella, respondit: «Habuit duos annos in quadragesima ista preterita».

---

[1] Gvanto, olasz szó: «kesztyű».

Interrogata, quomodo scit, quod tunc habuit duos annos, ut dixit, respondit: «Hoc scio per mortem matris dicte puelle, que est cito mortua, quando peperit eam».

Interrogata, quantum temporis est, quod fuit festum sancti Antonii, de quo dixit, respondit: «In isto anno, sed nescio, utrum fuit ante festum sancti Joannis, vel post».

Interrogata, de quo mense fuit festum sancti Antonii, respondit: «In mense sancti Joannis».[1]

Interrogata de die, in qua dicta puella cecidit, ut dixit, respondit: «In die Sabathi». De hora diei dixit supra.

Interrogata, in quantum distat villa illa, in qua habitat, respondit: «Venimus huc per octo dies».

Interrogata, si potuissent venire in quatuor diebus, si voluissent, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Nimis sum pauper, quia sum sine filio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Eadem die.[2]

LVIII.

Domina Algent, uxor domini Andree de genere Catha, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Per tres annos infirma fui, et portata fui ad sepulcrum istius beate Margarethe, et steti in ista insula per tres septimanas, et fui surda, et restituit mihi auditum, et portata fui ad domum matris mee, et in toto liberata fui, et manus et pedes non habui et ipsa restituit mihi».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui portaverunt eam ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Dominus Andreas, maritus meus».

---

[1] Keresztelő szent János hónapját, júniust érti.

[2] Augusztus 14.

Interrogata, in quo portavit eam, respondit: «In curru».

Interrogata, si alii erant tunc ibi, quam maritus suus, respondit: «Sic, familia mariti mei».

Interrogata de nominibus familie istius, respondit: «Cosma et Clementinus».

Interrogata, ubi stetit per tres septimanas, respondit: «In domo monialium, que stant in ista insula».[1]

Interrogata de nominibus illarum monialium, respondit: «Domina Ursula et filia eius et Margaretha, que cognate mee sunt».

Interrogata, si domus illa, in qua stabant tunc dicte moniales, erat ecclesia, respondit: «Non».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta Margaretha restituit sibi auditum, ut dixit, respondit: «Scio, quia quando portata fui ad sepulcrum eius, non audiebam, et stando circa sepulcrum incepi audire unam campanam».

Interrogata, si aliquid tunc dicebat stando circa dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ego dicebam: ‚Sancta Margaretha, adiuva me'».

Interrogata, qui erant presentes, quando incepit audire et rogavit beatam Margaretham, ut dixit, respondit: «Quomodo possum dicere, quia totus mundus erat ibi».

Interrogata, si dixit alicui, sicut inceperat audire stando ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Sic, multis et specialiter dictis dominabus monialibus».

Interrogata, quanto tempore steterat, quod nihil audiverat, ut dixit, respondit: «Per duas septimanas».

Interrogata, per quot dies stetit, postquam fuit portata ad dictum sepulcrum, antequam inciperet audire, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogata, si aliqua medicina facta fuit sibi, postquam primo portata fuit ad dictum sepulcrum, ut audiret, respondit: «Non».

Interrogata, quomodo non habebat pedes, nec manus, ut dixit, respondit: «Quia in tantum desiccata eram in pedibus et manibus, quod cum manibus nihil capere poteram, nec pedibus ire poteram, nec movere».

Interrogata, quomodo scit, quod ista sancta Margaretha restituit sibi manus, et pedes, ut dixit, respondit: «Scio, quod venit in somnis ista sancta Margaretha, et porrexit mihi pedes in cera, et manus de cera, et statim fui sanata».

Interrogata, quantum stetit in domo dicte matris sue, postquam fuit portata de ista insula ad domum matris sue eiusdem, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Per unam septimanam».

Interrogata, si aliqua verba dicebat tunc per illam septimanam, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Rogabam semper[2] gratiam sancte Margarethe».

---

[1] A premontrei prépostság mellett a nyulak szigetén fönnálló apáczakolostort érti.

[2] A kéziratban hibásan: super.

Interrogata, si aliqua medicina facta fuit sibi in septimana illa ad hoc, ut sanaretur in pedibus et manibus, respondit: «Nulla».

Interrogata, si aliqui fuerunt tunc in illa[1] . . .

LIX.

Die Sabathi decima quinta intrante Augustum.

Sura, uxor domini Andree de sancto Georgio[2] in diocesi Strigoniensi, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil volo dicere super hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Per tres annos in tantum infirma fui, quod omnes abhorrebant me, et non poteram me movere, neque exire domum, nisi pater et mater mea portarent me; iam sunt tres anni, quod in octava pentecostes, feria sexta, portata fui ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et eadem die ibi sanata fui».

Interrogata, si scit, cuiusmodi infirmitas erat illa, quam habebat, respondit: «Malum erat, de quo cadebam in terram, et erat tanta infirmitas mea, quod totum corpus meum conterebat et pedes meos contraxerat».

Interrogata, si aliqui medicabant eam de dicta infirmitate, respondit: «Non».

Interrogata de nominibus patris et matris ipsius, respondit: «Pater vocatur Hegart[3], et hic est et mater Stella et vivit».

Interrogata, de quo loco fuerunt predicti pater et mater ipsius, respondit: «De loco Sorlou[4], diocesis Strigoniensis».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui portarunt eam ad dictum sepulcrum, respondit: «Dictus pater meus et cusini[5] mei».

Interrogata de nominibus consanguineorum, respondit: «Butra et Tese de Sorlou, qui stant in eadem villa Sorlou».

Interrogata, in quo portaverunt eam, respondit: «In curru».

Interrogata, qui erant presentes, quando sanata fuit ad dictum sepulcrum, respondit: «Predicti pater meus et cusini mei».

Interrogata, que verba dicebant apud dictum sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Rogabam dominam meam sanctam Margaretham».

---

[1] A vallomás vége hiányzik. És hiányzik egy vagy több tanú vallomása is.

[2] Szent-György Pozsonymegyében.

[3] A következő vallomásban: «Hograd».

[4] Salló (Nagy-Salló) Barsmegyében.

[5] Cugini, olasz szó: «unokatestvérek».

Interrogata, si aliqui sciverunt, quod sic rogabat istam sanctam Margaretham, respondit: «Quis poterat scire, quod ego dicebam in corde meo?».

Interrogata, in qua hora sanata fuit, respondit: «In hora misse».

Interrogata, in quanto tempore stetit sine tali infirmitate, postquam sanata fuit de dicta infirmitate, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogata, si postquam sanata fuit, habuit infirmitatem predictam, vel consimilem, respondit: «Deus novit».

Interrogata, si postea habuit illud malum, ita quod caderet ad terram, respondit: «Sic, sed non tantum conteruit me, nec postea habui pedes contractos».

Interrogata, quot vicibus habuit postea dictam infirmitatem, respondit: «Non recordor».

Interrogata, ubi incepit habere dictam infirmitatem, respondit: «In domo patris mei».

Interrogata, si postquam fuit in domo mariti sui, habuit infirmitatem predictam, respondit: «Sic».

Interrogata, si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, si maritus eius est dives, vel pauper, respondit: «Nec nimis dives, nec nimis pauper».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LX.

Hograd, de villa Sorlou, diocesis Strigoniensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit, se nihil scire.

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Filia mea per tres annos fuit infirma, ita quod ire non poterat, nisi ego et uxor mea iuvaremus eam, et feria quinta ante octavas pentecostes portata fuit in curru, ut portaretur ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et feria sexta sequenti portata fuit ad dictum sepulcrum, et eadem die sanata fuit et posita fuit ad sepulcrum regis Stephani, et tunc surrexit in propriis pedibus et exivit de ecclesia».

---

[1] Augusztus 15.

Interrogatus de nomine dicte filie sue? respondit: «Sura».

Interrogatus, quomodo scit, quod predicta filia sua per tres annos sic fuit infirma, ut dixit, respondit: «Scio, quia tunc temporis apud me fuit».

Interrogatus, cuiusmodi infirmitas erat illa, quam habuit filia sua per tres annos, ut dixit, respondit: «Morbus caducus erat in ea».

Interrogatus, si habebat aliam infirmitatem, nisi morbum caducum, ut dixit, respondit: «Non, sed ille morbus caducus faciebat eam cadere in terram».

Interrogatus, si omni die habebat morbum illum, respondit: «Sic».

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui portaverunt dictam filiam suam ad dictum sepulcrum, respondit: «Quedam cognata mea, que vocatur Martinca, que stat in Sorlou».

Interrogatus, si aliqui alii venerunt cum dicta Martinca et filia sua, respondit: «Fiala, qui modo stat in Goshovam,[1] . . . qui stat in Sorlou».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta filia sua sanata fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Scio, quod portata fuit ad sepulcrum predictum, ut dixi, et reversa fuit domum cum pedibus suis; sed quando liberata fuit, non fui presens».

Interrogatus, si postea habuit illam infirmitatem, vel similem, respondit: «Nunquam».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta filia sua portata fuit ad sepulcrum predictum, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogatus, ubi incepit habere predicta filia sua predictam infirmitatem, respondit: «In Sorlou, in domo mea».

Interrogatus, si postquam maritus suus duxit eam in uxorem, habuit infirmitatem predictam, respondit: «Sic».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dedit eam ad maritum, respondit: «Quatuor anni».

Interrogatus, quando mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annos habuit dicta filia sua, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si servus est, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Dives eram, sed depredatus sum a predonibus».[2]

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

---

[1] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk. Ezután egy személynév a kéziratban kimaradt.

[2] A kéziratban hibásan: gelonibus.

Eadem die.[1]

LXI.

Andreas de sancto Georgio diocesis Strigoniensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «(Nihil) scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «De domina uxore mea; in primo mense, postquam duxi eam, habuit morbum caducum per tres annos, et fuit tota contracta in pedibus, et ego non poteram eam tenere, et portata fuit ad domum patris et matris sue, et portata fuit ad istud sepulcrum, et sanata fuit».

Interrogatus, quot anni sunt, quod duxit eam in uxorem, respondit: «Quatuor anni sunt».

Interrogatus de nomine dicte uxoris sue, respondit: «Sura».

Interrogatus, (quomodo scit) quod habuit per predictos tres annos dicta uxor sua predictam infirmitatem, respondit: «Scio, quia in festo omnium sanctorum incepit habere dictam infirmitatem», et portata fuit ad domum patris sui, ut dixit, «et post tres annos revoluti eiusdem festi reportata fuit mihi».

Interrogatus, quanto tempore stetit in domo sua, postquam incepit habere dictam infirmitatem, antequam portaretur ad domum patris sui, respondit: «Per duos menses».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta uxor sua portata fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Scio, quod portata fuit in curru».

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui portaverunt dictam uxorem suam ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Soror patris uxoris mee et multi alii, de quibus non recordor».

Interrogatus, quod est nomen eius, respondit: «Martinca».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta Martinca et alii, de quibus dixit, portaverunt eam ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Scio, quia vocatus fui obviam eis usque Strigonium».

Interrogatus, quis vocavit eum, respondit: «Filius dicte Martince».

Interrogatus, quod est nomen eius, respondit: «Clementius».

Interrogatus, in quantum distat locus, in quo habitat, a loco, in quo habitat pater uxoris sue, respondit: «Per unum rastum».[2]

---

[1] Augusztus 15.

[2] «Rasta, miliare germanicum». (Du Cange.)

Interrogatus, quot anni sunt, quod portata fuit dicta uxor sua ad dictum sepulcrum, respondit: «Unus annus est».

Interrogatus, quomodo scit, quod liberata fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Audivi a dicta uxore mea, sed non fui tunc presens».

Interrogatus, si postquam sanata fuit, habuit infirmitatem predictam, respondit: «Non».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annos habet ipse testis, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si esset servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogatus, si est doctus, vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Dominus Martinus, presbyter et prior ecclesie sancti Michaelis de insula interpres fuit in depositionibus predictis.

Die decima quinta intrante Augustum.

LXII.

Domina Agnes, filia quondam Herlip,[1] neptis domini Caroli iudicis de Buda, iuravit, ut supra.

Interrogata de vita et conversatione dicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere de miraculis, respondit: «Per decem septimanas fui in magna infirmitate, et per quatuor dies steti quod non potui loqui, nec sciebam quid esset de me, et quatuor medici, qui medicabant me, dicebant, quod de illa infirmitate non poteram scampare; et quod quando stabam et non poteram loqui, mater mea rogavit beatam Margaretham quod me sanaret, et tunc loquuta fui et dixi: ‚Si quis me portaret ad sanctam Margaretham, essem sana'; et postea portata fui per tres sorores usque ad Danubium, et ibi intravimus aquam, et postea portaverunt me ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et quam cito fui ibi, sensi, in qualibet die quod melius erat mihi, et in quarta die stando circa dictum sepulcrum fui sanata et liberata de dicta infirmitate».

Interrogata, si poterat ire per illas decem septimanas, in quibus sic infirma fuit, respondit: «Non, nec exire de loco, nisi aliquis me portaret».

[1] A nápolyi legendában így neveztetik: «Agnes filia quondam Herlip Teutonici». Pars II. Cap. LXIV.

Interrogata, si scit, cuiusmodi infirmitas erat illa, respondit: «Habebam in corpore tantum dolorem, sicut aliquis pungeret cor meum cum lanceis».

Interrogata de nominibus illorum, qui eam medicabant, respondit: «Nescio nomina illorum, sed bene scio, quod (duo) mortui sunt, et alii duo nescio ubi sunt».

Interrogata, quomodo scit, quod stetit per quatuor dies, quod non potuit loqui, ut dixit, respondit: «Predicte (sorores) dixerunt hoc mihi».

Interrogata de nominibus illarum, respondit: «Jorautht et Melt et Athleita, que stabant mecum in Buda, in domo matris mee».

Interrogata, quomodo scit, quod rogavit mater sua beatam Margaretham, ut dixit, respondit: «Mater mea hoc mihi dixit, et quod duceret me ad dictum sepulcrum».

Interrogata, quomodo portata fuit per predictas sorores, respondit: «Portabant me, et ego tenebam unum brachium super collum unius et alterum brachium super collum alterius, et alia iuvabat nos, et taliter portabant me, quod non tangebam terram».

Interrogata, si aliqui alii associabant eam tunc, respondit: «Non, preterquam una puella parva, que sequebatur nos».

Interrogata, si eadem die, qua inceperunt portare eam ad dictum sepulcrum, potuerunt illuc venire, respondit: «Sic».

Interrogata, si quando fuit sanata in quarta die apud sepulcrum, ut dixit, aliqui erant presentes, respondit: «Sic, predicte tres sorores».

Interrogata, que verba dicebat, quando stabat ad dictum sepulcrum ut dixit, antequam sanaretur, respondit: «Ego stabam iuxta sepulcrum, et predicte sorores tenebant me, quia non poteram sustinere me, et rogabam istam sanctam Margaretham, quod sanaret me, et promisi si me sanaret, quod ego dicerem qualibet die ter ‚Ave Maria' et ter ‚Pater noster' tempore vite mee, et ieiunarem vigiliam suam, et festarem diem eius».

Interrogata, si postquam portata fuit ad dictum sepulcrum, aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, antequam esset liberata, respondit: «Non».

Interrogata, si tunc liberata fuit, quod cum pedibus suis potuerit ire ad domum suam sine aliquo adiutorio, respondit: «Sic, et mater mea, que non fuit presens, non credebat, quod ego essem ita sanata, et quando vidi eam, incepi magis cito ire, quam alie sorores, et dixi, quod beata Margaretha sanaverat me».

Interrogata, si postquam sanata fuit, habuit illam infirmitatem, vel similem, respondit: «Nec illam, nec aliam habui».

Interrogata, quot anni sunt, quod sic sanata fuit a dicta infirmitate, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Nescio».

Interrogata, si de die et de nocte stabat ad dictum sepulcrum per illas quatuor dies, antequam sanaretur, respondit: «De nocte stabam in domo domini regis, que modo destructa est, et de die apud sepulcrum predictum».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogata, si maritus eius est dives, vel pauper, respondit: «Dives homo, sicut burgensis».

Interrogata, si est libera vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Henricus, presbyter ordinis Premonstratensis et dominus Martinus, prior ecclesie sancti Michaelis eiusdem ordinis et Joannes Teutonicus, serviens domini Uberti Blanci inquisitoris, interpretes fuerunt in dicto isto in lingua teutonica.

Eadem die.[1]

LXIII.

Guirich,[2] **filius Damiani de villa Endreit,**[3] diocesis Quinqueeccle-siensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Istum filium meum in die ascensionis domini portavi ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et non fuit liberatus, et postea in octava pentecostes remisi eum ad dictum sepulcrum per fratrem meum, quando rediit domum, et sanatus est».

Interrogatus, de quo fuit sanatus dictus filius suus, quando rediit ad domum suam, ut dixit, respondit: «De pede, quem habebat curvum a nativitate sua».

Interrogatus, qualiter habebat dictum pedem curvum, respondit: «Quod non poterat ambulare cum planta pedis, sed cum crate».

Interrogatus, ubi fuit sanatus dictus filius suus, respondit: «Statim, quando venit domum, incepit ire cum illo pede».

Interrogatus de nomine fratris sui, qui portavit eum ad dictum sepulcrum, ut dixit? respondit: «Georgius, qui stat in predicta villa Endreit».

---

[1] Augusztus 15.

[2] A nápolyi legendában «Guirth.» Pars II. Cap. L.

[3] Ezt a helynevet meg nem határozhatjuk. Valószinüleg Endrédnek ejtetett ki.

Interrogatus de nomine dicti filii, respondit: «Laurentius».

Interrogatus, quot annorum erat tunc dictus puer, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si credit, quod sit duodecim annorum, respondit: «Nescio«

Interrogatus, si credit, quod sit quindecim annorum, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod ita incepit ire cum pede, ut dixit, respondit: «Tres anni fuerunt circa pentecostem».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense pentecostes».

Interrogatus de die, respondit: «In tertia feria».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In hora prandii».

Interrogatus, quomodo liberatus fuit dictus filius suus, respondit: «Sancta Margaretha liberavit eum, quam orabam».

Interrogatus, que verba dixit, quando oravit, ut dixit, respondit: «Dicebam, ‚Ave Maria'».

Interrogatus, in quo loco erat, quando oravit, ut dixit, respondit: «In domo mea et ubicumque eram».

Interrogatus, in quantum distat illa villa, in qua habitat, ab isto loco, respondit: «Tertia dimidia dieta».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus dicere hoc testimonium, respondit: «Non».

Frater Petrus, presbyter et rector ecclesie sancte crucis de Buda veteri et Martinus de Nitra, scholasticus eiusdem ecclesie interpretes fuerunt in dicto predicto.

Die Dominica decima sexta intrante Augustum.

LXIV.

Buda de villa Endreit, diocesis Quinqueecclesiensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc, nisi quod audivi, quod humilis fuit in vestibus et in aliis factis suis».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Iste puer, qui fuit heri ante vos, est filius fratris mei, et ibat cum crate pedis, et in ascensione domini pater suus portavit ipsum filium suum ad sepulcrum beate Margarethe, et non fuit liberatus, et reduxit eum ad domum, et tertius frater meus in octavis

pentecostes reduxit eum ad dictum sepulcrum, et quando reversus fuit domum, dictus puer ponebat recte pedem ad terram, et per illam septimanam incepit firmiter ambulare, et scimus, quod hoc factum fuit per gratiam sancte Margarethe».

Interrogatus de nomine patris pueri predicti, respondit: «Guirich».

Interrogatus de nomine pueri, respondit: «Laurentius».

Interrogatus, quomodo scit, quod pater dicti pueri portavit eum ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Hoc fecit de consilio meo».

Interrogatus, qui erant presentes, quando dedit sibi dictum consilium, respondit: «Vicini mei».

Interrogatus de nominibus ipsorum, respondit: «Janus, de aliis non recordor».

Interrogatus, quomodo scit, quod tertius frater suus portavit dictum puerum ad dictum sepulcrum, respondit: «Quia hoc fecit de consilio meo similiter».

Interrogatus, qui erant presentes, quando dedit sibi dictum consilium, respondit: «Tantum temporis est, quod non possum scire».

Interrogatus de nomine dicti tertii fratris sui, respondit: «Georgius».

Interrogatus, quot annorum erat tunc dictus puer, respondit: «Non scio annos nominare, sed scio, quod tunc cadebant primi dentes de ore suo».

Interrogatus, quanto tempore ivit cum crate pedis, respondit: «De ventre matris sue (usque dum) sic sanatus est».

Interrogatus, quomodo scit, quod quando dictus tertius frater suus reversus fuit ad domum suam cum dicto puero, dictus puer incepit ire fortiter per septimanam illam, ut dixit, respondit: «Ego sto secum in una domo».

Interrogatus, quomodo scit, quod per gratiam sancte Margarethe hoc factum fuit, ut dixit, respondit: «Scio, quia quando reversus fuit, incepit tunc sic ambulare».

Interrogatus, que est illa sancta Margaretha, per gratiam cuius hoc factum est, respondit: «Hec est illa sancta Margaretha de insula».

Interrogatus, ad cuius invocationem hoc factum fuit, ut dixit, respondit: «Ad invocationem istius sancte Margarethe».

Interrogatus, qui erant presentes, quando ad invocationem istius sancte Margarethe hoc factum fuit, quod dixit, respondit: «Quid ego scio? multi».[1]

---

[1] A vallomás vége és azután egy-két teljes vallomás hiányzik.

Die Lune vigesima quarta mensis Augusti.

LXV.

Elisabeth, uxor Michaelis de Gisnod,[1] Colocensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Frater meus dixit mihi, quod Dumbo inimicus suus ceperat eum, et ligaverat sibi manus cum quadam corrigia, et ad pedes suos posuerat sibi duas ferreas, et postmodum posuit eum in quadam navi, et volebat eum submergere cum duabus molis, et ipse frater meus tunc rogavit beatam Margaretham, quod ab illo periculo liberaret eum, et statim dicta corrigia fracta fuit, et habuit manus liberatas, et adhuc rogavit pro ferreis quas habebat in pedibus, et incontinenti exivit occrea de uno pede dicte ferree; sed primo, antequam rogasset, voluit extrahere dictas ferreas, sed non potuit, et quando fuit disligatus, cum remo percussit eum qui erat in navi, et evasit, et omnia predicta dixit mihi frater meus».

Interrogata de nomine patris sui, respondit: «Nicolaus, filius Johante de Barant».

Interrogata, qui erant presentes, quando dixit sibi predicta verba, respondit: «Marcus, filius meus mecum erat, quando dixit mihi predicta verba, et vidi, quando dictus filius meus traxit sibi dictam ferream de alio pede».

Interrogata, quot anni sunt, quod dictus frater suus dixit sibi predicta, respondit: «Hoc anno circa festum sancti Georgii».

Interrogata de mense, respondit: «De mense post pascha».

Interrogata de die, respondit: «Die Veneris, qui fuit ante illud festum sancti Georgii».

Interrogata de hora diei, quando sibi dixit predicta, respondit: «Quando galli cantabant venit ad domum meam, et dixit mihi predicta».

Interrogata, ubi stat ille Dumbo, respondit: «In Tiudei[2] predicte diocesis».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera et de nobili progenie».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Satis dives».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

---

[1] A nápolyi legendában ez a helynév egyszer Dindex-nek egyszer Sisnod-nak iratik. (Pars II. Cap. LIX.) Talán helyesen Disnod-nak kellett volna iratnia. A helyet meg nem határozhatjuk

[2] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

Eadem die.[1]

LXVI.

Matheus, filius Michaelis de Gisnod[2] diocesis Colocensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Audivi, quod ista sancta Margaretha semper fuit sancte vite et conversationis».

Interrogatus, a quibus audivit, respondit: «A monialibus cognatis meis, que manent in Pest».[3]

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Duo fratres matris mee capti fuerunt per quemdam malum hominem, quorum unus custodiebatur in uno curru, et alius positus fuit in una navi, et ligate sibi fuerunt manus et brachia post tergum cum quibusdam corrigiis, et posite sibi fuerunt due boge[4] ad pedes, et ligatus fuit in collo cum una soga,[5] et posite fuerunt due mole de molendino in dicta navi, et duo homines, qui ibant in alia navi ei dicebant: ‚Nos debemus te submergere cum istis molis'; et tunc ipse rogavit istam sanctam Margaretham, quod liberaret eum ab isto periculo, et ipse faceret peregrinationem ad sepulcrum suum, et tunc statim corrigia, cum qua habebat ligatas manus, fracta est, et alia corrigia, cum que habuit ligata brachia, disligavit, et collum similiter disligavit, et accepit remum, et percussit unum ex illis, et statim fugerunt, et postea venit ad quamdam insulam parvam, et extraxit sibi unam bogam de uno pede cum occrea, et aliam ego fregi, quando venit ad domum meam de nocte circa galli cantum, et tunc ipse narravit mihi et dicte matri mee Elisabeth omnia predicta, que sibi evenerant; sed ego non fui presens, quando captus fuit, sed domi accepi sibi bogam, sicut supra dixi».

Interrogatus de nominibus fratrum dicte matris sue, respondit: «Nicolaus et Johanta».

Interrogatus de nomine illius mali hominis, qui cepit eos, ut dixit, respondit: «Dombo de Tiudei, Colocensis diocesis».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus Nicolaus dixit sibi predicta et liberatus fuit, ut dixit, respondit: «In hoc anno, circa festum sancti Georgii».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense post pascha».

---

[1] Augusztus 24.

[2] L. a megelőző vallomásnál az 1. számú jegyzetet.

[3] Pesti apáczákról történelmi emlékeink nem szólnak.

[4] Boga, catena. (Du Cange).

[5] Soga olasz szó: szíjj.

Interrogatus de die, respondit: «Inter feriam quintam et feriam sextam». De hora diei dixit supra.

Interrogatus, si aliqui alii presentes fuerunt, quando dixit sibi et predicte matri sue predicta, respondit: «Sic, Michael, pater meus».

Interrogatus, qui erant presentes, quando fregit predicto Nicolao bogam, ut dixit, respondit: «Dictus Michael, pater meus et mater mea».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Bene possum habere triginta annos».

Interrogatus, si est liber, vel servus, respondit: «Liber et nobilis».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Satis habeo, nisi spoliar».

Interrogatus, si est doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Martinus de Nitra, scholasticus ecclesie sancte crucis de Buda [1] interpres fuit in dictis predictorum duorum testium.

Die Martis vigesima quinta Augusti.

LXVII.

Thomas, filius Pautha de Gisnod,[2] Colocensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Quidam meus cognatus captus fuit per quemdam inimicorum suorum, qui vocatur Dumbo et per quosdam servientes ipsius, et dixit mihi predictus cognatus meus, quod illi volebant eum occidere, sed timebant eum occidere in aperto, quia nobilis erat, unde miserunt eum in quadam navi, ut facerent eum necari in Danubium, et duo servientes predicti Dumbo intraverunt aliam navim, et sic ducebant eum ligatum in manibus post dorsum suum, et collum habebat ligatum, et bogam habebat circa gambas, et volebant eum cum petris grossis mittere in aquam, ut necaretur ibi, et dictus meus cognatus rogavit sanctam Margaretham, quod liberaret eum de illa morte, et manus disligate fuerunt, et accepit remum, et percussit unum ex illis, et sic liberatus fuit de illa morte per merita ipsius sancte Margarethe».

Interrogatus, quod est nomen dicti cognati sui, respondit: «Nicolaus de Barand, diecesis Colocensis».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus cognatus suus captus fuit per pre-

---

[1] Erről a templomról emlékeink nem szólnak.

[2] L. a LXV. vallomásra tett 1. számú jegyzetet.

dictos, respondit: «Audivi hoc dici a dicto Nicolao, cognato meo, et a multis aliis, sed non fui presens».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus cognatus suus dixit sibi, sicut predicti inimici sui volebant eum submergere in aqua Danubii, ut necaretur ibi, et quod per merita ipsius sancte Margarethe liberatus fuerat, respondit: «Fuit in isto anno, iuxta festum sancti Georgii».

Interrogatus de mense, respondit: «Nescio menses».

Interrogatus de die, (respondit): «Quadam die Veneris, ante predictum festum».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In illa nocte liberatus fuit, et sequenti die hoc mihi dixit».

Interrogatus, qui erant tunc presentes, quando dixit sibi predicta verba, respondit: «Dominicus cognatus, et de aliis nescio».

Interrogatus, in quo loco erat, quando dixit sibi predicta, respondit: «Ante domum meam».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Dives homo fui, sed modo pauper, quia spoliatus sum».

Interrogatus, si est liber, vel servus, respondit: «Liber et nobilis».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXVIII.

Cosma de Batatinio,[2] Colocensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Quidam malus homo, qui vocatur Dumbo, cepit duos cognatos meos, Nicolaum et Johantam fratres, et volebat interficere eos, Nicolaum volebat necare et Johantam volebat interficere in campis, et liberati sunt propter merita beate Margarethe, et venerunt ad domum cum ferro ad gambas, et tunc narrarunt mihi, sicut eis evenerat, et sicut liberati fuerunt per merita istius sancte Margarethe».

Interrogatus, quot anni sunt, quod predicti Nicolaus et Johanta dixerunt sibi predicta, respondit: «Post pascha, circa festum sancti Georgii».

Interrogatus de mense, respondit: «Nescio».

---

[1] Augusztus 25.

[2] Ezt a helynevet, a mely bizonyára el van ferdítve, meg nem határozhatjuk.

Interrogatus de die, respondit: «Credo, quod die Veneris».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In mane».

Interrogatus de loco, respondit: «In domo mea».

Interrogatus de presentibus, respondit: «Anastasia, uxor mea et alia familia mea».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber et nobilis».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Satis sum dives».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXIX.

Elech, filius quondam Cuti, de villa Caren,[2] Colocensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio dicere de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Nicolaus et Johanta fratres de villa Barand[3] capti fuerunt per Dumbo inimicum ipsorum, et ipse Dumbo faciebat duci Nicolaum ad Danubium, ut ibi necaretur, et quando fuit in ripa Danubii, et deberent intrare quamdam navem, in qua erant due mole, cum quibus debebat mitti in aquam, ut necaretur, et ipse Nicolaus rogavit beatam Margaretham, ut liberaret eum ab illa morte, et intravit navem illam, et illi, qui ducebant ipsum, intraverunt aliam navem, et cum ipse Nicolaus haberet manus ligatas post spallas cum corrigia, et collum similiter haberet ligatum multum fortiter, et ad pedes haberet ferrum, unus illorum tenebat eum per ligaturam, quam habebat ad collum, et semper rogabat beatam Margaretham, ut liberaret eum, et ita stando sic sensit, quod manus sue disligate erant, et accepit remum et percussit eum, qui tenebat illum, et sic fugit de manibus illorum, et illi querebant eum, sed non poterant invenire, quia de nocte erat, et quando ille Nicolaus fuit in terra, adhuc rogavit beatam Margaretham, quod disligaretur de ferreis, quas habebat in pedibus, et tunc de uno pede cum occrea exivit ferrea, et sic venit ad domum suam cum illa ferrea».

Interrogatus, quomodo scit, quod capti fuerunt dicti Nicolaus et Johanta, ut dixit, respondit: «Vidi eos ligatos».

---

[1] Augusztus 25.

[2]—[3] Ezt a két helyet meg nem határozhatjuk.

Interrogatus, si aliqui erant presentes secum, quando sic vidit eos sic ligatos, respondit: «Sic, servientes mei, Ohuandus, de aliis non recordor».

Interrogatus, in quo loco capti fuerunt, respondit: «In villa Hatt».[1]

Interrogatus, quomodo scit, quod capti fuerunt ibi, respondit: «Non fui presens, quando capti fuerunt, sed postea vidi eos ligatos, sicut dixi superius».

Interrogatus, quomodo scit, quod Nicolaus ductus fuit ad Danubium, ut ibi necaretur, respondit: «Ipse Nicolaus dixit mihi, quando liberatus fuit, omnia, que sibi evenerant, et sic per merita beate Margarethe liberatus fuit, sicut rogaverat eam».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dixit sibi predicta, respondit: «Circa festum sancti Georgii, quod fuit de isto anno».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense, quo solitum est evenire festum sancti Georgii».

Interrogatus de die, respondit: «Nescio».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In mane».

Interrogatus de presentibus, quando dixit sibi predicta verba, respondit: «Multi erant; et stetit per tres dies tunc in domo mea».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Dives».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber et nobilis».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Frater Martinus, prior ecclesie sancti Michaelis de insula interpres fuit in dictis Thome filii Paute, Cosme et Elech.

Die Sabathi vigesima nona[2] *mensis Augusti.*

LXX.

Gunig,[3] **uxor Nicolai de villa Tarnocz,**[4] diocesis Vaciensis, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Habui duos filios in uno partu, et puellam inveni mortuam in brachiis meis, de nocte in lecto meo, et sepulta fuit, et postea alterum inveni mortuum in lecto meo, et

---

[1] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

[2] A kéziratban «octava» áll. De a szombati nap augusztus 29-re, nem 28-ra esett.

[3] A következő vallomásban «Cunig», a nápolyi legendában «Gunig» áll. (Pars. II. cap. LXII.)

[4] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

tenebam pedes suos in brachiis meis, et exivi de lecto, et incepi plorare et clamare super illum puerum, et tangebam eum, et non se movebat, sicut mortuus, et multum eram tristis et spaventata,[1] sic iste filius meus erat mortuus, sicut et alius; et rogavi istam sanctam Margaretham, quod istum meum filium faceret vivum, si verum esset, quod faceret miracula; et quando audivi, quod ipsa faciebat miracula, istud devenit mihi de isto puero, et quando multum rogavi, iste filius meus, qui est hic, habuit vitam, qui mortuus fuerat».

Interrogata, quot anni sunt, quod habuit predictos filios in uno partu, respondit: «Septem».

Interrogata, quanto tempore vixit ille, qui prius mortuus est et sepultus, ut dixit, respondit: «A carnisprivio usque ad festum sancti Martini».

Interrogata, quanto tempore vixit alius, qui est hic, post mortem alterius, antequam invenisset eum mortuum iuxta se, ut dixit, respondit: «Usque ad festum sancti Andree, quod tunc venit».

Interrogata de hora noctis, in qua invenit eum mortuum, ut dixit, respondit: «Circa primum somnum».

Interrogata, quantum stetit sic mortuus, respondit: «Usque ad auroram».

Interrogata, ubi stabat tunc, quando invenit istum, de quo loquitur, mortuum, ut dixit, respondit: «In illa villa, in qua sto modo».

Interrogata de nomine ville? respondit: «Nenigh[2] dicitur».

Interrogata, in qua villa nati fuerunt predicti filii sui, respondit: «In predicta villa Tarnoch».

Interrogata, si habitat modo cum marito suo in eadem domo, in qua mortuus fuit iste filius suus, ut dixit, de quo loquitur, respondit: «Non, quia domus ista deserta est».

Interrogata, si aliqui vicini sui sciverunt de morte istius filii sui, qui modo vivit, respondit: «Nullus scivit, nisi maritus et familia mea».

Interrogata de nominibus illorum, qui erant tunc de familia sua, respondit: «Anguilla, filia mea et filius meus Alexander, et vivunt».

Interrogata, quantum distabant vicini sui, qui magis stabant prope domum suam a domo illa, in qua iste filius suus, qui modo vivit, mortuus fuit, ut dixit, respondit: «Quantum posset sagittare unus homo cum arcu».

Interrogata, si predicti vicini adhuc stant in illa villa, in qua tunc stabant, respondit: «Sic, quia servi sunt domini Velig, qui ibi stant».

Interrogata, quot mansiones possunt esse in dicta villa, respondit: «Quinque».

Interrogata, si aliquibus tunc temporibus dixit, sicut iste filius suus mortuus fuerat, ut dixit, respondit: «Quasi tota provincia scivit».

---

[1] Spaventato olasz szó: megijedt.

[2] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

Interrogata, quot anni sunt, quod mortuus fuit et resuscitatus filius suus, ut dixit, respondit: «Sex anni».

Interrogata de mense, respondit: «De mense sancti Andree».

Interrogata de die, que precedebat illam noctem, respondit: «Die Jovis». De hora dixit supra et de loco, in quo mortuus fuit, et de illis, qui presentes fuerunt.

Interrogata, ad cuius invocationem resuscitatus fuit, ut dixit, dictus filius suus, respondit: «Clamabam sanctam Margaretham, filiam domini regis Bele».

Interrogata de nomine pueri, respondit: «Sebastianus».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Pro certo nescio».

Interrogata, si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera et nobilis».

Interrogata, si maritus est dives, vel pauper, respondit: «Satis dives».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXI.

Nicolaus de Tarnoch, Vaciensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Non fui conversatus hic, sed audivi dici, quod sancta domina fuit».

Interrogatus, a quibus audivit, respondit: «A fratribus et aliis christianis».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Quodam tempore de mense sancti Martini, sicut credo, circa festum sancti Andree, filius meus Sebastianus, qui modo fuit hic, de nocte fuit inventus mortuus apud Gunig uxorem meam et matrem dicti pueri, et ipsa uxor mea, quando invenit eum mortuum sic, et filia mea Anguilla inceperunt ululare et clamare, et ego, qui iacebam in curte, prope animalia nostra, quando hoc audivi, ivi ad ostium et cepi dicere: ‚Quid est illud quod habetis? Aperiatis mihi ostium;' et ipse non aperiebant mihi, sed clamabant et ululabant, et ego cepi clamare: ‚Aperiatis ostium;' et tunc dicta filia mea aperuit ostium, et ego intravi, et vidi dictum filium meum mortuum, et hoc fuit circa primum somnum, et accepi eum in manibus meis, et cepi palpare et videre, si habebat aliquid de spiritu, et nihil habebat de spiritu, sed mortuus erat; et tunc dicta uxor mea incepit clamare ad istam sanctam Margaretham, quod redderet sibi filium suum, ne videretur mortuus in brachiis suis, quia iam fuerit in simili periculo, et

[1] Augusztus 29.

postea moreretur, quando sibi placeret; et ita iacuit mortuus, donec galli cantaverunt bis, et tunc uxor mea dixit mihi: ‚Videtur, quod puer noster sit calidus, et credo quod spiritus rediit in ipsum;' et ego dicebam, sibi: ‚Deus fecit multa miracula, sed iste puer mortuus est;' et iste puer ita stetit usque ad auroram, et factus est vivus».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus filius suus Sebastianus inventus fuit mortuus apud uxorem suam, ut dixit, respondit: «Non computavi annos, sed sunt sex anni, sicut credo».

Interrogatus, qui erant presentes, quando predicta uxor sua rogavit beatam Margaretham, sicut dixit, respondit: «Dicta filia mea (Anguilla) et dictus filius meus Alexande r».

Interrogatus, quando dictus filius suus factus est vivus, ut dixit, respondit: «Predicta uxor mea et filia mea Anguilla et Alexander filius meus et multi alii».

Interrogatus de die, que precessit noctem illam, quando dictus puer sic inventus est mortuus, ut dixit, respondit: «Dies Jovis».

Interrogatus, quale fuit istud periculum simile, in quo fuit uxor sua, respondit: «Primum est periculum, quod filius meus mortuus erat, secundum periculum est, quod mortuus erat in brachiis uxoris mee».

Interrogatus, ubi est illa domus, in qua dicitur puer mortuus fuisse et vivus factus, ut dixit, respondit: «In villa Nenigh,[1] que villa est domini Veligh, sed illa domus modo est deserta».

Interrogatus, ubi stat modo, respondit: «In eadem villa».

Interrogatus, qui erant vicini sui tunc, respondit: «Nullum habebam vicinum prope».

Interrogatus, quantum poterat distare proximior vicinus, quem habebat a domo sua, respondit: «Quantum potest sagittare unus homo cum arcu».

Interrogatus, si vicini, qui tunc morabantur in dicta villa de Nenigh, quando dictus filius suus mortuus fuit et factus vivus, ut dixit, modo stant ibi, respondit: «Sic, predictus dominus Veligh et servi sui et ancille, que habitant ibi».

Interrogatus, si predicti dominus et alii vicini tunc sciverunt aliquid, quod dictus filius suus mortuus fuerit et factus vivus, ut dixit, respondit: «Sequenti die omnibus dixi quos inveni, sicut mihi devenerat».

Interrogatus de nominibus illorum, quibus hoc dixit, respondit: «Nicolao, servo ipsius domini Velicz (et) Tilnalo, Cephdeva, que sunt ancille ipsius domini».

Interrogatus, ad cuius invocationem dictus filius suus factus fuit vivus, ut dixit, respondit: «Ad invocationem sancte Margarethe, filie regis Bele».

Interrogatus, quot anni sunt, quod ista sancta Margaretha, de qua loquitur, est mortua, respondit: «Non computavi annos».

---

[1] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

Interrogatus, si habuit alium filium de dicta uxore sua, ab octo annis circiter, respondit: «Non».

Interrogatus, quot annos habet iste filius suus Sebastianus, respondit: «Sex, sicut credo, sed dicta mater sua melius scit».

Interrogatus, si quando natus fuit iste filius suus Sebastianus de dicta uxore sua, alius natus fuit cum eo in eodem partu, respondit: «Sic, quedam puella, quam mater sua invenit mortuam in cunabulo».

Interrogatus, si dicta puella inventa fuit mortua antequam predictus Sebastianus, filius suus inventus fuerit mortuus et factus vivus, ut dixit, respondit: «Sic».

Interrogatus, per quantum tempus mortua fuit, antequam dictus Sebastianus, inventus fuit mortuus et vivus, ut dixit, respondit: «Dicta puella in die sancti Martini mortua inventa fuit et sepulta, et predictus Sebastianus, filius meus, postea inventus fuit mortuus et vivus circa festum sancti Andree»[1].

Interrogatus, si scit, in quantum distat domus illa, in qua mortuus fuit dictus Sebastianus, ut dixit, et in qua tunc stabat pater suus et mater sua, ab isto loco, in quo sumus, respondit: «Usque ad meridiem possemus venire huc».

Interrogatus, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Non sum dives».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Non sum servus».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[2]

LXXII.

Anguilla, filia predicti Nicolai de Tarnocz, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nescio de illo».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Iste parvus, qui fuit hic, quem vos vidistis, iacebat in lecto iuxta matrem suam, et ipsa mater sua in nocte cepit plorare et clamare, et ego surrexi et dixi: ‚Quid est hoc?' Et ipsa respondit: ‚Inveni filium meum mortuum;' et ego accendi candelam unam, et inveni eum mortuum in brachiis suis, et mater sua ponebat eum in terra, et lavabat, et semper mortuus erat, et stetit sic mortuus, donec galli cantarent per duas vices, et ipsa mater nostra clamabat ad sanctam Margaretham, et ipsa dice-

[1] Ez a pont a kéziratban összekuszált szórendet tüntet föl, a melyet a helyes értelem szerint állítottunk vissza.

[2] Augusztus 29.

bat: ‚Sancta Margaretha, tu fecisti multa miracula, facias, quod iste filius meus vivat;' et stando sic dixit mater nostra: ‚Videtur mihi, quod calidus sit;' et ego tetigi eum, et calidus erat, et iuxta auroram factus est vivus, et vivit, sicut vos videtis».

Interrogata de nomine matris, respondit: «Gunigh».

Interrogata de nomine dicti pueri, respondit: «Sebastianus».

Interrogata, ubi iacebat tunc dicta mater sua, respondit: «In villa Nenig».

Interrogata, si iacebat in domo, vel extra domum, respondit: «In domo».

Interrogata, si modo stat dicta mater sua in eadem domo, in qua tunc iacebat, respondit: «Non, sed in alia domo».

Interrogata, si modo stat in eadem villa, respondit: «Sic».

Interrogata, si in illa domo, in qua tunc stabat, modo stat aliquis, respondit: «Non».

Interrogata, si aliqui alii sciverunt, quod dictus Sebastianus erat mortuus, sicut dixit, respondit: «Nulli, nisi nos, qui eramus ibi».

Interrogata, qui erant ibi alii, qui erant tunc ibi, respondit: «Pater meus, qui de foris venit et frater meus, qui est maior me, et ipsa mater mea».

Interrogata de nomine fratris sui, respondit: «Alexander».

Interrogata, quomodo dictus pater suus intravit domum, respondit: «Per ostium».

Interrogata, si tunc erat ostium apertum, vel firmatum, respondit: «Firmatum, et ego aperui sibi».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus Sebastianus mortuus fuit, ut dixit, respondit: «Quia inveni eum mortuum in brachiis matris sue».

Interrogata, si tunc tetigit eum, respondit: «Sic, quando portavi candelam».

Interrogata, si tunc erat calidus, vel frigidus, respondit: «Tamquam glacies».

Interrogata, ad cuius invocationem dictus puer tunc factus fuit vivus, ut dixit, respondit: «Ipsa mater nostra invocabat sanctam Margaretham».

Interrogata, ubi est illa sancta Margaretha, respondit: «Hic, ad quam venimus in peregrinationem, que fuit filia regis Bele».

Interrogata, si iuxta domum, in qua mortuus fuit dictus puer, ut dixit, stabant tunc alique persone, respondit: «Nullus».

Interrogata, quantum erant remote ille domus, in quibus stabant ille persone, que magis vicine erant domui predicte, respondit: «Ille, qui erat magis vicinus noster, erat dominus ville, et domus sua erat tantum longe a domo nostra, quantum posset sagittare unus arcus».

Interrogata, si dictus dominus ville, vel alii de magis vicinis sciverunt aliquid, sicut mortuus erat dictus Sebastianus, respondit: «Nullus».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortuus est dictus Sebastianus et factus vivus, ut dixit, respondit: «Sex anni».

Interrogata, de mense, quo mortuus fuit, respondit: «De mense sancti Andree».

Interrogata de die precedente illam noctem, respondit: «Die Jovis».

Interrogata, quot annorum est dictus puer, respondit: «Septem».

Interrogata, si mater sua habuit alium filium in eodem partu cum dicto Sebastiano, respondit: «Sic, puellam unam».

Interrogata, quid factum est de illa puella, respondit: «Mater sua invenit eam mortuam in cunabulo, et sepulta fuit, prius quam iste puer moreretur, unde magis dolebat de morte ipsius pueri».

Interrogata, quanto tempore stetit iste puer, antequam moreretur, et factus fuerit vivus, ut dixit, postquam illa puella fuit mortua et sepulta, respondit: «Illa puella fuit mortua in festo sancti Martini, et iste puer mortuus fuit post festum sancti Martini, circa festum sancti Andree».

Interrogata, si scit, quantum distat domus illa, in qua mortuus fuit dictus puer, ut dixit, et in qua stabat puer suus, et mater sua, ab isto loco, in quo sumus, respondit: «Usque ad meridiem possumus venire huc».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est ista virgo Margaretha, de qua loquitur, respondit: «Nescio, sed credo, quod sunt septem anni».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, si umquam habuit maritum, respondit: «Maritum habeo, qui habet nomen Marcellus».

Interrogata, si maritus eius est dives, vel pauper, respondit: «Nec dives, nec pauper».

Interrogata, si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Dominus Joannes, cantor ecclesie Budensis et Martinus scholasticus ecclesie sancte crucis interpretes fuerunt modo predicto in dictis predictorum Gunigh, Nicolai et Anguille.

Eadem die.[1]

LXXIII.

Elisabeth, soror Thomasii, qui stat in suburbio castri Bude, iuravit, ut supra.

Interrogata, super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Ego nihil volo dicere de isto».

---

[1] Augusztus 29.

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «De mense sancti Michaelis, quando vindemie sunt, ivi ad quamdam vineam, in qua fuit pater meus, et steti ibi usque ad vesperas, et quando veni ad domum, dabam comedere cani cuidam ligato in domo mea, et quidam canis niger et magnus et nimis horribilis ad videndum passavit iuxta me, et habui magnam pauram[1] in tantum, quod ego exivi de casa illa, et intravi in aliam casam, et vidi super fenestras que erant ibi, tres homines tam pulchros et splendidos, quod ego non poteram inspicere, et habui maiorem pauram quam antea, et nescivi, quid esset de me, et fui sine mente, et accepi spatam unam, et cucurri supra patrem et matrem meam, nec sciebam qui essent, nec ubi essem; sed bene scio, quod ligabant mihi manus post renes meos, et ponebant ferream de equo circa gambas meas strictas, quantum poterant, et illa ferrea per se aperiebatur, quod ego poteram andare,[2] et remanebat ibi ferrea, et pluries devenit hoc mihi, sicut bene recordor, et steti in tali statu usque ad festum sancti Antonii, quando veniebat, et in illo festo fui ducta ad istud sepulcrum sancte Margarethe, et fui sanata et habui mentem meam incontinenti».

Interrogata, cuius domus erat illa, in qua erat ligatus ille canis, respondit: «Patris mei».

Interrogata, de presentibus, quando vidit illum canem nigrum, ut dixit, respondit: «Nullus».

Interrogata, ubi est illa domus, respondit: «In Coan,[3] ubi stabat pater meus».

Interrogata quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Quinque».

Interrogata de nominibus patris et matris sue, respondit: «Pater vocatur Acileus et mater Fera».

Interrogata, qui erant illi, qui ligabant sibi manus et ponebant ferream ad pedes, ut dixit, respondit: «Pater meus et mater mea».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui duxerunt eam ad dictum sepulcrum, respondit: «Nescio, sed dictorum . . . .»[4]

LXXIV.

(Fera uxor Acilei)[5] « . . . veni ad monasterium istud, in quo stabam, quando habebam febrem, et sperabam multum de ea, et liberata fui».

[1] Paura, olasz szó: «félelem».

[2] Andare, olasz szó: «menni».

[3] A nápolyi legendában «Choan». (Pars. II Cap. XXII.) Buda városának ilyen vagy hasonló nevű külvárosáról nincs tudomásunk.

[4] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[5] Ezt a vallomást, melynek eleje hiányzik, mint a tartalom kétségtelenné teszi, FERA asszonyé, Acileus feleségeé, a megelőző vallomást tevő Erzsébet asszony anyjáé.

Interrogata, si aliquid vult dicere super miráculis, respondit: «Elisabet, filia mea, quam vidistis, sine mente facta fuit, et tenebamus eam in ferrea et in aliis ligaturis, et ducta fuit sic ligata in quadam navi ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et quando fuit ibi, sanata fuit».

Interrogata, quanto tempore dicta filia sua ita fuit sine mente, ut dixit, respondit: «A festo sancti Galli, in quo inciduntur olera, usque ad festum sancti Antonii duravit sibi malum illud».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui duxerunt ipsam sic ligatam ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Lucas, frater meus et ego et maritus meus».

Interrogata, quomodo scit, quod sanata fuit apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Quia presens fui, et stando ibi circa sepulcrum loquebatur recte et bene».

Interrogata, si aliqui alii erant presentes, qando sanata fuit sic apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ego et pater suus et multi alii, de quibus non recordor».

Interrogata, si ipsa, vel maritus suus dicebant aliqua verba quando tenebant eam apud dictum sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Eramus in tanto dolore et tremore, quod nesciebamus quid faceremus, quia ipsa loquebatur lingua sclavica, teutonica et nostra lingua».

Interrogata, si scit, ad cuius invocationem sanata fuit, respondit: «Ad invocationem sancte Marie et ad invocationem istius sancte Margarethe».

Interrogata, qui erant illi, qui invocabant sanctam Mariam et sanctam Margaretham, ut dixit, respondit: «Omnes, qui erant in ecclesia, orabant pro ea».

Interrogata, quomodo[1] scit, quod orabant pro ea, nescivit respondere.

Interrogata, quot anni sunt, quod sic sanata fuit, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio bene de mense, sed fuit sequenti die post festum sancti Antonii».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata, de hora diei, respondit: «In hora misse».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Dives eram, sed modo sum pauper».

Interrogata si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

---

[1] A kéziratban hibásan: quando.

Eadem die.[1]

LXXV.

Nicolaus, qui stat in villa sancte Elisabethe Vaciensis diocesis, qui fuit de Irich,[2] iuravit, ut supra.

Interrogatus, super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Scio, quod fuit filia regis, et audivi, quod humiliavit se et paupertatem diligebat».

Interrogatus, a quibus audivit, quod humiliabat se et paupertatem diligebat, ut dixit, respondit: «A fratribus audivi, quia sum confrater huius domus».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Quidam, qui vocabatur Petrucius de genere Catha,[3] qui est maritus sororis uxoris mee, quodam tempore ita fuit infirmus, quod iacebat in lecto sicut lignum, et non poterat movere manus, nec pedes, nec loqui poterat, nec comedere, nisi quando ponebatur cibus in os suum per unam pennam, et duravit sibi illa infirmitas quasi per tres annos, et in somnis apparuit sibi ista sancta Margaretha et palpabat eum et dicebat: ‚Quid facis miser?' Et in secunda nocte apparuit sibi et dixit: ‚Surge', et precepit sibi quod deberet venire ad istud sepulcrum, ut sanaretur hic; et tunc, quando hoc dictum fuit sibi, statim surrexit et sanatus est, et quando pueri sui hoc viderunt, aliqui ridebant, aliqui flebant, et sequenti die cognati sui venerunt ad eum pro miraculo isto pro eo facto, et postea in curru duxerunt eum ad domum meam, et de domo mea postea ductus fuit ad sepulcrum istius beate Margarethe, et tunc[4] apud sepulcrum incepit dicere et exponere omnia, que sibi devenerant».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Petrucius ita infirmus fuerit, quod iacebat in lecto, sicut lignum et quod non poterat movere nec manus, nec pedes, nec loqui, nec comedere nisi apponeretur sibi cibus in ore, ut dixit, respondit: «Qualiter nescio, quia cognatus meus est?»

Interrogatus, si per illos tres annos continue ita graviter fuit infirmus, ut dixit, respondit: «Fuit ita graviter infirmus, quod non poterat se movere, sicut lignum».

Interrogatus, si per illos tres annos semper fuit sibi cibus ita positus cum penna in ore, ut dixit, respondit: «Sic».

---

[1] Augusztus 31.

[2] Ezt a két helyet meg nem határozhatjuk.

[3] A magyar legendában: Kaatay Petris. 63.

[4] A kéziratban, hibásan: hunc.

Interrogatus, quomodo scit, quod cibus ita administraretur sibi cum penna per totum illud tempus, ut dixit, respondit: «Scio, quia cognatus meus est».

Interrogatus, (quomodo scit) quod dicta Margaretha virgo apparuit sibi Petrucioet dixit sibi predicta verba, respondit: «Quia ipse Petrucius ante altare clamavit hoc».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Petrucius post verba sibi dicta per virginem Margaretham, ut dixit, surrexit, et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Audivi ab eo».

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui duxerunt eum ad predictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ego et uxor dicti Petrucii et due filie sue».

Interrogatus de nominibus uxoris et filiarum dicti Petrucii, respondit: «Nomen uxoris nescio, nomen unius filii est Vramus, et nomen alterius nescio».

Interrogatus, quomodo duxerunt eum ad dictum sepulcrum, respondit: «Usque ad Danubium venimus in curru, et Danubium transivimus per navem, et postea cum pedibus suis ivit ad sepulcrum predictum».

Interrogatus, qui erant presentes, quando dictus Petrucius stans apud sepulcrum predictum exposuit omnia, que sibi devenerant, ut dixit, respondit: «Tria millia hominum et plurimi».

Interrogatus de nominibus aliquorum illorum trium millium, respondit: «Quomodo possum connumerare totum regnum?»

Interrogatus, si dictus Petrucius, postquam fuit sic sanatus, ut dixit, habuit predictam infirmitatem, vel similem, respondit: «Numquam».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus Petrucius ita liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Tres anni».

Interrogatus, de quo mense, respondit: «De mense pentecostes».

Interrogatus de die, respondit: «Nescio».

Interrogatus, in qua hora noctis sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Circa diem».

Iterum rogatus, quomodo scit hoc, respondit: «Dictus Petrucius dixit mihi».

Interrogatus, quot annos habet, respondit: «Credo, quod habeam centum annos».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Nec dives, nec pauper».

Interrogatus si est liber, vel servus, respondit: «Liber et nobilis».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Die Martis prima intrante Septembrem.

LXXVI.

Maria, uxor Joannis de Meger,[1] Vaciensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe respondit: «Nihil scio de hoc.»

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Eram contracta in genibus circa pasta, (?) et nullo modo poteram extendere gambas ad ambulandum, et si volebam ire, semper tenebam genua mea circa pectus meum, et nates ad terram, et trahebam me sic, et steti sic usque ad festum sancti Jacobi, quod veniebat, et portata fui ad illud sepulcrum sancte Margarethe, et antequam fuissem sanata, steti per duas septimanas ad illam ecclesiam, ubi erat sepulcrum, super currum, qui non habebat nisi duas rotas, et quadam die eram portata ad ecclesiam, (et) habebam verecundiam ire ad sepulcrum propter multos homines, qui erant ibi, et cogitavi, quare non vado sicut possum, et cepi me trahere per terram versus sepulcrum, et due femine ceperunt mea brachia et dixerunt: ‚Quare non surgis?;' et ego dixi: ‚Non possum surgere;' et ille dixerunt: ‚Iuvabimus te, surgas;' et distendi gambas, et surrexi, et recta ivi cum pedibus ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et sanata fui, et illi, qui viderunt (me) prius contractam et postea sanatam, dixerunt hoc fratribus, et fratres dixerunt sororibus, quod cantarent «‚Te Deum laudamus;' et cantaverunt, et pulsaverunt campanas».

Interrogata, si scit causam infirmitatis sue, respondit: «Habui acutam, et ex illa infirmitate facta fui contracta»

Interrogata, qui fuerunt illi, qui portaverant eam ad dictum sepulcrum, quando stetit per duas septimanas, antequam sanata fuisset, respondit: «Maritus meus et Zegise, qui stat in eadem villa de Meger et alii homines de illa villa, qui veniebant ad sepulcrum».

Interrogata, quomodo portata fuit ad sepulcrum, respondit: «De domo mea ad Danubium, (?) et postea in navi portaverunt me usque ad insulam istam, et postea maritus meus portavit me in brachiis suis usque ad sepulcrum».

Interrogata de nominibus illorum aliorum hominum, respondit: «Nescio nominare».

Interrogata, in cuius domo stetit per illas duas septimanas, antequam sanaretur, respondit: «In domo cuiusdam monialis, que fuit uxor de uno, qui habebat nomen Elias, sed nomen monialis nescio».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui portaverunt eam ad ecclesiam illa die, qua sanat afuit, respondit: «Dicta monialis et alia monialis, que habebat nomen Margaretha».

[1] A kéziratban: Mejer. A magyar legendában: Meger. (Megyer).

Interrogata, que fuerunt ille femine, que ceperunt eam per brachia, quando surrexit et ivit ad sepulcrum, ut dixit, et sanata fuit, respondit: «Unam non cognovi, alia fuit illa, cuius erat currus, super quo fui portata ad ecclesiam, et nomen de illa nescio».

Interrogata, ad cuius invocationem sanata fuit, respondit: «Ego semper orabam istam sanctam Margaretham, sed Deus scit quod me liberavit».

Interrogata, quibus verbis interpositis, respondit: «Ego dicebam: ‚Deus, qui es salvator noster et sancta Maria, detis potestatem isti sancte Margarethe, quod sanet me, si verum est, quod ipsa sit sancta'».

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi infra illas duas septimanas, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Non, nisi quod frater Vincentius dedit mihi quamdam petiam, quam ipse dicebat fuisse de scapulario istius sancte Margarethe et aquam, quam dicebat esse lavaturam capillorum ipsius sancte Margarethe, cum quibus fricabam et lavabam genua mea».

Interrogata, qui erant presentes, quando frater Vincentius dedit sibi istam petiam et lavaturam, respondit: «Multi erant, sed nescio nominare».

Interrogata, si scit, ubi stat modo illa femina, que dabat sibi currum, respondit: «Non, sed stabat in ista insula, quando mihi dabat currum».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui viderant ipsam prorsus contractam et postea sanatam, ut dixit, et dixerunt hoc fratribus, respondit: «Unus habet nomen Jedomericus, qui colligebat offertas, que fiebant ad sepulcrum, sed nescio, ubi sit; nomina aliorum nescio».

Interrogata, qui fuerunt illi fratres, qui dixerunt sororibus, quod cantarent: ‚Te Deum laudamus', respondit: «Frater Vincentius, alios nescio nominare».

Interrogata, quomodo scit, quod sorores cantaverunt, ‚Te Deum laudamus', respondit: «Audivi, quod cantabant fortiter: ‚Laudate laudantium'».

Interrogata, quot anni sunt, quod sic sanata fuit, ut dixit, respondit: «Non bene scio, sed possunt esse sex anni».

Interrogata de mense, respondit: «De mense sancti Jacobi».

Interrogata de die, respondit: «Die Mercurii».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post meridiem, quando pecora vadunt ad campum».

Interrogata, si postea habuit illam infirmitatem, vel similem, respondit: «Non».

Interrogata, quot annos habet, respondit: «Nescio».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera».

Interrogata, si est maritus eius dives, vel pauper, respondit: «Multa amisimus, sed adhuc satis habemus».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXVII.

Joannes de Meger, maritus dicte Marie, diocesis Vaciensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ista domina, que modo fuit hic, est uxor mea, et quodam tempore in septimana de pascha maiori habuit acutam, et in sequenti septimana facta fuit contracta in genibus, et stetit sic contracta usque ad festum sancti Jacobi, et portavi eam in brachiis usque ad Danubium de domo mea, que est ibi prope, et ibi intravi navem, et duxi eam usque insulam istam, et cepi eam tunc in brachiis meis et portavi eam ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et stetit in insula ista usque ad festum sancti Dominici, et post festum sancti Dominici sanata fuit die Mercurii ad sepulcrum istius sancte Margarethe».

Interrogatus, qui erant presentes, quando portavit eam ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Zegise et Petro de illa villa, Palsa sacerdos de eadem villa».

Interrogatus, si aliquis iuvit eum portare eam ad dictum sepulcrum, respondit: «Nullus».

Interrogatus, in cuius domo stetit dicta uxor sua usque ad festum sancti Dominici in ista insula, antequam sanaretur, respondit: «In domo cuiusdam monialis, cuius nomen nescio, sed fuit uxor cuiusdam Elie, qui mortuus est».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta uxor sua sanata fuerit die Mercurii post festum beati Dominici ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ipsa dixit mihi, sed presens non fui».

Interrogatus, si scit, quod aliqua medicina data, vel facta fuit sibi in ista insula, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta uxor sua sanata fuit ad sepulcrum predictum, ut dixit, respondit: «Non bene scio, sed credo, quod sint quinque anni».

Interrogatus de mense, respondit: «Credo, quod festum sancti Dominici, de quo dixi, sit in Augusto». De die superius dixit.

Interrogatus de hora diei, qua sanata fuit, ut dixit, respondit: «Ego non eram ibi, sed uxor mea dixit mihi, quod fuit hora none».

---

[1] Szeptember 1.

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Quando Tartari intraverunt terram istam, eram sex annorum».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Quando bene laboro, satis habeo».

Interrogatus, si est liber, vel servus, respondit: «Liber».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXVIII.

Zegise de Meger, diocesis Vaciensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil volo dicere super hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ista domina Maria, que fuit hodie hic, est cognata mea, et habuit magnum malum, quod erat acuta, et hoc fuit circa pascha maius, et de illo malo contracta facta fuit in venis ubi sunt genua, et non poterat ire, et sic stetit usque ad festum sancti Jacobi, quod est de mense Augusti, et posita fuit in navi, et portata fuit ad istud sepulcrum, quod est in insula ista, et stetit in domo cuiusdam monialis, que fuit uxor cuiusdam, qui habebat nomen Elias, et antequam fuisset sanata, stetit per novem dies in ista insula, et postea in die Mercurii sanata fuit ad sepulcrum istius sancte Margarethe».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta Maria ita erat contracta, ut dixit, respondit: «Ipsa fuit ante me, et eam vidi contractam».

Interrogatus, si est maritata, respondit: «Uxor est cuiusdam qui habet nomen Joannes».

Interrogatus, quomodo scit, quod posita fuit in navi, ut dixit, respondit: «Ego duxi eam».

Interrogatus, si alii erant tunc presentes, quando duxit eam in navi ad istam insulam, respondit: «Plures, quam viginti quinque».

Interrogatus, quis portavit eam ad sepulcrum, postquam dicta Maria tracta fuit de nave, respondit: «Maritus suus».

Interrogatus, si maritus eius erat secum in una navi, respondit: «Sic».

[1] Szeptember 1.

Interrogatus de nominibus aliorum, qui erant in dicta navi, respondit: «Nescio nominare».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta Maria stetit in domo dicte monialis per illas tres dies, ut dixit, respondit: «Scio, quia dimisimus eam ibi».

Interrogatus, quomodo scit, quod sanata fuit apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «In domo mea audivi, quod sic sanata fuit».

Interrogatus, a quibus hoc audivit, respondit: «Non notavi».

Interrogatus, si diebus illis, in quibus dictum fuit, quod sanata erat, vidit eam sanatam a dicta infirmitate, respondit: «Sic».

Interrogatus, si scit, quod habuit dictam infirmitatem, vel similem, postquam vidit eam sic sanatam, respondit: «Numquam postea».

Interrogatus, si scit, quod aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, priusquam fuit in ista insula, antequam sanaretur, respondit: «Non».

Interrogatus, si scit, ad cuius invocationem sanata fuit, respondit: «Dixit mihi ista domina Maria, quod ad invocationem istius sancte Margarethe sanata fuit».

Interrogatus, si scit, cuiusmodi verba dixit tunc dicta domina Maria, quando sanata fuit, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod sanata fuit, respondit: «Possunt esse sex anni». De mense et de die dixit.

Interrogatus, si scit, in qua hora diei sanata fuit, respondit: «Illa domina dixit mihi, quod sanata fuit post meridiem, quando pecora ducuntur foras».

Interrogatus, quando hoc sibi dixit, respondit: «Illa die, qua venit de ista insula».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta virgo Margaretha mortua est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Possum esse bene quinquaginta, vel sexaginta annorum».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Satis habeo».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXIX.

Petrus de Meger, diocesis Vaciensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Numquam fui conversatus cum ea, sed audivi, quod fuit bona domina».

[1] Szeptember 1.

Interrogatus, a quibus audivit, respondit: «Nescio nominare».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ista domina Maria, que fuit hodie hic, est cognata mea, et quodam tempore post pascha maius et ante pentecosten habuit acutam, et ex illa acuta facta fuit contracta in genibus, ita, quod non poterat ire, nisi aliquis eam iuvaret, et ego et Zegise et Joannes maritus suus duximus eam in quadam navi usque ad insulam istam, et dictus maritus accepit eam postea in brachiis suis, et portavit eam usque ad sepulcrum istius sancte Margarethe, postea commendata cuidam moniali, cuius nomen nescio, sed fuit uxor Elie, que portabat eam de mane ad sepulcrum predictum, et de sero (ad) domum suam, et stetit hic dicta domina Maria usque ad festum beati Dominici, et tunc sanata fuit ad sepulcrum istius sancte Margarethe».

Interrogatus, si scit, quod aliqua medicina data, vel facta fuit dicte domine Marie, respondit: «Nulla».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta domina Maria ita fuit contracta, ut dixit, respondit: «Ego vidi hoc cum oculis meis».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta monialis portabat eam omni die ad sepulcrum predictum, ut dixit, respondit: «Scio, quia rogavimus eam, quod sic faceret, et etiam vidi hoc cum oculis meis».

Interrogatus, quomodo dicta monialis portabat eam, quando eam vidit portari, ut dixit, respondit: «In biga».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta domina sanata fuit apud dictum sepulcrum circa festum beati Dominici, ut dixit, respondit: «Portavimus eam contractam ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et postea tornavit sana domum».

Interrogatus, si vidit eam sanam, quando rediit domum, ut dixit, respondit: «Vidi».

Interrogatus, quot anni sunt, quod rediit domum sana, ut dixit, respondit: «Annos non computavi, sed credo, quod sint quinque anni et dimidius».

Interrogatus, de quo mense rediit domum sana, ut dixit, respondit: «De mense sancti Jacobi».

Interrogatus, quo die rediit sana, ut dixit, respondit: «Feria quarta sanata fuit hic apud sepulcrum istius sancte Margarethe, ut dixit mihi, et tertia die tornavit domum sic sanata».

Interrogatus, si postea habuit illam infirmitatem, vel similem, respondit: «Non».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Credo, quod sint septem anni».

Interrogatus, quot annos habet, respondit: «Habeo per quadraginta annos et plures».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper, contentus tamen sum de iis, que habeo».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Die Veneris quarta intrante Septembrem.

LXXX.

Venis, uxor quondam Leopardi de Fais,[1] Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Habeo quemdam puerum meum, qui per septem annos fuit infirmus de scabie et bognonis,[2] et quasi de omni infirmitate, ad finem ita fuit contractus in genu dextro, quod nullo modo poterat ire, et portabam eum foris pro necessitate temporis in brachiis meis, quando oportebat eum, et quando audivi, quod ista sancta Margaretha faciebat miracula, portavi eum in curru ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et quando fuit ad sepulcrum, statim sanatus fuit».

Interrogata de nomine pueri, respondit: «Leo».

Interrogata, quot annorum erat, respondit: «Sexdecim annorum, sicut credo».

Interrogata, si aliquis iuvit eam portare dictum puerum ad dictum sepulcrum, respondit: «Quando recessimus de domo nostra, puer nullo modo poterat ire, et portaverunt me et ipsum puerum in curru Petrus, filius Rulto et Gallus, filius Gabrielis de eadem villa, et ibi posuimus currum in una carina, et venimus usque ad insulam istam, et dicti Gallus et Petrus venerunt mecum, et quando fuimus in insula, puer, quando exivit de curru, statim sanatus est, et cum pedibus suis ivit ad ecclesiam».

Interrogata, si aliqui erant presentes, quando dictus puer descendit de curru et sanatus est, ut dixit, respondit: «Ego et predicti Petrus et Gallus et alii, quos nescio nominare».

Interrogata, si ipsa et dictus puer suus dixerunt aliqua verba, quando descendit de curru et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Ego orabam sanctam Margarethan pro eo, sed puer nihil dicebat, quia parvus erat».

Interrogata, que verba dicebat tunc, respondit: «O sancta Margaretha, tu es

---

[1] A kéziratban hibásan «Feces». A nápolyi legendából tudjuk, hogy Leopardus a veszprémegyházmegyei Faisz helységből (Somogyban) való volt. (Pars. II. Cap. LIII).

[2] Ezt a szót a szótárakban nem találtam.

misericordiosa omnibus, sis et misericordiosa mihi et isti puero, qui est filius meus».

Interrogata, quanto tempore dictus puer sic steterat contractus in genu, respondit: «A nativitate domini usque ad festum pentecostes».

Interrogata, si fecit, vel dedit sibi aliquam medicinam, veniendo ad sepulcrum, respondit: «Nullam».

Interrogata, quot anni sunt, quod dictus puer descendendo de curru ita liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Circa festum pentecostes fuit unus annus».

Interrogata, si ab eo tempore circiter dictus puer fuit contractus, respondit: «Non».

Interrogata, si postea habuit aliquam contractionem in dicto genu, respondit: «Non, sed sanus fuit semper».

Interrogata de mense, quo dictus puer sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Non recordor, sed fuit circa pentecosten».

Interrogata de die, respondit: «Die Mercurii».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post missam». Item dixit: «Quedam pauper femina in quodam loco, ubi ista sancta Margaretha fecerat miraculum, invenit unum panem, et accepit illum in nomine sancte Margarethe, ut quicumque infirmus comederet de illo pane, haberet aliquam misericordiam, et vidi[1] quod quicumque febrem habebat et comedebat de illo pane, sanatus fuit».

Interrogata de nomine dicte mulieris, respondit: «Nescio, sed est quedam vidua, que stat in domo mea».

Interrogata, quanto tempore stetit in domo sua, respondit: «A carnevaleo usque modo».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta mulier invenit dictum panem, ut dixit, respondit: «Ipsa dixit mihi».

Interrogata, qui erant presentes, quando dixit sibi, quod invenerat dictum panem, respondit: «Nullus».

Interrogata, ubi est locus ille, in quo invenit dictum panem, respondit: «Nescio».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta virgo Margaretha fecerat miraculum in dicto loco, ut dixit, respondit: «Quia ibi erat sancta crux».

Interrogata, quomodo scit, quod ibi fuerit sancta crux, respondit: «Quia ipsa vidua dixit mihi».

Interrogata, si aliquos vidit comedentes de dicto pane, respondit: «Vidi, et cuidam puero dedi de manu mea, et postea non habuit febrem».

---

[1] A kéziratban hibásan: ibi.

Interrogata de nomine pueri, respondit: «Paulus, filius predicte vidue, que panem invenit».

Interrogata, qualis panis erat ille, respondit: «Niger et siccus».

Interrogata, cuiusmodi febrem habuit dictus puer, antequam sanaretur, respondit: «In tertiana».

Interrogata, quanto tempore habebat tertianam, respondit: «Per tres vices habuerat eam».

Interrogata, si aliqui erant presentes, quando dictus puer comedit panem, et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Ego et dicta mater sua».

Interrogata, quot anni sunt, quod dictus puer ita liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Fuit hoc anno».

Interrogata de mense, respondit: «Post festum pentecostes, quod modo ivit, hoc fuit; sed mensem nescio nominare».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «In sero».

Interrogata, in quo loco erat dictus puer, quando sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Prope dictum furnum, qui est in domo mea».

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi dicto puero, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta vidua invenit dictum panem, respondit: «Hoc anno, circa festum pentecostes».

Interrogata, si aliqua verba dixit, quando dedit dictum panem dicto puero et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Dixi: ‚O sancta Margaretha, iste panis fuit inventus in loco, in quo fecisti misericordiam, taliter fac et isti puero'».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est ista dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Nescio, sed quando Tartari intraverunt terram, habebam tres annos, sicut dixit mater mea».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Non sum dives».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera sum et nobilis».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXXI.

Bethe de Barloc,[2] Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Habeo quemdam filium, qui multum et turpiter erat inflatus, et rogavimus istam sanctam Margaretham, et promisimus, si sanaretur, duceremus eum ad sepulcrum eius, et quando fecimus hoc, sanatus fuit, et cum pedibus suis venit ad dictum sepulcrum».

Interrogatus de nomine dicti filii sui, respondit: «Stephanus».

Interrogatus, in qua parte corporis fuerit sic inflatus, ut dixit, respondit: «Totum corpus habebat inflatum».

Interrogatus, quanto tempore duraverit sibi dicta inflatura, respondit: «Per duas septimanas».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, postquam venit ad dictum sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Nulla».

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui rogaverunt virginem Margaretham et promiserunt ducere ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ego et mater sua».

Interrogatus de nomine matris sue, respondit: «Gunig».

Interrogatus, si aliqui alii erant presentes, quando rogaverunt et promiserunt, ut dixit, respondit: «Sic, Dyam, vicinus meus».

Interrogatus, in quo loco erant, quando sic rogaverunt et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «In domo mea».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus filius suus venit ad sepulcrum cum pedibus suis, ut dixit, postquam sanatus fuit, respondit: «Quia mater sua venit secum».

Interrogatus, quomodo scit, quod mater sua venit secum, respondit: «Quia ego mandavi eis».

Interrogatus, quot annorum est dictus puer, respondit: «Nescio quot annorum sit, sed bene potest equitare unum equum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus filius suus ita sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Hoc anno fuit, ante pentecosten».

---

[1] Szeptember 4.

[2] A nápolyi legendában «Baloch» áll. Talán Balog. A helyet meg nem határozhatjuk.

Interrogatus de die, respondit: «Nescio».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Ante vesperas».

Interrogatus, quantum stetit, antequam veniret ad istud sepulcrum, postquam sic sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Per tres septimanas».

Interrogatus, per quot dies stetit, antequam fuisset bene liberatus, postquam rogaverunt sanctam Margaretham et promiserunt, ut dixit, respondit: «In illa die, in qua rogavimus et promisimus, sicut ego dixi, potuit comedere, quod ante non fecerat, et fuit sibi melius, et sequenti die surrexit de lecto, et ivit ad campum».

Interrogatus, si aliquis erat presens, quando petiit comedere et melius fuit sibi, ut dixit, respondit: «Ego et mater sua et nullus alius».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est virgo Margaretha, de qua loquitur, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Eram dives, sed spoliaverunt me».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Ego sum liber, tamen sum de genere coquorum regine».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXXII.

Joannes presbyter sanctorum Cosme et Damiani de Veristo[2] **Vesprimiensis** diocesis iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Super hoc nescio».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Iste Bethe, qui modo fuit hic ante vos, habet quemdam filium, qui per tres septimanas multum fuit infirmus, et habuit corpus ita inflatum, quod non poterat movere se, et dictus pater suus dixit ei, quod rogaret beatam Margaretham, quod succurreret sibi, et puer rogavit ipsam beatam Margaretham, quod faceret sibi misericordiam, et ipse veniret ad sepulcrum suum, et ab illa hora cepit melius habere, et in die sequenti sanus ibat, nec habebat aliquam infirmitatem».

---

[1] Szeptember 4.

[2] Veresto nevű plébánia a veszprémi főesperességben a XIV. századbeli pápai tizedlajstromban előfordul. Ilyen nevü (Vöröstó) plébánia ma is létezik. (Monumenta Vaticana. ORTVAI. Magyarország egyházi földleirása. I. 292.)

Interrogatus de nomine dicti filii Bethe, respondit: «Stephanus».

Interrogatus, quomodo scit, quod ita fuerit infirmus et inflatus per tres septimanas, ut dixit, respondit: «Vidi eum tunc».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Bethe, pater dicti pueri dixerit dicto puero suo, quod rogaret dictam sanctam Margaretham, ut dixit, respondit: «In presentia mea dixit sibi».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus puer rogavit beatam Margaretham, ut dixit, respondit: «In presentia mea dixit hoc».

Interrogatus, quomodo scit, quod melius tunc fuerit dicto puero, postquam rogavit beatam Margaretham, ut dixit, respondit: «Presens fui, et parochianus suus sum».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Stephanus sequenti die sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Vidi».

Interrogatus, si aliqui erant presentes, quando dictus puer rogavit, ut dixit, respondit: «Ego et Benedictus de eadem villa Barloch et Dien clericus de eadem villa et pater et mater dicti pueri».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus puer habuit illam infirmitatem, respondit: «Anno isto».

Interrogatus de mense, respondit: «Ante pentecosten, et tunc sanatus fuit sicut ego dixi».

Interrogatus de die, quando dictus puer rogavit et melius habuit, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In nonis».

Interrogatus, in quo loco erat dictus puer, quando rogavit et melius fuit sibi, ut dixit, respondit: «In domo Bethe predicti patris sui».

Interrogatus, quot annorum est dictus puer, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quanto tempore vidit dictum puerum sic sanum, respondit: «Vidi eum postea sanum usque nunc».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est ista virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Puer eram, quando Tartari intraverunt terram istam, et quatuor anni sunt, quod ego sum presbyter».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXXIII.

Dyan, filius quondam Barnabe de Barloch,[2] Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Habeo quemdam puerum meum, qui habet nomen Casparis, qui habuit morbum, de quo cadebat per quinque septimanas, et non poterat exire de loco, nec mentem habebat, et duxi eum ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et cum tenerem eum in brachiis meis, apud dictum sepulcrum sanatus est.

Interrogatus, quot annorum erat tunc predictus puer, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est modo, respondit: «Credo, quod habeat sexdecim annos».

Interrogatus, ubi iacebat dictus puer, quando erat sic infirmus, ut dixit, respondit: «In domo mea».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus puer sanatus fuit apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Tres».

Interrogatus de mense, respondit: «Circa pentecosten».

Interrogatus de die, respondit: «Nescio».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In hora misse».

Interrogatus, si aliqui erant presentes, quando sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Vicini mei».

Interrogatus de nominibus dictorum vicinorum, respondit: «Bethe, de aliis non recordor».

Interrogatus, si dixit aliqua verba, quando dictus puer sanatus fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Rogabam sanctam Margaretham, quod sanaret filium meum».

Interrogatus, quam sanctam Margaretham rogabat, ut dixit, respondit: «Illam, cuius sepultura est in ecclesia sancte Marie de insula Danubii».

Interrogatus, quanto tempore vidit eum sic sanum, postquam sic sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Usque ad tempus istud».

---

[1] Szeptember 4.

[2] L. a LXXXI. vallomásra tett 2. számú jegyzetet.

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi antequam sanaretur apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Nulla».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta virgo Margaretha mortua est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Quando Tartari intraverunt terram istam, iam eram natus».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Interrogatus, si cognoscit Stephanum, filium Bethe de Barloch diecesis Vesprimiensis, respondit: «Sic».

Interrogatus, si vidit eum infirmum a quatuor annis circiter, respondit: «Scio, quod fuit infirmus, sed non vidi ipsum».

Interrogatus, si scit, quod dominus Bethe et uxor eius rogaverunt istam sanctam Margaretham, quod sanaret Stephanum, dictum filium suum et quod promiserunt, quod eum ducerent ad sepulcrum eiusdem virginis Margarethe, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si aliquis (alius) est in eadem villa, qui vocetur Dyam, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

LXXXIV.

Benedictus de villa Barloch,[2] Vesprimiensis diocesis, iuravit ut supra.

Interrogatus, de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Iste bonus homo, qui fuit ante vos, habebat filium infirmum, et habuit gratiam a sancta Margaretha, et sanatus factus fuit».

Interrogatus de nomine illius boni hominis, qui fuit ante nos, respondit: «Bethe de villa in questo».[3]

Interrogatus de nomine filii illius Bethe, qui fuit infirmus et habuit graciam et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Stephanus».

Interrogatus, qualem infirmitatem habebat, respondit: «Inflatus fuit».

---

[1] Szeptember 4.

[2] L. a LXXXI. vallomásra tett 2. számú jegyzetet.

[3] Kétes vajjon ez elferdített helynév-e, vagy pedig az olasz névmás «ebből» (t. i. helységből).

Interrogatus, quanto tempore fuit inflatus, respondit: «Per duas septimanas».

(Interrogatus quanto tempore vidit ipsum sic inflatum,[1]) respondit: «Vidi ipsum sic inflatum per illas duas septimanas».

Interrogatus, quomodo scit, quod habuit gratiam a sancta Margaretha et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Quia portavimus eum ad sepulcrum in curru, et postea rediit ad domum sanus».

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui portaverunt eum ad dictum sepulcrum, respondit: «Dyan, qui fuit hodie hic ad dicendum dictum suum».

Interrogatus, si alii fuerunt ad portandum dictum Stephanum tunc ad dictum sepulcrum, respondit: «Ego non fui ad portandum ipsum, nescio quod alii portaverunt eum quando fuit sanatus, sed in ista vice quando venimus ad istud sepulcrum, ego et dictus Dyan portavimus eum».

Interrogatus, si fuit presens, quando habuit predictam gratiam et sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Ego ibi eram».

Interrogatus, in quo loco tunc erat, quando sanatus fuit, respondit: «In via, quando portabatur ad dictum sepulcrum, sed ego non fui ibi».

Eadem die.[2]

LXXXV.

Bogdam de Fays Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Habui febres per tres septimanas, et quedam domina dedit mihi de uno pane, quem invenerat in quodam loco, ubi ista sancta Margaretha fecerat miraculum, et comedi de illo pane, et statim lassavit me dicta febris».

Interrogatus, cuiusmodi febris erat illa, respondit: «Tertiana».

Interrogatus de nomine illius domine, que dedit sibi dictum panem, respondit: «Nescio nomen eius».

Interrogatus, ubi stat dicta domina, respondit: «In eadem villa de Fays».

Interrogatus, quomodo scit, quod dicta domina invenit panem in loco, ubi dicta virgo Margaretha fecit miraculum, ut dixit, respondit: «Nescio, quia non fui cum ea».

---

[1] A kérdés a kéziratban kimaradt. Azt a válaszból könnyű helyreállítani.

[2] Szeptember 4.

Interrogatus, in quo loco erat, quando dicta domina dedit sibi dictum panem et comedit et laxavit eum dicta febris, ut dixit, respondit: «Jacebam in domo mea iuxta caminum».

Interrogatus, si in die illa, qua comedit dictum panem, debebat habere dictam febrem, respondit: «Quando datus fuit mihi dictus panis, habebam febrem, et quando comedi dictum panem, lassavit me dicta febris».

Interrogatus, qui erant presentes, quando comedit dictum panem et laxavit eum dicta febris, ut dixit, respondit: «Petra, uxor mea et nullus alius».

Interrogatus, si aliqua verba dixit, quando comedit dictum panem, ut dixit, respondit: «Dixi in corde meo, quod venirem ad sepulcrum istius sancte Margarethe, si lassaret me febris».

Interrogatus, si tunc fuit data, vel facta sibi aliqua medicina, antequam febris eum dimitteret, respondit: «Non».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta domina[1] . . . .

LXXXVI.

(Leo filius quondam Leopardi de Fais.[2])

. . . cebat, respondit: «Rogavi Deum, quod in nomine sancte Margarethe me sanaret, sicut multos alios infirmos sanaverat».

Interrogatus, qui erant presentes, quando sanatus fuit, respondit: «Illi, qui veniebant mecum erant ibi, et alios non cognoscebam».

Interrogatus, quomodo exivit de ecclesia, quando sanatus fuit, respondit quod: «Cum pedibus meis ivi rectus, sicut alii homines».

Interrogatus, quot anni sunt, quod sanatus fuit, respondit: «Circa pentecosten fuit annus».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense pentecostes».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, si postquam sanatus fuit, habuit illam infirmitatem, respondit: «Non».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Non bene scio, sed credo, quod habeam quindecim annos».

---

[1] A vallomás vége és valószinűleg egy-két egész vallomás hiányzik.

[2] Ez a vallomás, melynek eleje hiányzik, mint a tartalom kétségtelenné teszi, Leo nevű ifjué, Leopardus fiáé, kiről a következő vallomás szól.

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber et nobilis».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Die Sabathi quinta intrante Septembrem.

LXXXVII.

Viola, uxor Gabrielis (de) Fays, Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Vidi puerum illum, qui fuit heri ante vos, a pueritia sua infirmum, et postea fuit contractus et ductus fuit in curru per matrem suam et Gallum, filium meum et Petrum ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et quando positus fuit super curru, nullo modo poterat ire, et quando tornavit domum, vidi eum sanum».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus puer ita fuit contractus, ut dixit, respondit: «Vidi eum oculis meis».

Interrogata, in qua parte corporis erat ita contractus, respondit: «In genu dextro».

Interrogata, quanto tempore steterit sic contractus, respondit: «Non computavi ipsa, sed scio, quod magno tempore stetit sic».

Interrogata de nomine pueri, respondit: «Leo, filius Leopardi».

Interrogata, si vivit pater suus, respondit: «Non».

Interrogata, quomodo scit, quod mater dicti pueri et Petrus et Gallus portaverunt dictum puerum ad dictum sepulcrum, respondit: «Ante me factum fuit, sed ego non veni cum eis».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus puer non poterat ire, quando portatus fuit in curru, ut dixit, respondit: «Vidi hoc cum oculis meis».

Interrogata, qui erant presentes, quando rediit domum sanus ut dixit, respondit: «Socii et amici».

Interrogata de nominibus illorum, respondit: «Johanta, filius Joannis, qui mortuus est, et Petrus et Gabriel de eadem villa».

Interrogata, si scit, quod aliqua medicina data, vel facta fuerit dicto puero, quando portatus fuit ad dictum sepulcrum antequam sanaretur, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod dictus puer portatus fuit ad dictum sepulcrum et rediit domum sanus, ut dixit, respondit: «Circa festum pentecostes, quod modo ivit, fuit unus annus».

Interrogata de mense, respondit: «De mense pentecostes».

Interrogata de die, respondit: «Die Mercurii».

Interrogata de hora diei, respondit: «Circa vesperas».

Interrogata, quantum distat locus, in quo habitat dictus puer, a loco isto, respondit: «Qui venit pedes ille venit in tribus diebus, et ille qui venit in curru venit in duobus».

Interrogata, quanto tempore vidit dictum puerum sic sanatum, ut dixit, respondit: «Usque modo».

Interrogata, quot annorum est dictus puer, respondit: «Nescio, nec mater eius scit».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Bene possum habere triginta annos».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper sum».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Predictus Martinus de Nitra interpres fuit in dictis predictorum testium.

Eadem die.[1]

LXXXVIII.

Dominus Gurich de genere Caac,[2] iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Audivi de domina Margaretha, matre domini Matthei bani, que est soror in isto monasterio, et est de parentela mea et a multis aliis personis, quas non habeo modo in mente, quod ista sancta Margaretha, dum esset parva, usque ad mortem, semper fuit in monasterio de Vesprimio et in isto, et semper fuit bona domina et in multis orationibus, et omnibus serviebat sicut poterat; aliter nescio, nisi sicut audivi, quia ipsam numquam vidi».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Audivi a multis, quod multa miracula sunt (facta) per eius merita, sed de illis dimittamus, et dicam vobis, quod factum est in persona mea. Ego habui tam grande malum, quod de vita mea eram desperatus et illud malum descenderat per renes meos ad anchas et per coxas usque ad genua et quando . . .[3]

---

[1] Szeptember 5.

[2] A kéziratban hibásan: Taat. A vallomás szövegéből kitűnik, hogy a tanú a Csák nemzetség tagja volt.

[3] A vallomás vége és kétségkivül egy-két teljes vallomás hiányzik.

LXXXIX.[1]

«. . . ad casam, ille Benedictus[2] parlavit.[3]

Interrogatus, quid dixit tunc ille Benedictus, respondit: «Dixit matri sue, que lavabat sibi oculos propter pulverem: ‚Non faciatis mihi malum'».

Interrogatus, quomodo scit hoc, quod sic dixit, respondit: «Hoc audivi».

Interrogatus de presentibus, respondit: «Mater mea et sorores mee et Elena, uxor Laurentii et Catharina, uxor Cedre, que stant in ista villa, et pater meus de novo intravit curtem».

Interrogatus de nominibus matris et sororum suarum, respondit: «Mater habet nomen Elena et soror mea maior habet nomen Anet et alia Elisabeth».

Interrogatus, quanto tempore stetit mortuus dictus Benedictus, ut dixit, respondit: «Usque ad mediam noctem».

Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit: «Quia vidi eum».

Interrogatus, quot annorum est dictus puer, respondit: «Octo vel novem».

Interrogatus, quot anni sunt, quod cecidit ita dictus murus super eum, ut dixit, respondit: «Est tertia estas».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de die, respondit: «Feria quinta, de hora dixi».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam sedecim annos et plus».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Predicti presbyteri Dominicus et Paulus interpretes fuerunt in dicto predicto die Martis octava intrante Septembrem in predicto monasterio virginis gloriose de insula Danubii.

---

[1] A vallomás eleje hiányzik. A tanú nevét nem állapíthatjuk meg.

[2] L. a CX. számú vallomást.

[3] Parlare olasz szó; beszélni.

Die Martis octava intrante Septembrem.

XC.

Bede, filius quondam Johante de Cesu,[1] Vesprimiensis diocesis iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ista filia mea, quam vidistis,[2] quando habuit sex annos, facta fuit ceca de ambobus oculis, et duxi eam per tres vices in curru ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et tertia vice sanata fuit apud dictum sepulcrum per merita ipsius sancte Margarethe».

Interrogatus de nomine dicte filie sue, respondit: «Petronella».

Interrogatus, si scit causam, quare facta fuit ceca, ut dixit, respondit: «Ipsa puella mea a nativitate sua sana fuit per duos annos de oculis suis, et postea per tres annos habuit dolorem in oculis, et per unum annum facta fuit ceca».

Interrogatus, qui venerunt cum eo, quando tertia vice duxit dictam filiam suam ad sepulcrum et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Uxor mea Elisabeth et domina Benedicta, uxor Vitalis de eadem villa et non alius».

Interrogatus, qui fuerunt presentes, quando dicta sua puella sanata fuit ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Multi fuerunt presentes, sed nullum scio nominare».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit dicte filie sue, quando ducta fuit ad dictum sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Non»

Interrogatus, si aliqua verba dicebat, quando dicta filia sua sanata fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Dicebam in corde meo: ‚Sancta Margaretha, sana filiam meam, et ipsa ieiunabit quolibet Sabatho usque ad mortem suam'».

Interrogatus, si dicta filia sua, postquam sanata fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, habuit cecitatem illam, vel similem, respondit: «Non».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta filia sua sanata fuit ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Modo sumus in tertio anno».

Interrogatus de mense, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de die, respondit: «Fuit in festo sancti Jacobi, aliter nescio de die».

---

[1] Cesu=Kezu. Ilyen nevű veszprém-egyházmegyei plébánia a XIV. századbeli tizedlajstromban kettő fordul elő, az egyik a veszprémi főesperességben (ma Peremárton fiókja) a másik a zalaiban (ma Gyula-keszi, plébánia). Ortvai I. 291, 294.

[2] Az apa bemutatta a leányt. De ez kora miatt, mert csak tizenkét éves volt, ki nem hallgattatott.

Interrogatus de hora diei, respondit: «Post missam».

Interrogatus, quot annos habet dicta filia sua, respondit: «Novem».

Interrogatus, quot annorum esset, respondit: «Credo, quod habeam quadraginta annos».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Non sum multum dives, sed habeo unde vivere possum».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Martinus Rubini interpres fuit in dicto predicto.

Eadem die.[1]

XCI.

Marcus de Caris,[2] diocesis Waradiensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Modo in festo sancti Jacobi secunda die est unus annus, quod ego eram in era[3] mea et dixi familie mee, quod aliquid facerent, et statim sic cecidi ad terram, et habebam manus et alia membra tota adormitata, et non poteram me movere et . . .[4]

XCII.[5]

(Elisabeth uxor Bede de Cesu) . . . ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Multi prope erant, sed ego nescio nomina ipsorum».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta filia sua incepit videre apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Quatuor».

Interrogata de mense, respondit: «Circa festum sancti Jacobi, aliter nescio de mense».

Interrogata de die, respondit: «Non recordor».

Interrogta de hora diei, respondit: «Non recordor».

---

[1] Szeptember 8.

[2] Talán Kőrös.

[3] «Era, area, ager seu locus incultus». (Du Cange.)

[4] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[5] A vallomás eleje hiányzik, de a következő vallomásból kétségtelen hogy azt Erzsébet, Bede neje, Petronilla anyja, tette.

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit dicte puelle, quando ducta fuit ad dictum sepulcrum, antequam sanaretur, respondit: «Non».

Interrogata, si postea habuit illam cecitatem, respondit: «Dolorem habuit in oculis, sed non fuit ceca, et modo bene est sana».

Interrogata, quot annos habet dicta puella, respondit: «Novem».

Interrogata, per quot dies stetit ad eundum ad domum suam, postquam dicta filia sua incepit videre ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Eadem die, quo incepit videre, ivimus ad domum nostram».

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta virgo Margaretha mortua est, respondit: «Credo, quod sunt sex anni».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam viginti quinque annos».

Interrogata, si maritus eius est dives, vel pauper, respondit: «Non est dives, sed habemus victum nostrum».

Interrogata, si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata? respondit: «Non».

Eadem die.[1]

XCIII.

Benedicta, uxor Vitalis de Cesu[2] iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ego cognovi istam Petronillam, filiam Bede, postquam fuit nata, et fuit per duos annos, quod bene videbat et postea facta fuit ceca, et ducta fuit per tres vices ad dictum sepulcrum, et in tertia vice in festo sancti Jacobi apud istud sepulcrum fuit resanata».

Interrogata, quomodo scit, quod fuit ceca, respondit: «Vidi cum oculis meis».

Interrogata, si scit causam, quare fuit ceca, respondit: «Ex parte Dei fuit hoc».

---

[1] Szeptember 9. (A kéziratban a szeptember 8-ikán tett XC. számú vallomás után hat következik «Eadem die» fölirattal; és közben még két vallomás van, a melyeknek eleje hiányzik . . . Lehetetlen, hogy egy napon nyolcz tanút hallgattak ki. És miután szeptember 9, 10 és 11-ikén tett vallomások a kéziratban hiányoznak, azt kell föltennünk, hogy a csonka vallomások szeptember 9 és 10-re estek.)

[2] A kéziratban hibásan «Casen» áll. A XC. vallomásból tudjuk, hogy Benedicta asszony és Bede egy helységből valók voltak. L. ott a jegyzetet.

Interrogata, per quot annos fuit ceca, respondit: «Nescio».

Interrogata, quomodo scit, quod per tres vices ducta fuit ad dictum sepulcrum, respondit: «Semper veni cum ea».

Interrogata, si alii venerunt cum ea, respondit: «Veniebamus cum cruce, et multi eramus, sed nescio nomina illorum».

Interrogata, si quando resanata fuit tertia vice, aliqui venerunt secum et cum dicta Petronilla ad dictum sepulcrum, respondit: «Pater et mater sua».

Interrogata de nomine matris, respondit: «Elisabeth».

Interrogata, quomodo scit, quod dicta puella resanata fuit apud dictum sepulcrum, respondit: «Non eram ibi, sed postea vidi ipsam, quod sanata erat».

Interrogata, si scit, quod dicta Petronella fuerit ceca, postquam vidit eam sanam, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, quomodo venit ad dictum sepulcrum dicta Petronella, quando sanata fuit, respondit: «In pedibus suis».

Interrogata, si venit per terram primas duas vices, respondit: «In curru».

Interrogata, si scit, ad cuius invocationem sanata fuit dicta Petronella, respondit: «Per tres vices veniebamus ad honorem sancte Margarethe, et sanata fuit, sicut ego dixi; quare plus me interrogatis?»

Interrogata, quot anni sunt, quod fuit sanata, respondit: «Non recordor».

Interrogata, quot annorum est dicta Petronella, respondit: «Duodecim annorum erat in festo sancti Michaelis».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Nescio».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogata, si est libera, vel ancilla, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit, «Non».

Eadem die.[1]

XCIV.

Benedictus de villa Gaya in Morlochum[2] Strigoniensis diocesis iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Devenit mihi propter peccatum meum, quod in quodam tempore factus fui cecus per tres annos, et nihil videre poteram, et audivi per gentes, quod ista domina faciebat miracula, et feci per manum me duci ad istud sepulcrum, et semper rogabam sanctam Margaretham, quod faceret, quod ego possem videre, et quando fui apud sepulcrum, sensi in oculis, quod poteram videre manum meam, et ivi ad domum, et quando fui ibi, totus fui guaritus ita, quod bene videbam».

Interrogatus, quando devenit sibi . . .[3]

XCV.[4]

. . . quod rogavit eam, respondit: «Bene possunt esse quindecim anni».

Interrogatus, si vidit eam zoppam de[5] duobus pedibus, vel de uno, respondit: «Vidi eam zoppam, sed nescio, utrum de uno pede, vel de duobus».

---

[1] Szeptember 10.

[2] Ugyanez a tanú a következő napon másodízben kihallgattatván (XCIV. szám alatt) «de villa Gaia in Corlochum» és a nápolyi legendában (Pars II. Cap. XXVII.) «de villa Gaia in Zoroulouchun neveztetik». Mind a három helyen egy helységről és egy területről, a melyen az a helység feküdt, van szó. Mivel Gaay nevű helységgel Pozsonymegyében találkozunk. (1268-ik évi oklevélben. FEJÉR. VII. I. 350)., talán a Csallóközről van szó.

[3] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[4] A vallomás eleje hiányzik. A tanú nevét a fennmaradt csekély töredékből nem állapíthatjuk meg.

[5] Zoppo, olasz szó: sánta.

Eadem die.[1]

XCVI.

Benedictus de villa Gaya in Corlochum[2] Strigoniensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Puella, que fuit hodie ante vos, est vicina mea, et semper vidi eam zoppam, postquam cognovi eam, sed quomodo fuerit sanata, ego nescio, quia non fui presens, sed omnibus dicit, quod bene sanata est».

Interrogatus de nomine dicte puelle, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod cognovit eam, respondit: «Bene possunt esse viginti anni».

Interrogata, si zoppa erat de uno pede tantum, vel de duobus? respondit: «Credo, de uno pede, sed nescio bene veritatem».

Interrogatus, si habebat tunc aliam infirmitatem in aliqua parte sui corporis, respondit: «Non vidi, quod haberet aliquam aliam infirmitatem».

Eadem die.[3]

XCVII.

Guniga de Gaya Strigoniensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogata, super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ego et Pecha imul longo tempore fuimus in una villa, et scio, quod semper fuit zoppa, et post octavam pentecostes, que modo fuit, in una die Veneris venimus ad istud sepulcrum, et vidi, quod ibi sanata fuit in hora de vesperis, et quando andabamus ad casam, et intravimus navem, nescio quomodo, utrum per saltum, vel per aliud, tornavit sibi dictum malum, et in die Lune, que fuit in vigilia nativitatis sancte Marie, que fuit modo, apud dictum sepulcrum sanata fuit».

---

[1] Szeptember 10.
[2] L. a megelőző lapon a 2. számú jegyzetet.
[3] Szeptember 10.

Interrogata, per quot annos tuerunt simul in una villa, respondit: «Nescio annos computare, sed est unus annus, quod comedimus semper de uno pane et stetimus in una casa».

Interrogata, si fuit de uno pede zoppa, vel de duobus, respondit: «De duobus».

Interrogata, si habebat tunc aliam infirmitatem, respondit: «Non».

Interrogata, quomodo scit, quod sanata est modo ad dictum sepulcrum, respondit: «Sedebamus iuxta sepulcrum, et ipsa incepit extendere pedes et movere manus et tremebat, et postea surrexit in pedibus, et exivimus de ecclesia».

Interrogata, si alii erant presentes tunc, respondit: «Multi erant sed nescio nomina ipsorum».

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, postquam venit ad sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, si aliqua verba dicebat dicta Peccha, quando erat apud dictum sepulcrum, antequam sanaretur, respondit: «Tenebam ipsam per manum, et audivi, quod ipsa rogabat Deum et sanctam Margaretham».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Septem anni sunt, sicut recordor».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogata, si est libera, vel serva, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Interrogata, quot annorum est ipsa testis, respondit: «Credo quod habeam viginti annos».

Eadem die.[1]

XCVIII.

Soror Misa bigina,[2] filia quondam Cefe de Strigonio iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Habui quam-

[1] Szeptember 10.

[2] A kéziratban hibásan áll az értelemnélküli «bisma». A vallomás tartalmából és a «soror» czímből kétségtelen, hogy a tanú begina volt. Beginæ, Beghinæ, Begninæ név alatt a sz. Domonkos és sz. Ferencz-rendjéhez tartozó úgynevezett harmadrendű (tertiariæ) ájtatos nők értetnek. A magyar legenda ezeket «harmadszerzetbeli»-eknek és «apáczáknak avagy zeztráknak» nevezi. (A «zeztrák» elnevezés szláv szóból: zeztra = nővér, ered.) A tanú ez esztergomi begina-zárda tagja volt. A magyar legenda így szól róla: «Meza penitentia tartó azzon állat Eztergomban». 63.

dam magnam infirmitatem tribus annis in loco secreto, sed habeo verecundiam nominare, et rogavi Deum et beatam Margaretham, quod sanaret me de illa infirmitate, et promisi, quod venirem ad sepulcrum eius, et postea quando ascendi currum, occasione veniendi ad sepulcrum eius, incontinenti liberata fui, et propter hoc non steti, quod ego non venirem ad sepulcrum». (?)

Interrogata, si alique sciebant, quod haberet infirmitatem predictam, respondit: «Sic, soror Osanna bigina et Margaretha bigina et Algent bigina, que stant in Strigonio».

Interrogata, si aliqui alii erant presentes, quando oravit Deum et beatam Margaretham, quod eam liberaret a dicta infirmitate et quod veniret ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Hoc ego dixi in corde meo».

Interrogata, qui erant presentes, quando ascendit predictum currum et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Osanna predicta et Elisabeth bigina, que venerunt mecum ad sepulcrum, et sciverunt quod liberata eram, quia statim dixi eis».

Interrogata, quot anni sunt, quod liberata est ab infirmitate predicta, ut dixit, respondit: «Sunt quatuor anni et plus».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «In die beate Margarethe martyris fui liberata in mane, et aliter nescio nominare diem».

Interrogata, si postea habuit infirmitatem predictam, respondit: «Non».

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi tunc, quando ascendit currum et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Habeo quadraginta et plus, et bene per quadraginta annos fui bigina hic».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «De tali regula quomodo possum esse divites?»

Interrogata, si est libera, vel serva, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: »Non».

Predictus Martinus Rubini interpres fuit in dictis predictis».

XCIX.

Die Jovis tertia[1] *intrante Septembrem.*

Gede de Teez,[2] clericus ecclesie sancte Marie in dicta villa, diocesis Vesprimiensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus de vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil volo dicere super hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ego per tres annos eram ita infirmus, quod nullo modo poteram stare in pedibus meis, nec ire, nisi cum scabellis, et dicebam qualibet die decem ‚Ave Maria' ad honorem Marie, et decem ‚Pater noster' ad honorem sancte Margarethe, et Gregorius presbyter meus fecit me portare in curru suo ad sepulcrum sancte Margarethe, et in prima nocte, postquam fui ibi, dormiebam extra ecclesiam, ubi solent dormire infirmi, in platea apud portam crucis, et due domine apparuerunt mihi in somno et una dixit: ‚Iste pater adhuc iacet;' et ego dixi: ‚Domina, adhuc iaceo;' et ipsa dixit: ‚Surge et ambula'; et ego: ‚Quomodo possum surgere, quia vado cum scabellis?' et ipsa dixit: ‚Margaretha precipit tibi;' et incontinenti surrexi et ambulavi cum uno baculo usque ad ecclesiam, et tunc porta ecclesie aperta fuit et ivi ad sepulcrum, et adoravi sanctam Margaretham, et reddidi sibi grates de eo, quod sanaverat me, et steti ibi usque quo missa dicta fuit, et postea exivi, et in pedibus meis ivi rectus cum dicto baculo ad hospitium meum, et steti hic per quinque dies, et in omni die in missis et in vesperis visitabam sepulcrum sancte Margarethe, et postea recessi, et ivi ad domum meam, aliquando in curru, aliquando per terram».

Interrogatus, si vicini sui sciebant, quod ita iret cum scabellis, ut dixit, respondit: «Omnes sciebant hoc».

Interrogatus de nominibus illorum, respondit: «Predictus Gregorius presbyter et Joannes, filius Eusin, Fabianus de eadem villa et Joannes, filius predicti Fabiani et Mattheus, clericus predicte ecclesie et Marcus de eadem villa».

Interrogatus, qui venerunt tunc ad sepulcrum cum eo, respondit: «Dictus

---

[1] A kéziratban «quarta» áll. De csütörtöki nap 3-ra, nem 4-re esett.

[2] A nápolyi legendában «villa Thebeez» iratik. A XIV. századbeli pápai tizedlajstromban a veszprémi egyházmegye plébániái között egyet sem találunk, a melynek a neve akár az egyik akár a másik olvasáshoz közel állana. Pedig a hely bizonyára plébánia volt, mert papja említtetik. Valószínűleg a fehérvári főesperességben feküdt, mert a berényi és verebi papok, kik ebben a vallomásban említtetnek, a tanú szomszédai lehettek.

Gregorius sacerdos et dictus filius Eusin, Joannes et Bethe de eadem villa et nullus alius».

Interrogatus, qui erant presentes, quando surrexit et ivit cum baculo ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Due filie mee[1] et filius meus, qui iacebant ibi apud me».

Interrogatus de nominibus illarum, respondit: «Una habet nomen Catharina et alia Margaretha».

Interrogatus de nomine filii, respondit: «Un».

Interrogatus, qui erant presentes, quando oravit beatam Margaretham, ut dixit, respondit: «Ecclesia erat plena de populis, et ego non cognoscebam eos».

Interrogatus, qui venerunt secum, quando ivit ad domum suam, quandoque curru, quandoque in pedibus suis, ut dixit, respondit: «Presbyter Petrus de villa Berin[2] et presbyter Blasius de villa Verub[3] et dicte filie mee et filius meus».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, quando venit ad sepulcrum, ut dixit, antequam sanaretur, respondit: «Nulla».

Interrogatus, quanto tempore stetit sic sanus, respondit: «Usque modo, et laboro sicut alii homines».

Interrogatus, quot anni sunt, quod ita liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Duo».

Interrogatus de mense respondit: «De mense ascensionis».

Interrogatus de die, respondit: «Die Jovis». De hora diei dixit.

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Quinquaginta».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Apud domum meam satis habeo pro me».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

---

[1] A kéziratban hibásan: due filius meus.

[2] Beren plébánia a fehérvári főesperesség területén, a pápai tizedlajstromban előfordul. Ma Csák-Berény. Ortvai I. 289.

[3] Vereb plebánia szintén előfordul a tizedlajstromban. Ma Pázmánd fiókja. u. o. 290.

Eadem die.[1]

C.

Gregorius presbyter ecclesie sancte Marie de Teez, Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil (scio) de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Septem anni sunt, quod ego sum presbyter apud istam ecclesiam, in qua ego modo sum, et vidi, quod iste bonus homo, qui habet nomen Gede, qui fuit modo ante vos, ita fuit infirmus per duos annos, quod ipse non poterat ire, nisi cum scabellis duobus, que tenebat in manibus; et quando audivimus, quod ista domina Margaretha faciebat miracula, ipse fecit se portari ad istud sepulcrum, et quando venit de sepulcro ad domum suam, venit sanus».

Interrogatus, quomodo fecit se portari ad dictum sepulcrum, respondit: «In curru».

Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit: «Ego veni secum in curru, et unus filius eius ducebat currum, et quando fuimus ad sepulcrum, lassavi eum ibi, et tornavi ad ecclesiam meam».

Interrogatus, si alique alie persone tunc secum venerunt ad dictum sepulcrum, respondit: «Sic, Joannes, filius Eusin de dicta villa, de aliis non recordor».

Interrogatus, per quot dies stetit dictus Gede, antequam reverteretur tunc de dicto sepulcro ad domum suam sanatus, ut dixit, respondit: «Per novem dies».

Interrogatus, per quot dies potest homo ire in curru de isto sepulcro ad villam, in qua ipse stat, respondit: «Per diem unum».

Interrogatus, quomodo scit, quod venit domum sanatus, ut dixit, respondit: «Vidi eum, et intravit ecclesiam in pedibus suis, tunc cum uno bastone[2] in manu».

Interrogatus, si aliqui alii erant presentes, respondit: «Sic, Mattheus, clericus meus, et iste Joannes Eusin, de aliis non recordor».

Interrogatus, si aliqua verba dicebat dictus Gede veniendo in curru ad istud sepulcrum, respondit: «Dicebat ‚Pater noster', et ‚Ave Maria'».

Interrogatus, si scit, quod aliqua medicina data, vel facta fuit sibi veniendo ad sepulcrum, antequam sanaretur, respondit: «Nescio».

---

[1] Szeptember 4.

[2] A kéziratban hibásan bastano. Bastone olasz szó: bot.

Interrogatus, quot anni sunt, quod venit ad istud sepulcrum, respondit: «In assumptione fuerunt duo anni».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense pentecostes».

Interrogatus de die, quando venit domum sanatus, ut dixit, respondit: «Dominica erat».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In mane».

Interrogatus, quanto tempore postea vidit eum sanum ab illa infirmitate, respondit: «Semper vidi eum postea sanum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam sexaginta annos».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Eadem die.[1]

CI.

Joannes filius Eusin de villa Teez, Vesprimiensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Clericus Gede, consanguineus meus, qui modo fuit ante vos, habuit infirmitatem, et etiam in illa infirmitate factus fuit sicut truncus, et non poterat ire sine scabellis; postquam audivimus, quod ista sancta Margaretha faciebat miracula, ipse fecit se portari ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et tornavit ad domum sanus».

Interrogatus, cuiusmodi infirmitatem habuit dictus Gede, respondit: «Acutam».

Interrogatus, quomodo scit, quod non poterat ire sine scabellis, ut dixit, respondit: «Vidi cum oculis meis».

Interrogatus, quanto tempore stetit, quod non poterat ire sine scabellis, ut dixit, respondit: «Per tres annos».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Gede fecerit se portari ad dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Ego audivi eum ascendere currum et remansi domi, et due sue filie et filius duxerunt eum».

---

[1] Szeptember 4.

Interrogatus de nominibus dictarum filiarum suarum, respondit: «Margaretha et Ginga».

Interrogatus de nomine filii, respondit: «Un».

Interrogatus, si aliqui alii sociaverunt eum tunc, quando venit ad dictum sepulcrum respondit: «Uga, filia Texe et Jula filius suus et Mattheus, filius Micho de eadem villa».

Interrogatus, quot diebus stetit dictus Gede ad revertendum domum sanus, ut dixit, respondit: «Duodecim dies in eundo, stando et redeundo».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Gede rediit domum sanus, ut dixit, respondit: «Vidi eum venire cum baculo in pedibus suis».

Interrogatus, ubi erat, quando vidit eum venientem cum baculo, ut dixit, respondit: «In platea dicte ville».

Interrogatus, si aliqui erant tunc presentes, respondit: «Fabianus, filius Joannis et Joannes, filius dicti Fabiani et multi alii concurrerunt ad eum, sed non recordor de nominibus eorum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus Gede rediit domum sanatus, ut dixit, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de mense, respondit: «De mense ascensionis».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In meridie».

Interrogatus, quanto tempore vidit eum postea sanum, respondit: «Usque ad hodie».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, quando venit ad sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Nihil scio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dicta virgo Margaretha mortua est, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam sexaginta annos».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper, quia depredatus sum».

Interrogatus, si est liber, vel servus, respondit: «Liber».

Interrogatus, si fuit doctus vel rogatus, respondit: «Non».

Nicolaus, ecclesie sancti Petri clericus et Martinus de suburbio castri Bude et Martinus Rubini interpretes fuerunt in dictis predictis.

Eadem die.[1]

CII.

Petrus, presbyter ecclesie sancti Jacobi de Guarcon,[2] Strigoniensis diocesis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliqnid vult dicere super miraculis, respondit: «Ego vidi quemdam puerum, qui vocatur Stephanus, filius domini comitis Budo de Gaya, Strigoniensis diecesis, qui habebat spiritum immundum, et ductus fuit ad sepulcrum virginis Margarethe, et ibi stetit per tres menses, et sanatus fuit, sed non bene, et quando fuit reversus domum, iterum volebat redire ad dictum sepulcrum, sed pater eius non permisit eum venire, cum nondum bene liberatus fuisset; postea ignorante patre, venit ad dictum sepulcrum, et stetit forte per tres dies, vel quatuor, et fuit bene sanatus et liberatus, et sequitur modo curiam istius regis».

Interrogatus, quomodo scit, quod habebat spiritum immundum, ut dixit, respondit: «Quia vidi cum oculis meis eum volentem se precipitare in ignem, aliquando in aquam, aliquando patrem suum volebat percutere cum lapidibus; et etiam tollebat corporalia de altari meo, et iactavit in terram, et saltabat in ecclesia, sicut homo qui vexabatur a demonio, et hec omnia fecit me vidente in festo sanct Jacobi; et taliter ego scio, quod vexabatur a spiritu immundo».

Interrogatus, quanto tempore vexatus fuit a demonio, ut dixit, respondit: «Per annum et plus».

Interrogatus, qui erant presentes, quando fecit predicta, respondit: «Erat tunc festum ecclesie mee, et erant ibi tres presbyteri et dictus comes, pater illius pueri et bene viginti homines, qui associabant dictum comitem, et credo, quod erant ibi plus, quam ducenti homines».

Interrogatus de nominibus presbyterorum, respondit: «Presbyter Petrus ecclesie sancti Bartolomei de Cata,[3] et alius Thomas, presbyter ecclesie sancti Martini de Pada,[4] Joannes, presbyter ecclesie sancti Stephani de Curt».[5]

---

[1] Szeptember 4.

[2] Valószinűleg Várkony. Ilyen nevű malomhely létezik ma Pozsonymegye alsó-csallóközi járásában. A jelen tanuvallomásban említett többi szomszéd helyek ugyanott találtatnak.

[3] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

[4] Padány, ma kis község az alsó-csallóközi járásban.

[5] Kűrt, ma kisközség ugyanott.

Interrogatus de nominibus aliorum, qui erant tunc ibi, respondit: «Martinus de Gaya et Teber de Luce[1] et Gato de Gaya, et multos alios possem nominare».

Interrogatus, quomodo scit, quod ductus fuit ad sepulcrum predictum, respondit: «Vidi, quod captus fuit, et positus in curru, ut duceretur ad dictum sepulcrum, et duo servientes patris illius tenebant eum».

Interrogatus, in quo loco vidit hoc fieri, respondit: «In loco de Gaya».

Interrogatus de nominibus illorum, qui tunc venerunt cum dicto puero, respondit: «Thomas et Petrus de Gaya et Micho et Stephanus de Cares,[2] qui sunt servientes dicti comitis et multi alii secum venerunt».

Interrogatus, quomodo scit, quod stetit ibi per tres menses, ut dixit, respondit: «Hoc audivi a Micho, serviente dicti comitis».

Interrogatus, quomodo scit, quod sanatus fuit, sed non bene, ut dixit, respondit: «Vidi ipsum, quando ductus fuit ad sepulcrum, et erat in eo statu, quem dixi, et postquam venit domum, vidi eum in meliori statu; sed ad sepulcrum non fui secum».

Interrogatus, qui erant presentes, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, in quo loco tunc vidit eum, respondit: «In foro».

Interrogatus, quomodo scit, quod secunda vice venit ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Hoc audivi a patre suo et a Gregorio presbytero, parochiano suo».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus puer sanatus sit apud dictum sepulcrum, respondit: «Dictus comes, pater illius pueri surrexit in predicatione et dixit, quod dictus filius suus sanatus erat apud sepulcrum sancte Margarethe».

Interrogatus, ubi fiebat tunc dicta predicatio, respondit: «In Gaya, et frater Andreas, subprior in Jaurino de ordine predicatorum predicabat ibi».

Interrogatus de nominibus aliorum, qui tunc erant ibi, respondit: «Thomas, presbyter ecclesie sancti Andree de villa Latus[3] et presbyter Gregorius eiusdem ville de Gaya».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Stephanus sequitur curiam regis, respondit: «A patre suo, aliter nescio, quia non vidi postea eum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod ita sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Unus annus et plus».

Interrogatus, de quo mense audivit, quod bene sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Ultima die mensis Augusti, sicut mihi videtur».

Interrogatus de die, respondit: «Quadam die Lune».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Post missam».

---

[1] Lucs, ma kis község ugyanott.

[2] Karcsa. Ilyen nevű tizenegy hely van ugyanott.

[3] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, postquam ductus fuit ad sepulcrum, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Triginta, sicut credo, et undecim anni sunt, quod ego sum presbyter».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non»

Predictus testis deposuit latino sermone.

CIII.

Eadem die.[1]

Joannes presbyter ecclesie sancti Stephani de Curt,[2] diocesis Jauriensis, iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Vidi quemdam filium comitis Boda, qui vocatur Stephanus, sanari apud sepulcrum sancte Margarethe, qui ante vexabatur a demonio».

Interrogatus, si aliqua verba dicta fuerunt apud dictum sepulcrum pro dicto puero, antequam sanaretur, ut dixit, respondit: «Multe persone orabant pro dicto puero, et rogabant beatam Margaretham, quod sibi faceret misericordiam».

Interrogatus, que fuerunt ille persone, que ita orabant pro dicto puero, ut dixit, respondit: «Nescio eas nominare».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus puer, antequam esset liberatus, vexaretur a demonio, ut dixit, respondit: «Vidi oculis meis».

Interrogatus, si vidit dictum puerum facientem aliqua, per que videretur esse demoniacus, respondit: «Vidi, quod voluit percutere patrem suum cum lapidibus, et percutiebat mulieres, que erant in ecclesia, et vela de capitibus earum trahebat, et vidi quod ipse volebat se proiicere in ignem, et volebat ire ad proiiciendum se in aquam, et tunc pater suus fecit eum capi».

Interrogatus, ubi erant tunc, quando dictus puer ita faciebat, respondit: «In Gaya, in domo Gregorii, presbyteri illius ville».

Interrogatus, in quo die fuerunt predicta, respondit: «In festo sancti Petri».

---

[1] Szeptember 4. (?)

[2] Ezt a helyet meg nem határozhatjuk.

Interrogatus, qui fuerunt tunc presentes, respondit: «Comes Teber, comes Martinus, comes Cucoe (?) et Gensa (?) presbyter ecclesie sancti Michaelis de Petor, (?) de aliis non recordor».

Interrogatus, quanto tempore fuit sic demoniacus, ut dixit, respondit: «Per annum».

Interrogatus, quot anni sunt, quod dictus puer ita sanatus fuit apud dictum sepulcrum, ut dixit, respondit: «Non computavi annos».

Interrogatus de mense, quo sanatus fuit, respondit: «In Augusto».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de hora diei, respondit: «In hora misse».

Interrogatus, si postquam ita sanatus fuit, ut dixit, habuit illam infirmitatem, respondit: «Non».

Interrogatus, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, postquam venit ad dictum sepulcrum, antequam sanaretur, respondit: «Non».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam quadraginta annos».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Dominicus presbyter ecclesie sancte crucis de calidis aquis interpres fuit in dicto predicto.

Eadem die.[1]

CIV.

Elisabeth bigina, que stat in Strigonio, iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nescio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Scio, quod soror Misa, bigina de Strigonio[2] venit ad istud sepulcrum, et ego veni secum, et sanata fuit de infirmitate, quam habebat, nec postea habuit illam infirmitatem».

Interrogata, cuiusmodi infirmitatem habebat, respondit: «Exibat sanguis de corpore suo, et non poterat surgere de lecto».

Interrogata, quomodo scit, quod habebat predictam infirmitatem, respondit: «Vidi hoc».

---

[1] Szeptember 4. (?)

[2] Ennek vallomása XCVIII. szám alatt.

Interrogata, quanto tempore habuit predictam infirmitatem, respondit: «Per tres annos».

Interrogata, quomodo venit ad dictum sepulcrum, quando sanata fuit, ut dixit, respondit: «In curru».

Interrogata, si alie persone venerunt secum tunc, respondit: «Ego et Osanna bigina de Strigonio».

Interrogata, quomodo scit, quod sanata fuit ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Vidi, quod postea non exivit sanguis de corpore suo».

Interrogata, si aliqua verba dixit dicta Misa apud sepulcrum, antequam sanaretur, respondit: «Stabat apud sepulcrum et dicebat: ‚Sancta Margaretha, habeas misericordiam de me'».

Interrogata, qui erant presentes, quando dicebat predicta verba et sanata fuit, ut dixit, respondit: «Multi erant presentes, quos nescio nominare».

Interrogata, si aliqua medicina data, vel facta fuit sibi, postquam venit ad dictum sepulcrum, antequam sanaretur, respondit: «Non».

Interrogata, quot anni sunt, quod sanata fuit, ut dixit, respondit: «Credo, quod sint quinque anni, sed nescio bene».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «In die Lune».

Interrogata de hora diei, respondit: «Post missam».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam triginta annos».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Predictus presbyter Dominicus interpres fuit in dicto predicto.

Die Sabbathi duodecima intrante Septembrem.

CV.

Osanna bigina de Strigonio iuravit, ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Audivi, quod fuit bona domina et sancta et faciebat magnam penitentiam».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Vidi cum oculis, quod ceci illuminati sunt, et zoppi erecti sunt».

Interrogata, ubi vidit hoc, respondit: «Ante monasterium istius sancte Marie de insula».

Interrogata, qui fuerunt illi ceci et claudi, quos vidit illuminari et erigi, ut dixit, respondit: «Non cognosco eos, qui sunt de ultra silvas, nisi unum de Sorlou, Strigoniensis diocesis, quem ante cognoscebam, qui habebat pedem curvum et qui modo sanus est».

Interrogata de nomine pueri, respondit: «Nescio nomen eius».

Interrogata, quomodo scit, quod sanus est modo, respondit: «Nescio si modo sanus sit, sed tertius annus est, quod sanatus fuit».

Interrogata, quomodo scit, quod sanatus fuit, ut dixit, modo est tertius annus, respondit: «(Elisabeth)[1] bigina de Strigonio dixit mihi».

Interrogata, quomodo scit, quod habebat pedem curvum, respondit: «Quia non poterat ire sine scabellis».

Interrogata, quomodo scit, quod non poterat ire sine scabellis, respondit: «(Elisabeth)[2] bigina de Strigonio mihi dixit».

Interrogata, qui erant presentes, quando vidit cecos illuminari et zoppos erigi, ut dixit, respondit: «Cina bigina et Echete bigina de Strigonio et multi alii, sed nescio nomina illorum».

Interrogata, quot anni sunt, quod vidit predicta, ut dixit, respondit: «Nescio, quot anni sunt, sed vadam domum et interrogabo».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «In vesperis».

Interrogata, si aliqua verba dicta fuerunt per dictos claudos et cecos, qui ita sanati fuerunt, ut dixit, orando, respondit: «Non audivi». Item dixit: «Anno isto vidi quemdam mutum, qui sanatus fuit, et audivi eum loqui».

Interrogata de nomine illius muti, respondit: «Nescio, quia aliunde ductus fuit».

Interrogata, si ante cognoscebat eum, respondit: «Non».

Interrogata, quomodo scit, quod esset mutus, respondit: «Multi dicebant et specialiter illi, qui duxerunt eum».

Interrogata de nominibus illorum, respondit: «Nescio, quia fuerunt de remotis partibus».

Interrogata de loco, ubi sanatus fuit, respondit: «In curia fratrum, ante refectorium».

Interrogata, ubi audivit eum loqui, ut dixit, respondit: «In eodem loco».

---

[1] A kéziratban áll: «Predicta Osanna». Ez tollhiba. Maga Osanna teszi a vallomást. Kétségkivül társnőjére Erzsébetre hivatkozik.

[2] A kéziratban hibásan áll: «Osanna».

Interrogata, qui fuerunt presentes, quando sanatus fuit et audivit eum loqui, ut dixit, respondit: «Dicta Cina bigina et multi alii, quorum nomina nescio».

Interrogata, si vidit eum, postquam sanatus fuit, ut dixit, respondit: «Non».

Interrogata de mense, quando hoc fuit, respondit: «In octava trinitatis, aliter nescio de mense. «De die dixit».

Interrogata de hora diei, respondit: «Inter nonam et vesperas».

Interrogata, si scit, quod Misa bigina aliquam infirmitatem habuit, postquam mortua est ista virgo Margaretha, respondit: «Sic, quia sanguis exibat de corpore suo, et quando ascendit currum causa veniendi ad sepulcrum sancte Margarethe, statim sanata fuit».

Interrogata, quomodo scit, quod sanguis exiret de corpore dicte Mise, ut dixit, respondit: «Vidi cum oculis meis».

Interrogata, quanto tempore habuit illam infirmitatem, respondit: «Ego nescio bene, sed credo quod minus quam per unum annum».

Interrogata, si presens erat, quando dicta Misa sanata fuit, quando ascendit dictum currum, ut dixit, respondit: «Ipsa dixit mihi statim, quando rediit a sepulcro«.

Interrogata, quot anni sunt, quod dicta Misa dixit sibi, quod sanata erat, ut dixit, respondit: «Non recordor, sed credo, quod sunt quinque anni».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «Nescio».

Interrogata de hora diei, respondit: «Nescio».

Interrogata, ad cuius invocationem sanata fuit, respondit: «Nescio».

Interrogata, si dicta Misa habuit postea dictam infirmitatem, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est ipsa testis, respondit: «Credo, quod habeam triginta quinque annos».

Interrogata, si est dives, vel pauper, respondit: «Satis habeo pro me».

Interrogata, si est libera, vel serva, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Dominus Martinus prior sancti Michaelis de insula interpres fuit in dicto predicto.

Eadem die.[1]

CVI.

Elena, uxor Martini de aquis calidis iuravit ut supra.

Interrogata super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil scio de hoc».

Interrogata, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Filius Bontii, qui habet nomen Benedictus, venit ex scholis post vesperas, et mater sua dedit sibi manducare, et posuit eum ad lectum, et dixit matri sue, quod ipsa signaret eum et diceret ‚Ave Maria', sed nescio, si fecerit crucem et dixerit ‚Ave Maria', et pater suus sedit, et voluit cenare, et nondum habebat ante scutellam, et cecidit murus, et petre ceciderunt longe a lecto, ubi iacebat puer, et postea petre cooperuerunt assides et lectum, ubi iacebat puer, et nesciebat, ubi esset puer, et credebant, quod ossa non possent invenire in ipso puero, et traxerunt eum de lapidibus cum cappis, et nulla ossa eius habebant animam, et mortuum portaverunt in curiam, et venerunt ibi multi homines et multe femine, et dicebant: ‚Iste surget, quando isti qui mortui sunt iam fuerunt septem anni, surgent'; et sic stetit usque ad mediam partem noctis, et postea vidimus, quod habebat animam circa forcellam pectoris, et non vidimus, quod ipse haberet animam in alia parte corporis sui, et pater suus venit sequenti die in mane ad sepulcrum sancte Margarethe virginis, et quando venit ad domum, (puer) locutus fuit et dixit: ‚Non faciatis mihi malum', et illa die surrexit et ambulavit, et dixit, quod nullum malum habebat, et dixit, quod darent sibi ad manducandum de una gallina».

Interrogata, quot annorum erat tunc dictus Benedictus, respondit: «Nescio».

Interrogata, unde est dictus Bontius, pater dicti pueri, respondit: «De calidis aquis».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus puer venerat ex scholis, ut dixit, respondit: «Vidi hoc oculis meis».

Interrogata, quomodo scit, quod mater dicti Benedicti dederat sibi comedere in dicta hora, respondit: «Vidi hoc».

Interrogata, quomodo scit, quod posuit eum ad iacendum, respondit: «Vidi hoc, quia eram secum in eadem domo».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus Benedictus dixit tunc matri sue, quod signaret eum et diceret ‚Ave Maria', respondit: «Audivi eum, quia eram secum in eadem domo».

---

[1] Szeptember 13. (?)

Interrogata, quomodo scit, quod petre predicte cooperuerunt assides et lectum, ubi iacebat dictus puer, ut dixit, respondit: «Vidi oculis meis».

Interrogata, si alique persone sedebant tunc cum patre suo, quando volebat cenare, ut dixit, respondit: «Sic, mater illius pueri, Elisabeth et Agnes sorores eius; et ego non sedebam adhuc».

Interrogata, qui erant illi, qui credebant, quod ossa non possent inveniri in ipso puero, ut dixit, respondit: «Cedre et Blasius et Laurentius et multi homines, et femine erant ibi, quos nescio nominare propter tristitiam, quam habebam, quia ego sum soror patris istius pueri».

Interrogata, quomodo scit, quod predicti homines credebant, quod non possent inveniri ossa in ipso puero, respondit: «Ego audivi eos, quod ipsi dicebant hoc».

Interrogata, unde sunt illi homines, quos propriis nominibus nominavit, respondit: «Omnes sunt de calidis aquis».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui traxerunt dictum puerum cum cappis de lapidibus, ut dixit, respondit: «Andreas, Michael et Cedre et Laurentius».

Interrogata, unde sunt, respondit: «De calidis aquis».

Interrogata, quomodo scit, quod traxerunt eum de lapidibus, ut dixit, respondit: «Vidi hoc oculis meis».

Interrogata, si tetigit tunc dictum puerum, respondit: «Non, quia non dimittebant me ire ad eum».

Interrogata, si lapides vel ligna fecerunt aliquam rupturam in aliqua parte corporis sui, respondit: «Nullam».

Interrogata, quomodo scit, quod nulla ossa eius habebant animam, ut dixit, respondit: «Vidi hoc».

Interrogata, qui fuerunt illi, qui portaverunt eum mortuum in curtem, ut dixit, respondit: «Andreas et Giurch».

Interrogata, quomodo scit, quod portaverunt eum mortuum, ut dixit, respondit: «Vidi hoc».

Interrogata, ubi est illa curtis, respondit: «Illa curtis est patris ipsius pueri».

Interrogata, qui fuerunt illi multi homines et femine, qui venerunt illuc, et dicebant: ‚Iste surget, quando surgent illi, qui mortui sunt iam sunt septem anni', respondit: «Giurch et Mouthonus de aquis calidis et alii, quos nescio nominare».

Interrogata, quomodo scit, quod dixerunt predicta verba, respondit: «Audivi eos».

Interrogata, quomodo scit, quod sic stetit dictus puer usque ad mediam partem noctis, respondit: «Ego vidi hoc».

Interrogata, si alique alie persone erant ibi, quando stabat sic dictus puer, respondit: «Sic, Nicolaus, Blasius, Stephanus de calidis aquis».

Interrogata, que fuerunt alie persone, que viderunt, quod postea habuit ani-

mam circa forcellam dicti pectoris, ut dixit, respondit: «Predicti Nicolaus, Blasius et pater et mater et sorores pueri».

Interrogata, ubi erat dictus puer, quando viderunt, quod habebat animam, ut dixit, respondit: «Adhuc iacebat in curte».

Interrogata, quomodo scit, quod pater illius pueri venit sequenti die in mane ad sepulcrum, ut dixit, respondit: «Vidi oculis meis».

Interrogata, qui erant ibi ad sepulcrum tunc, respondit: «Nescio, quia remansi ad casam».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus puer loquutus fuit, et dixit: ‚Non faciatis mihi malum', quando venit pater suus a dicto sepulcro, ut dixit, respondit: «Ego audivi eum».

Interrogata, ubi erat dictus puer, quando dixit verba predicta, respondit: «Ante domum in curte».

Interrogata, qui erant presentes, quando dictus puer dixit verba predicta, respondit: «Elena, uxor Petri de aquis calidis et uxor Petri de Pocche (?) et mater et[1] . . .

CVII.[2]

. . . respondit: «Nescio».

Interrogata, qui erant presentes, quando mater dicti pueri aperuit oculos dicti pueri, et viderat quod mortuus erat, ut dixit, respondit: «Nescio nominare eos».

Interrogata, que fuerunt alie mulieres, que promiserunt ieiunare in pane et aqua, si beata Margaretha sanaret dictum puerum, ut dixit, respondit: «Agnes et Ancoh, sorores dicti pueri et Elena, mater mea et Margaretha, soror Bontii».

Interrogata, in quo die promiserunt ieiunare, respondit: «Feria quarta».

Interrogata, quanto tempore promiserunt ieiunare, respondit: «Usque ad mortem suam».

Interrogata, quomodo (hoc) scit, respondit: «Audivi hoc ab eis, et ante me fui».

Interrogata, quomodo scit, quod dictus puer stetit sic usque ad vesperas, ut dixit, respondit: «Vidi hoc cum oculis meis».

Interrogata, quomodo scit, quod mater dicti pueri post vesperas cepit clamare eum nomine proprio, et quod puer aperuit oculos tunc, et non poterat sibi dare responsum per totam illam diem, ut dixit, respondit: «Vidi oculis meis».

Interrogata, in qua hora sequentis diei dictus puer incepit loqui, ut dixit, respondit: «Ante vesperas».

---

[1] A vallomás vége és kétségkivül egy-két egész vallomás hiányzik.

[2] A vallomás eleje hiányzik. A tanu nevét nem állapíthatjuk meg.

Interrogata, qui erant tunc presentes, respondit: «Femine predicte, que promiserunt ieiunare pro eo».

Interrogata, quomodo scit, quod hora vespertina dixit matri sue: ‚Da mihi de pane', et dederunt sibi, ut dixit, respondit: «Ego portavi sibi peponem, et dedi sibi comedere de manibus meis»:

Interrogata, qui erant tunc presentes, respondit: «Predicte femine, que promiserunt ieiunare pro eo».

Interrogata, quantum distat domus sua a domo dicti Bontii, respondit: «Una via vadit inter domum meam et domum suam».

Interrogata, si postquam ivit ad domum dicti Bontii, patris dicti pueri, ut dixit, rediit ad domum suam, antequam dictus puer comederet de dicto pane, respondit: «Non, sed semper ibi remansi».

Interrogata de nomine dicti pueri, respondit: «Benedictus Bontii».

Interrogata, quot annos habebat tunc dictus puer, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot anni sunt, quod domus cecidit, et predicta fuerunt, ut dixit, respondit: «Tres anni».

Interrogata de mense, respondit: «Nescio».

Interrogata de die, respondit: «Die Lune».

Interrogata de hora diei, respondit: «Tenebre erant».

Interrogata, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogata, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam quindecim annos».

Interrogata, si pater eius est dives, vel pauper, respondit: «Pauper».

Interrogata, si est serva, vel libera, respondit: «Libera».

Interrogata, si fuit docta, vel rogata, respondit: «Non».

Predictus presbyter Dominicus interpres tuit in dicto predicto.

Die Dominica sexta[1] *intrante Septembrem.*

CVIII.

Dominus Alexander de genere Calsi,[2] Vesprimiensis diocesis iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Non curavi de hoc».

---

[1] A kéziratban «quarto» áll. Vasárnap szeptember 6-ra, nem 4-re esett.

[2] A nápolyi legendában «Cals» áll. Pauler szerint a dunántúli *Kadarkalász* nemzetség sarja volt Sándor úr. II. 418.

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ego eram in carceribus inter Teutonicos in Austria, in loco, qui habet nomen Falkungurb,[1] et stabam in fundo cuiusdam turris, sicut in inferno, in maxima catena, et quidam missus, quem ego mandabam prefectis meis in Hungaria, venit, et dixit mihi: ‚Non timeatis, vos habetis novam sanctam in Hungaria, sanctam Margaretham, filiam Bele regis, que facit multa miracula, manus aperit et pedes, et gambas elongat, et facit oculos, et totum regnum vadit ad eam, et ego ivi'; et postea ego habui magnam spem in ea, et servivi sibi, in dicendo ‚Pater noster' et rogando ipsam, et postea apparuit mihi quedam puella in nocte in dicta turri, et non dormiebam, nec vigilabam, et erat vestita de una magna camisia alba, magna et ampla, sine mantello et dixit mihi: ‚Tantam spem habeas in ista sancta Margaretha, sicut in sancta Elisabeth'; et postea mortuus fuit ille, qui tenebat me in carceribus per homines illius terre, tamquam canis, et dederam sibi trecentas marcas et ipse adhuc petebat quatuor centum; et uxor sua incontinenti dimisit me venire, postquam fuit mortuus, sine aliqua pecunia».

Interrogatus de nomine illius, qui detinebat eum in carceribus dictis, respondit: «Habebat nomen Rapot».

Interrogatus de nomine predicti nuncii, respondit: «Euncius».

Interrogatus, si aliqui erant secum in dicto carcere, quando dicta puella apparuit sibi, respondit: «Sic, duo homines de terra illa, Leopoldus et Gotofredus».

Interrogatus, si scit, quod predicti duo homines viderunt, vel audiverunt tunc predictam puellam, de qua dixit, respondit: «Nescio, nolo mentiri».

Interrogatus, per quot dies stetit in dicto carcere, postquam vidit dictam puellam, que sibi dixit predicta verba, respondit: «Ille Rapot, qui tenebat me in carcere, postea in quinta, vel sexta die mortuus fuit sicut canis, et incontinenti uxor sua traxit me de carcere, et dimisit me».

Interrogatus de nomine dicte uxoris illius Rapot, respondit: «Nescio, sed postquam femine habent maritum, perdunt proprium nomen, et habent nomen uxor, vel domina talis viri».[2]

Interrogatus, quanto tempore stetit in dicto carcere, respondit: «Per tres annos».

Interrogatus, quot anni sunt, quod sic liberatus fuit, ut dixit, respondit: «Modo est tertius annus».

Interrogatus de mense, in quo liberatus fuit, respondit: «Recte in epiphania».

Interrogatus de die, respondit: «Die Veneris».

Interrogatus de hora diei, respondit: «Mane ante missam».

---

[1] Falkenberg, Krems közelében. A nápolyi legendában: «Fellzenburch».

[2] A nápolyi legenda megnevezi: «uxorem Celicam». Pauler szerint: Seefeldi Adelhajd volt Falkenberg Rapoto neje.

Interrogatus de presentibus, quando liberatus fuit, respondit: «Omnes parentes illius Rapoti».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Non recordor».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Dives et nobilis, et modo sum ambaxator pro rege nostro ad regem Sicilie».[1]

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Quadraginta».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Predictus testis deposuit latinis verbis.

Die Lune duodecima intrante Octobrem.

CIX.

Andreas de calidis aquis de Buda iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita, et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Non steti in domo ista, unde nihil scio de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Ego eram in casa mea in sero, et audivi clamorem, et exivi de casa, et vidi homines, qui ibant ad domum Bontii de calidis aquis, quia domus eius ceciderat, et ego ivi ad domum suam, et invenimus puerum de illo Bontcino subtus terram usque ad genua, et traximus eum de subtus terra, et ego solus portavi eum ante domum illius Bontii, et vidi, quod per duas vices flatus motus fuit, et tornavi ad casam, et multi homines et femine venerant ibi, et nescio quid postea factum fuerit».

Interrogatus, quot anni sunt, quod hoc fuit, respondit: «Credo, quod sunt tres anni».

Interrogatus de mense, respondit: «Nescio».

Interrogatus de die, respondit: «Nescio». De hora diei dixit.

Interrogatus, qui fuerunt illi homines et femine, quos vidit euntes ad domum dicti Bontii, quando ipse exivit de domo sua, respondit: «Non recordor».

Interrogatus de nomine pueri, respondit: «Nescio».

Interrogatus, qui fuerunt illi alii, qui invenerunt secum dictum puerum subtus terram usque ad genua, ut dixit, respondit: «Michael et Fulco, de aliis non recordor».

Interrogatus, unde sunt predicti Michael et Fulco, respondit: «De villa de calidis aquis».

---

[1] I. Károly nápolyi király. 1265—1284. — Ezen követségnek az Anjoukori Diplomatiai Emlékekben nyomát nem találjuk.

Interrogatus, qui fuerunt illi, qui traxerunt dictum puerum de subtus terra, respondit: «Predicti Michael et Fulco».

Interrogatus, qualiter traxerunt dictum puerum de subtus terra, respondit: «Cum cappis».

Interrogatus, si dictus puer habebat aliquam rupturam in aliqua parte sui corporis, respondit: «Non».

Interrogatus, si tota domus predicti Bontii tunc ceciderat, respondit: «Quedam pars».

Interrogatus, de quo erat facta illa pars, que ceciderat, respondit: «De petris et de terra»

Interrogatus, qui fuerunt presentes, quando traxerunt dictum puerum de subtus terra et petris, respondit: «Multi homines et femine, sed nescio eos nominare».

Interrogatus, si aliqui erant presentes, quando per duas vices motus erat flatus in gutture dicti pueri, ut dixit, respondit: «Multi erant presentes, sed nescio, si viderunt hoc».

Interrogatus de nominibus illorum, respondit: «Nescio nominare».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Nescio, sed ante adventum Tartarorum eram iuvenis».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Non sum dives».

Interrogatus, si est liber, vel servus, respondit: «Liber».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si est doctus, vel rogatus, respondit «Non».

Eadem die.[1]

CX.

Michael de calidis aquis iuravit, ut supra.

Interrogatus super vita et conversatione predicte virginis Margarethe, respondit: «Nihil volo dicere de hoc».

Interrogatus, si aliquid vult dicere super miraculis, respondit: «Sero erat, et ego audivi clamorem ad domum Bontii de aquis calidis, et ivi illuc, et solarium domus dicti Bontii ceciderat super puerum ipsius Bontii, et ego et Andreas et Fulco traximus eum cum cappis de petris et terra, que erant alte usque ad pectus

[1] Október 12.

super dictum puerum, et ipse Andreas portavit dictum puerum mortuum foras ante domum, et postea recessit, et ego steti ibi per illam noctem, et pater dicti pueri clamabat ad sanctam Margaretham, quod resuscitaret filium suum, et in aurora ipse pater venit ad sepulcrum istius sancte Margarethe, et quando ipse tornavit, puer parlabat».

Interrogatus, quot anni sunt, quod ista fuerunt, respondit: «Credo, quod sint tres anni».

Interrogatus de mense, respondit: «Non habeo in mente».

Interrogatus de die, respondit: «Non recordor». De hora diei dixit.

Interrogatus de nomine dicti pueri, respondit: «Benedictus».

Interrogatus, qui erant presentes, quando ipse et predicti Andreas et Fulco traxerunt dictum puerum de petris et terra, ut dixit, respondit: «Gunigh, et multi alii homines et femine, quos nescio nominare».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus Andreas portavit dictum puerum mortuum foras, ut dixit, respondit: «Ante me fuit».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus puer esset mortuus, respondit: «Vidi eum».

Interrogatus, si tetigit eum tunc, respondit: «Sic».

Interrogatus, in qua parte corporis tetigit eum tunc, respondit: «In manu, et erat frigidus».

Interrogatus, si caro dicti pueri rupta erat in aliqua parte corporis sui a dictis lapidibus, vel terra, respondit: «In facie habebat parvam rupturam in maxilla».

Interrogatus, si de illa ruptura exiverit sanguis, respondit: «Non».

Interrogatus, quomodo scit, quod pater dicti pueri clamabat ad sanctam Margaretham, quod resuscitaret filium suum, ut dixit, respondit: «Ego steti ibi».

Interrogatus, qua hora noctis fuit, respondit: «Ante auroram».

Interrogatus, qui erant tunc presentes, respondit: «Giurch et Fulco, et Blasius et Andreas».

Interrogatus, quomodo scit, quod pater dicti pueri in aurora iverit ad sepulcrum sancte Margarethe, ut dixit, respondit: «Vidi eum, quando ivit».

Interrogatus, quomodo scit, quod dictus puer loquebatur, quando pater suus rediit, respondit: «Ego stabam ibi, et audivi».

Interrogatus, cuiusmodi verba dicebat tunc dictus puer, respondit: «Non intellexi verba, sed clamabat».

Interrogatus, in quo loco erat tunc dictus puer, respondit: «Ante domum in eodem loco, in quo prius positus fuit».

Interrogatus, qui erant tunc presentes, quando puer loquebatur, ut dixit, respondit: «Fulco, Andreas, Blasius et Giurch, quos ego nominavi et multi alii de villanis illius ville».

Interrogatus de nominibus, respondit: «Nescio nominare».

Interrogatus, quid est de dicto puero, respondit: «Ille puer vivit».

Interrogatus, quot annorum est, respondit: «Credo, quod habeam triginta annos».

Interrogatus, si est servus, vel liber, respondit: «Liber».

Interrogatus, si est dives, vel pauper, respondit: «Sum dives».

Interrogatus, quot anni sunt, quod mortua est dicta virgo Margaretha, respondit: «Nescio».

Interrogatus, si fuit doctus, vel rogatus, respondit: «Non».

Predictus presbyter Dominicus interpres fuit in dictis predictis.

CXCIX.

1276 őszén.

Bianchi Ubert és La Corre pápai biztosoknak XXI. János pápához intézett levelök, melynek kíséretében a szűz Margit szentté-avatása tárgyában felvett jegyzőkönyvet bemutatják.

Sanctissimo patri et domino Johanni Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Ubertus Blancus eius devotissimus capellanus, licet indignus, et magister De la Corre decretorum doctor, sanctorum apostolorum Veronensis canonicus, pedum oscula beatorum. Noverit sanctitas vestra nos a felicis memorie predecessore vestro [1] (Innocentio V.) litteras recepisse in hac forma [2] . . . .

Cupientes igitur predictum mandatum reverenter exequi, ut tenemur, ad dictum [3] monasterium personaliter accedentes, cum omni diligentia inquisitionem fecimus super vita, conversatione et miraculis recolende memorie predicte virginis Margarethe, sanctimonialis (monasterii) antedicti, prout inferius continetur. Depositiones testium, quos super hec recepimus, ac alia que in eorum elucidatione reperimus,[4] seriose, diffuse ac explicite, eo ordine quo illa fuerunt deposita coram nobis, per manum publicam Bertholdi de Bosant notarii, fideliter in scriptis redacta, sub sigillis nostris vestre sanctitati duximus intimanda. Copiam nihilominus omnium eorum que vestre sanctitati transmittimus, de verbo ad verbum, nihil addentes vel diminuentes, sub sigillis predictis, una cum litteris felicis memorie Innocentii V. predecessoris vestri nobis missis [5] . . . .

(A pápai biztosok levele, csonkán és hibás szöveggel maradt fenn a brüsszeli királyi könyvtár codexében. A jegyzőkönyv azon példányának élén, mely boldog szűz Margit koporsójában találtatott 1641-ben, ezen levélnek részben eltérő szövege volt helyezve. Az utolsó pont rövidebben van összefoglalva, és így hangzik: «Depositiones testium, quos super hec et alia que in eorum elucidatione recepimus seriose coram nobis, fideliter in scriptis redacta, sub sigillis nostris duximus sanctitati vestre intimanda». (A szöveg itt is hibás, a dátum itt is hiányzik.) Ki van adva: Acta Sanctorum Januarii. II. 900.)

---

[1] A levélnek előttünk fekvő szövegében a pápa neve nincs kitéve. Ez pedig a levélben szükségkép ki volt téve, mert a levélírókat XXI. János pápának nem közvetlen elődje küldötte ki.

[2] Itt következnek V. Incze pápa 1276 május 14. és 25-iki bullái, a miket CXCVII. szám alatt közöltünk.

[3] A levélbe beiktatott bullára utal e szó.

[4] A levélnek előttünk fekvő szövegében ezen hely értelem nélküli (Depositiones testium, que super hec et alia que in eorum elucidatione recepimus). A helyes szöveget a pápai bulla nyomán, a melynek kifejezéseit a levél átírja, könnyü visszaállítani.

[5] A levél befejező sorai hiányoznak.

PÓTLÉK.

CC.

Vancsai István palestrinai bibornok-püspöknek, mint pápai biztosnak, a veszprémi püspök és papsága között fennforgó perben tett rendelkezése.

Continencia ordinacionis inter episcopum, archidiaconos Wesprimienses et plebanos capellarum et ecclesiarum dyocesis eiusdem per reverendum dominum . . . . episcopum Prenestensem de mandato domini pape Innocencii quarti.

Super hiis omnibus coram nobis lite legitime contestata et iuramento a partibus de veritate dicenda accepto, auditis hinc inde propositis, relacione diligenti summo pontifici et fratribus facta, de speciali mandato domini pape ita duximus ordinandum et providendum, ut super congrua porcione ipsis presbyteris assignanda, et eo salvo, quod ipsis canonicis de proventibus ipsarum capellarum, sine quibus sustentari non possunt, provideatur, causa committatur iudicibus, quos partes elegerint et qui vocatis, qui fuerint vocandi, utrique parti congrua porcione reservata, que posset esse tollerabilis, deberent de plano et absque strepitu iudicii, non obstante ordinacione facta per dominum reverendum condam Wesprimiensem episcopum, scilicet, quod episcopus, archidiaconi, vel eorum vicarii a presbyteris vel clericis pro iusticia reddenda nihil accipiant, sed nuncii, qui evocant (?) partes, percipiant, quod eis de iure, vel consuetudine . . . . . debetur, victus eciam . . . . . condempnetur in expensis, secundum, quod de iure fuerit faciendum; item iudices a partibus eligantur, qui conservent ipsos presbyteros per triennium, ne in procuracionibus, vel aliis sepius expressis episcopus, archidiaconi, vel eorum vicarii eos contra iusticiam faciant aggravare; item quod iudices in percepcione medietatis proventuum, in qua procuratores presbyterorum . . . . . esse sunt confessi, conservent, et si se spoliatos probarent . . . . . utraque pars percipere debeat per eosdem iudices . . . . . item, quod iidem iudices compellant ipsos presbyteros ad obedienciam, reverenciam debitam ipsis domino episcopo, archydiaconis exhibendam et alia quesita iura persolvere et ipsorum iusta monita et precepta observare qui iudices procederent appellacione remota et ut parcamus laboribus parcium et expensis, expensas . . . duximus remittenda . . . . . (Datum) apud Asisium in domo hospitalis sancti Rufini de T . . . . . sancti Georgii, sub anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, indictione undecima, tempore domini pape Innocencii quarti, die Mercurii ultima mensis Aprilis.

(A veszprémi káptalan levéltárában található XV. századbeli, részben olvashatatlan másolatban. Litteræ miscellaneæ, 46. sz.)

CCI.

1263.

Pál veszprémi püspök, IV. Orbán pápa megbizásából, a remete szent Pál rendjének szabályait megállapítja.

